FAMIANI STRADAE
ROMANI
E SOCIETATE IESV

DE BELLO BELGICO
DECAS PRIMA

Ab Exceſſu
CAROLI V IMP.
Vſque ad initia Præfecturæ
ALEXANDRI FARNESII
Parmæ, ac Placentiæ Ducis III.

Pro Bibliotheca Conventus S.tæ Catharinæ apud Formellam
Ex Dono F. Hyacinthi M.c Mihlovich Ragusini, Episcopi Stagnensis, eiusdem Conv.s Filij


DE
BELLO
BELGICO
DECAS PRIMA
FAMIANI
STRADÆ
ROM.
SOC. IESV
GRONINGA
DRENT
FRISLANDIA
TRANSISVLANA
TWENT
DE ZVYDER ZEE
ZVTPHANIA
GELDRIA
HOLLANDIA
ZELANDIA
BRABANTIA
FLANDRIA
LIMBVRGVM
LEODIVM
NAMVRGVM
HANONIA
ARTESIA
LVTZEN BVRG

SERENISS. PRINCIPI
ODOARDO
FARNESIO
PARMAE AC PLACENTIAE
DVCI V

FAMIANVS STRADA FEL.

HISTORIAM Belgicam Parenti tuo ante annos ferme quatuordecim destinatam, tibi constante fide reddo, SERENISSIME DVX. opus ab argumento non ingratum Principi, qui se ad magnorum nominum imitationem componat, imitandus ipse, atque inter magna nomina futurus. Et habent hoc supra antiquitatem nostri sæculi bella: quòd, sicuti geruntur armatis diuersa Religione animis, infestis nouo telorum genere corporibus, validis alia munitione vrbibus; ita longè quàm prisca, nostris hominibus ad imitandum propiora sunt. Inter recentia verò, haud scio an vlla màgis ad militarem prudentiam ducant, quàm hæc Belgica: in quibus partim conditio ciuilium armorum insolitam Ducùm vigilantiam poscit aduersùs militum licentiam, & crebriora transfugia veluti honesta, atque ad suos: partim Mars ipse non semper hic in acie, ac sub illa campi Domina, sæpius apud arces remisso furiali impetu sedendo, noua quotidie machinarum nomina, ingeniosaque operum consilia meditatur: partim

denique locus nunc equis, mox idem remis opportunus, amphibios enimuerò milites, ac peritos miſcere vndis ignem planè deſiderat. Hæc autem ipſa, quæ tibi communia cum alijs noſtra legentibus videri poſſent, alio videlicet ſenſu hauries ipſe, ſolitus abs te exigere, quidquid fuere Maiores tui. Et è Maioribus quidem occurret in huius ſtatim operis veſtibulo Margarita Parmenſis Dux, (Caroli nè Quinti filiam appellem, an Alexandri Farneſij matrem?) in qua nouem propè annos, inter prima illa turbulentorum hominum tentamenta, Belgium ſuſtinente, artes agnoſcere populos regendi, tibi (opinor) graue non fuerit. Nam de auia tua Maria Luſitana, Eduardo Luſitani Regis fratre genita, quid attinet dicere? cuius ad eximiæ Religionis commemorationem non dubito, quin ipſe admirationi venerationique immiſtus, ſubdi peracres tibi ad pietatem ſtimulos experturus ſis. Iam auus tuus Alexander, ille (vt appellatum noſti) Belgarum Camillus: &, repetito Demetrij cognomento, vrbium Expugnator: & Romanus, ſed ſobrius iræque victor Alexander; quanta bellicarum cupidine laudum, quas è multis retrò ætatibus collegit vnus ac miſcuit, generoſam iſtam indolem tuam inflammabit? Nec, quia geras ipſe continenter ante oculos Alexandri res geſtas, (dignas profectò, quæ non minus tibi, quàm Themiſtocli trophœum Milciadis, ſomnum interturbent) idcirco carituros ſe omni nouitatis apud te gratia? pertimeſcunt annales mei; dum hæc eadem, quæ tibi imitandi amor ſparſim obijcit, hic à me coniunctim omnia repræſentabunt: verè vtique, ac ſecurè magis, quàm aut magnificè, aut in ſeruilem Theoduli modum: cuius hiſtoriam aſſentationis immodicam proiecerit olim in fluuium Macedo Alexander; ego certè non verebor, ne tu meam pro Alexandro tuo plectas, vti læſæ veritatis ream. Illud potiùs timerem,

Iuſt. Lipſius in Virg. Hallen. c. 35.

Georg. Baſtæ in Magiſt. Caſtror.

Ex Vrb. VIII. P. Max. poëmate de Alex.

ne

ne Historici humilitate suboffensum caperet te fastidium, aliquod mei, grandia tenuiter molientis; nisi exploratam haberem præcellentem ingenij tui facultatem, qua sicuti nostras quoque litteras non amas modò, &, quod vos magni Principes soletis, foues & protegis, sed etiam supra Principum plerunque morem calles ac tractas; ita probè intelligis, summorum virorum facta, transgressa semel humanum modum, non facilè cuiusquam dictis adæquari posse. Quamquam timidiùs sentire me, tu vetas, Princeps: dum historiam hanc meam prælibare aggressus, tam multa in illius commendationem addidisti, vt, nisi ego blanditias huic operi ab humanitate tua subuererer, ausim profectò haud ex vano non solum præsentium mihi studia polliceri, sed etiam spem vltrà protendere, & quasi posteritati meæ interessem, eius de me iudicio iam nunc frui. Sed quo profusior ista liberalitas in me tua, eo cautior ipse conscientia mea me inuoluo, atque aduersùs huiusmodi irritamenta communio: contentus hoc fructu benignitatis tuæ, vt non timidè id offeram tibi, in quo iudicium ipse tuum improbare non possis. E Collegio Romano, Pridie Kalend. Iulias AN. DOM. MDCXXXII.

LE-

LECTORI

QVISQVIS hæc nostra in manus sumere non grauaberis, priusquam euoluas, permitte me tecum pauca super ijs proloqui. Habes à me historiam, cui à celeritate quidem non possim aut laudem flagitare, aut excusationem obtendere, quippe nonum longè post annum apud me pressæ: possim tamen, opinor, hac ipsa cunctatione alterum tantum gratiæ sperare à Lectoribus meis, quorum vtique reuerentia, adornando indesinenter operi moram traxi: adeo, vt licet, ab aliquot iam annis, multi, quorum non minus ingenijs, quàm honoribus nemo Romæ non assurgit, prælectam annalium meorum partem, mirè probare viderentur, non ideo tamen persuaserint mihi (gnaro videlicet quid inter humanitatem, & iudicium intersit) vt festinarem euulgare opus, aut eidem nunc tandem euulgato non condonationem ipse aliquam à Lectoribus anxiè precarer, vti debitam modestiæ meæ, aliorum iudicia reuerenti. Accedit ad eiusdem spem gratiæ, sors oblata mihi quàm Scriptorum multis liberalior: interiores Principum litteras loquor, plerasque exaratas ipsorum manu: loquor secreta legationum monita, intima in bellicis senatibus consilia, & consiliorum causas, clandestinos exploratorum codicillos, occultas ciuium conspirationes, aliaque permulta, quæ aut seorsim habita, aut in ephemeridem relata, ex arcanis mihi tabularijs patuere. Planè vt, nisi moram Lectoribus iniecturus essem, potuissem (quod interdum facio) ad rerum pleraque, addijcere litterarum exemplaria, prouocare ad authographorum fidem, factorum enarrationem, signatis veluti tabulis testibusque, conficere. Hæc autem omnia sicut aperuere mihi quodammodo fores, vt in abdita quæque introspicerem, ita eorum euulgatio, & peculiarium in primis rerum expositio (sine quibus historicorum monumenta Polybio quidem ludicrum quid habentur) tanto futura est iucundior auiditati legentium, quanto addentes hæc nostra ad notiorem eorum factorum cognitionem, quæ ab alijs memorantur, & nos ab ijs sæpius abstinemus, pleniorem ex vtrisque historiam ipsi conformabunt. Atque hæc etiam causa perpulit interdum me ad singularia quædam non prætermittenda, quò res Belgicas recenti non magis fama, quàm Scriptorum copia peruulgatas, huiusmodi variarem additamentis, ob nouitatem plerunque gratis, Lib. 3.

& spe-

& specialem historiam scribenti non utique inconcessis. Quin & huc
quoque illud pertinet, quòd sicut aliqua cursim, & nisi peculiare quid
ad alios addendum occurrat, pæne præterij; ita interdum aliqua paulò al-
tiùs deducere, liberiùsque denarrare, profectò gratius existimaui, nec sine
multis magnisque exemplis feci. Namque inter Romanos annalium Scri-
ptores, vt nihil de Græcis dicam, Tacitus atque Salustius, quàm sæpe
ad breuem illam suam tenuissimi fili telam ex occasione adijciunt multa,
Lib.2. & tanquam lacinias operi attexunt? Refellebat Tacitus in historijs (ha-
rum enim quinque libros, omissis annalibus, carptum expendere tecum
libet) eos authores, qui scripsissent, duces Othoniani ac Vitelliani exercitus
addubitasse, num posito pro flagitiosis Principibus bello, bonum eligerent;
quum facto inde gradu, de veteri atque insita mortalibus potentiæ cupidi-
ne, de eius origine in Romana vrbe, de Patrum plebisque certaminibus, de
Mario, de Sylla, de Pompeio securè differit: donec, Sed me, inquit, ve-
terum nouorumque morum reputatio longiùs tulit. nunc ad re-
Lib.3. rum ordinem venio. Perge. Incensum a militibus Capitolium vbi ille
descripsit, super eo querelas adiungit: &, qui illud vouerit, qui fundauerit,
qui dedicauerit, qui dirutum refecerit, quamquam res vulgò non ignotas,
Lib.4. accuratè percenset. Quid de Serapide? cuius de origine interfari multa,
quæque de ea fabulentur Antistites Aegyptiorum, prolixa excursione com-
memorare, historiæ iniuriam non putauit? Sed nusquam idem liberalius
Lib.5. de historia sensit, quam in expugnatione Hierosolymæ, cuius occasione,
primordia moresque Iudæorum tam profusè tamque altè vsque à Saturno
repetita persequitur enarratione: tam varia congerendo de Mose, de
gentis religione, de cibis, de sabbatho, de circumcisione, de animarum
æternitate, de balsamo, de bitumine, alijsque; vt eius historiam populi
contexere videatur. Et tamen religiosus haberi Tacitus potest cum Salu-
stio compositus. adeo hic crebrò in diuerticula & flexiones abit. Neque
ipse dissimulat. Quippe Iugurtini belli procemium longè enimuero gratui-
tòque productum, postremò reprehendens, Verùm ego, inquit, liberiùs
altiùsque processi, dum me ciuitatis morum piget tædetque. nunc
ad incœptum venio. Nec ideo abstinuit, quin in diuisione regni inter
Iugurtham & Adherbalem, de Africa, deque primis ab eius initio culto-
ribus amplissimè dissereret. Licentiùs adhuc in ciuitatis mores iterum in-
uectus, antiquis factionum causis inter Romanam plebem ac Senatores
abundè narratis; inhibita euagatione, in viam ipse se reuocat. Superat
hæc tamen, quod additur Leptitanorum digressioni parergon. Nam
Lepti

Lepti mentione facta, quum ae eius oppidi conditoribus, situ, ac lingua dixisset: visum est, auctarij loco veterem historiam, ad Leptitanos utique non pertinentem, ultro appendere. Nempe quoniam, *inquit*, in has regiones per Leptitanorum negotia venimus, non indignum videtur, egregium atque memorabile facinus duorum Carthaginiensium memorare. *quo nec parcè, nec timidè memorato, ad rem suam redit. Sed quid ego plura consector: quum una luculenter ostendat, quantum hac in re liceat historico, Catilinæ coniuratio. cuius videlicet Scriptor adeo liber excurrit, crebrisque à proposito auocamentis historiam laxat, ut partem operis omnino quartam hæc longè superent additamenta. Quæ cum ita sint, & nostra quoque, si quid alicubi excedent, tu pro tua, Lector, æquitate, boni consules. Uti etiam illud, à quo inter narrandum non planè abstinui, dum nostra cum priscis interdum contuli, ac similia comparaui. Id enim sicuti non sum nescius, apud Latinos non ita crebrò legi, ita Græcis liberaliùs usurpatum haud me fugit. Sanè Polybius non magis Scriptor historiæ quam Præceptor, dum Siciliæ formam positumque, cum Peloponeso: dum Carthaginiensium Romanorumque classes, cum Antigoni, Ptolemæi, Demetrij, aliorumque naualibus olim copijs prolixè componit: dum eorundem Romanorum & Carthaginiensium Rempub. generosis volucribus ad extremum usque spiritum concertantibus similes facit (ut omittam alia, quæ vel primum eius liberum legere aggredienti complura statim occurrent) profectò omni cura liberat per huiusmodi exempla gradientem. Ac de his te ritè præmonitum initiatumque, in aditu operis ultrà non moror.*

MVTIVS VITELLESCVS SOCIETATIS IESV.
Præpositus Generalis.

CVM de Bello Belgico primam partem P. Famiani Stradæ, eiusdem Societatis, tres nostræ Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ita Reuerendissimo Domino Vicesgerenti, & Reuerendissimo P. Magistro Sacri Palatij videbitur. In cuius rei fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 4. Iulij 1632.

Mutius Vitellescus.

Loco ✠ Sigilli.

Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo P. Magistro Sacri Palatij Apostolici.

Io.Bapt.Alt.Ep.Cam.Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Riccardius Sacri Palatij Apostolici Magister, Ordinis Prædicatorum.

DE
BELLO BELGICO
LIBER PRIMVS

Propositio operis.

BELLVM dicere aggredior, incertus animi, Belgarumnè illud, Hiſpanorumque, an Europæ propemodum omnis appellem. Quippe tot gentium aut armis, aut pecunia, certè animis & conſilijs etiamnum geri videmus, quaſi vno in Belgio, de Europæ imperio dimicetur.

In quo quid maltis agnoſcendum.

Quo plures, opinor, cura comprehendet, quid populares, quid gentiles ſui patrauerint in hoc Martis campo, relegendi.

Quid omnibus admirandum.

Ceteros ab hac cura vtcumque liberos ſubibit aliqua noſcendi cupido, vnde paucis Belgarum prouincijs ea confidentia, ac vires tantæ, quibus potentiſſimo cum Rege, ſexaginta iam annos, terrâ marique ex æquo decertauerint? Vnde ad Batauiæ oram è piſcatorijs aliquot nauigijs noua repentè Reſp. extulerit caput:

Magna Reſp. ex paruis initijs.

quæ armis in dies præualida ſuperiorem pati nec terrâ velit, nec mari iam poſſit. quæ magnis per Oceanum claſſibus ad remotiſſimos terrarum tractus colonias inuexerit. quæ ſtatis apud Principes legationibus, mutuiſque fœderibus, non minorem ſe Regibus ferens, nouum ſibi in Europa principatum aſſeruerit?

Mira ſoli fertilitas, bello omnia vaſtante.

Vnde Belgici agri, inter aſſiduas armorum tempeſtates atque procellas, (cuiuſmodi longe breuiori calamitate regiones alias vaſtari ac ſterileſcere paſſim videmus) tanta gignendis frugibus vbertas, alendoque bello non loci minus, quàm hominum pertinacia? planè vt in alias terras peregrinari Mars ac circumferre bellum, hîc armorum ſedem fixiſſe videatur.

Serio non agi à Rege opinati ſūt aliqui.

Et ſanè non defuere, qui conſilio in hiſce prouincijs bellum trahi ab Hiſpano Rege ſuſpicati ſunt. Nempe vt Princeps, cui MAGNVM Imperij corpus magna animandum eſt mente, multiſque tuendum eſt manibus; exercitam habeat in hac Belgica ſchola militiam, quam deinde partes in omnes (velut Ianizeros ſuos Othomanus Imperator) expediat.

Sed falsò.

Perinde ac ſi eodem in ludo non ſimul erudiantur hoſtes: quorum arma hebeſcere otio, quàm tractatione ſplendeſcere ſatius foret.

Corn. Tac. l. 1. & 2. ann. & 4. hiſt.

Iam & noſtrorum temporum veterumque ſimilitudo afferet vtraque tacitè comparantibus non minimum voluptatis.

In priſcis noſtriſque temporibus

Venientque in mentem legentibus annales noſtros nunc Arminius, nunc

ſimilitudo caſuum.

Ciuilis, gemini illi Belgarum turbines, Orangijque illorum temporum. Offerent ſe paria rebellandi principia: prætenta,& ſimul excuſſa Tiberij, ac Veſpaſiani Principum obedientia: ſollicitati libertatis ſpe populi: ſubita prouinciarum aduerſus Romanum militem conſpiratio: cœpta à Batauis defectio: petita è Germanis, Gallis, Britanniſque ſubſidia: fatigata diuturno ancipitique bello Romanorum arma: pleraque tam ſimilibus ijſdemque artibus iterata, vt niſi ex ſingulorum nominibus diſcrimen animaduerteris, intereſſe te priſcis Belgarum tumultibus identidem arbitreris. Vſque adeo IN REBVS humanis ſæcula ac perſonæ intereunt: cauſæ & euenta

Qui tamen atrociores apud nos.

eadem recurrunt. Quamquam vt Veteres illos longè ſuperauimus nationum religionumque diſſidio,ſic iras ab hac cote pugnàciùs ar-

Teſtis hodie Belgium.

mamus, odiaque exinde animoſiùs exercemus. Nam quid iam armis in Belgio intentatum inacceſſumque reliquimus: qui non modò magnis cum fluminibus, vel ſupra Poëtarum miracula, manus conſerimus; ſed Neptunum ipſum,fractis Oceani clauſtris,in certamen elicimus: mare ceu terras pedites inuadimus: terras immiſſo nauigamus mari, elementiſque ſimul omnibus pugnamus? Et verò (niſi me mea, vt quemque ſua, perſæpe fallunt) nuſquam aut animis, auſiſque maioribus bello decretum: aut validiora per obſidia, magnarum vrbium viribus illuſum: aut diuturnioribus in-

Hom. Ilia. 21. de Achillis pugna cū Scamandro fluuio.

collatū cū Græcis, Romaniſque bellis.

uicem cladibus plus ſanguinis datum, hauſtumque. Voluerit licet vndis ſuis arma & corpora fortium virorum Simois, aut Scamander, Græcorum fabulis noti amnes: alijque nimiùm vera Romanorum cæde nobiles. Longè plures maioraque aggreſſos extulere Moſa, Rhenuſque, & Scaldis, & reliqui per Belgium riui, toties humano ſanguine decolores, trunciſque legionum artubus, ac magnarum ſpolijs animarum tumidi. Quot hìc prouinciarum concidère vires? quoties aut claſſibus mare, aut equite pediteque conſtratum eſt Belgicum ſolum? ac deletis hiſce magnis exercitibus, maiores iterum copiæ vndique gentium ſubmiſſæ,certatim oppleuere campos? Et tamen tam multis populorum impendijs, exhauſtis Regum opibus,coniuratis Europæ viribus, HÆC TROIA tot iam

Virgil. 2. Aen.

Aufidus, Allia, Trebia.

De operis Authore.

decennijs petitur,necdum capitur. Verùm quo intentiùs huiuſce magnitudinem operis commentor, eo proniùs fortaſſe carpendam of-

Quem Religioſū latere profana, & Sacerdotē dedecere bella videantur.

fero confidentiam Scriptoris: quem à publicis negotijs alienum, priſcæque eruditionis hominem, nec ſuo cum ſæculo viuentem, profectò minorem euoluenda præſentium bellorum ſerie different aliqui: & Sacris iampridem initiato indecoram videlicet armorum

Sed & exempla contraria ſunt.

tractationem affirmabunt.. Audirem ego facilè, ſi annalium ſcriptores prœliari omnes fuiſſent ingenio, ordines duxiſſent, exercitibus imperitaſſent: aut deeſſent ex omni ætatum nationumque cen-

T. Liuius. Cor. Tac. Dion. Halicar. et aliſ.

ſu

Moyses. Berosus. Iosephus. Euse. Caes. Orosius. Vill. Tyr. Iouius. Bembus. Mariana. Maffeius. &c.

su perplurimi, qui sacerdotio præditi militaria hæc argumenta litteris tradidere. Immo, quum tanti sit veritas in historia, quumque res eam nulla infringat magis, quàm scriptoris affectus; vndenam potius rerum fidei pertimescendum, ab eonè, qui partibus implicitus ægrè odium & amorem exuat: an ab eo, qui & in medio positus, & vitæ sanctitatem professus, ideoque omni partium studio aut intactus, aut maior, mentiendi occasiones procul habeat, arceatue? Atque ego quidem, vt de me hoc præcipuè superaddam, Nec religiosæ vitæ meæ rationes dedecere suscepti operis argumentum, in quo Religionis etiam caussa peragitur: nec imparem me rebus hisce gestis enarrandis, caussisque earum eruendis, arbitratus sum. Quoniam, quæ intima consiliorum arcanorumque cognitio sperari non poterat, vel à sepositæ vitæ instituto, vel ab hominis genio secum non grauatè habitantis, certè per aliena conclauia clandestinis Principum colloquijs aurem non admouentis; ea mihi cognitio vsque adeo abunde suppeditetur ab illorum, qui hæc ipsa aut gesserunt, aut gerenda mandarunt, autographis & commentarijs: quorum à copia delectuque instructior haud facilè quis aliquando scripsit historiam, vt profectò aulicarum ipse bellicarumque artium vtcumque rudis, atque homo, vt voles, vmbraticus, plura tamen interioraque, quàm hosce rerum ciuilium ac militarium disceptatores, allaturum me non ex vano polliceri possim. Qua verò fide, quaue libertate, superuacaneum sit, anxiè præfari. quando veri amorem æquè omnes præ se ferunt: ac sæpenumero NVLLI iactantius fidem suam obligant, quàm qui maximè violant. Nam dicendi libertatem penè iam amisit ætas nostra, Scriptorum plerunque vitio, qui offensionem Principum obtendentes ambitioni suæ, collatâ in tempora ac mores culpâ, blandiri & assentari, Sæculum appellant. Ego conscientiâ subnixus meâ, quam sæpè interrogo, mancipatamque nullius imperio Principum, nec cuiusquam gratiâ emptam adhuc inuenio; rogatos eos velim, qui meos labores suâ curâ dignabuntur, vt qualem à me ad scribendum iure postulant animum, partium securum mediumque; talem ipsi à factionibus liberum afferant ad legendum. Ne temerè incusetur cibus, si stomacho exceptus ægro insinceroque, coacescat.

Oratio.

Adde, quod ipse argumentũ tractãdũ cum Religione coniunctum.

& ab authographis litteris mihi intimè cognitum.

Fidem.

ac libertatem, vt nulli partiũ iuratam gero;

ita similem affectum in lectore meo velim.

Tu modò pacis, ac belli Deus, (decet enim, rerum non scriptorem minus, quàm authorem, à bonis precationibus initia ritè capere) tu menti, tu stilo moderare: vt mihi non in prudentia humanorum arcanorum indagatrice, sed in tuarum sedium assistrice Sapientia omnia reponenti, digna candore vitæ, quam profiteor: par operis magnitudini, quod molior: non minor expectatione, qua dudum prouocor; ad finem vsque contingat historia.

Plin. in paneg. de hoc prisco ritu.

Hac præfatus; ab imploratione diuinæ opis initium duco.

TRAHEBATVR adhuc ingentibus Europæ motibus ferale bellum inter Carolum Quintum Imperatorem, & Henricum Secundum Galliæ Regem, ad quem cum hereditate transierant parentis iræ animique; quum Maria Angliæ Regina, vbi primùm nupsit Philippo Hispaniæ Principi, de pace sedulò agitare cœpit: eiusque operâ, hoc anno quinquagesimoquinto supra sesquimillesimum, missis Caletum Cæsareis Regijsque Procuratoribus, & si non pax, vti sperabatur, certè quinquennalium fundamenta induciarum posita sunt. Tunc Cæsar, euocato ex Anglia Philippo filio, quam Regnorum Imperijque abdicationem dudum animo meditabatur, exequi tandem, ac magna orbis terrarum parte spoliare ipse se statuit: editurus IGNOTVM Principum aulæ prodigium, vt, quum posset, imperare desisteret. Ergo euulgato per Belgium arcano, multis vndique mortalibus Bruxellas accurrentibus, octauo Kalendas Nouembres, 25. Oct.
qui dies Ordinum comitijs, atque aurei Velleris equitibus, Magistratibusque indictus erat; Cæsar in aula maxima Regiarum ædium, circumsedere iussis hinc Philippo Angliæ, Maximiliano Bohemiæ Regibus, atque Emmanuele Philiberto Sabaudiæ Duce: inde Heleonora Galliæ, Maria Hungariæ viduis, alteraque Maria Bohemiæ Reginis, & Christierna Dani Regis filia Lotharingiæ Duce; primùm Philippum filium sodalitio equitum aurei Velleris solenni ritu præficit: tum Philiberto Bruxellio Senatori principalis Concilij significat, vt quæ in mandatis acceperat, ad Belgarum Ordines proloquatur. Summa dictorum eius hæc fuit. *Cæsarem ingrauescente in dies valetudine præfractum prostratumque serò admoneri, vt suprema componat: & quam rerum molem sustinere diutius pro dignitate, quæ se Imperiumque deceat, haud possit; maturè transferat in Philippum filium Angliæ Regem, ætate ac sapientia tanto oneri parem. Itaque Cæsarem, quod sibi, quod Regi, quod prouincijs beneuertat, omni se Belgij Burgundiæque imperio abdicare: iuratam sibi fidem populis remittere: Philippo filio Angliæ Regi, ius possessionemque Belgij Burgundiæque ex animi sententia tradere.* Hæc Philibertum rite memorantem surgens improuisò Cæsar, humerisque Gulielmi Orangij Principis innitens, interpellat: atque è codice, quem ad subleuandam memoriam attulerat, tanquam è rationario Imperij, Gallicâ linguâ recitare ipse cœpit, Quæ septimodecimo ætatis anno ad eam vsque diem peregisset, expeditiones profectionesque nouem in Germaniam, sex in Hispaniam, septem in Italiam, quatuor in Galliam, decem in Belgium, duas in Angliam, totidem in Africam, mari vndecies remenso, bella, paces, fœdera, victorias, enucleatè singula, magnificèque magis, quàm superbè. Additque, *Eorum operum finem non alium propositum sibi, quàm Religionis*

Cæsar abdicare se Regnis parat:

Multis coronatis capitibus præsentibus.

Heleon. & Maria Caroli V. sorores.

Ac primùm magnum equitum aurei Velleris Magistrū creat Philippū filium:

Concil. Status.

Eidemque Belgium, & Burgūdiam tradit:

verbis Bruxellij Senatoris.

Quæ interrūpit Cæsar, & ipse pro se dicit

Orāgius ipse in Apologia an. 1581.

res à se gestas:

& earum finem.

1555 *gionis & Imperij tutelam. id à se, dum per valetudinem licuerit, ita Deo duce præstitum, vt Carolum hactenus vixisse & imperasse, nullos nisi hostes pœnitere possit. Iam quando vires, ac propemodum vita deficerent, non sibi futurum dominandi amorem ante suorum salutem. Pro sene membris capto, ac magna sui parte præsepulto, validum iuuenta, experrectique vigoris ac virtutis Principem substituere. Ei vt obedientiam Prouinciæ præstent: simul vt inter se concordiam, atque in orthodoxa Religione constantiam sedulò seruent: demum vt sibi, si quid in ea cura peccatum fuerit, benignè condonent; oratos ex animo velle. se certè illorum fidei obsequijque semper apud Deum, cui victurus erat vni perpaucos illos, qui superessent dies, memorem futurum.* Hinc conuersus ad filium, *Si hæc*, inquit, *prouinciarum possessio ad te morte mea peruenisset; meritus aliquid essem apud filium, relicto tam opulento, auctoque per me patrimonio. Nunc, quando non necessitatis hæc, sed voluntatis hæreditas est: & præmori patrem libuit, vt mortis beneficium anteuerterem; quidquid mihi pro hac anticipati temporis vsura plus debes, id in horum amorem curamque populorum vt transferas, iure postulo. Reliqui Reges se filijs vitam tradere, regna se tradituros gaudent. Ego posthumum hoc donum præripere fato volui: geminatum gaudium arbitratus, si te non magis viuentem ex me, quàm ex me regnantem viuus aspicerem. Exemplum hoc meum pauci imitabuntur: nam & ego, quem sequerer ex omni retro antiquitate, vix habui. Laudabunt certè consilium, vbi te dignum comperient, in quo prima hæc documenta monstrarentur. Id efficies, si, quam adhuc coluisti sapientiam, si Dominatoris omnium timorem, si catholicæ Religionis patrocinium, si iuris legumque tutelam, vera vtique regnorum firmamenta, perpetuò retinueris. Vnum superest, quod voueam ad extremum Pater: Vt tibi proles huiusmodi adolescat, in quam regna transferre possis, necesse non habeas.* Hæc fatus, procumbentem in genua filium, poscentemque patris dexteram arctè complectitur, ac cælestem illi opem, imposita eius capiti manu, piè paternèque precatus, subortis lacrymis substitit: ex eorumque, qui aderant, oculis vbertim lacrymas expressit. Tum Philippus & reuerenter osculatus patris dexteram, & humaniter Belgarum Ordinibus assurgens, excusata apud eos Gallicæ linguæ ignoratione, iussit pro se id muneris exequi Antonium Perenottum Granuellanum Atrebatensium Antistitem. Qui Regis mentem vt gratam in parentem, ita paternis monitis exemplisque animatam erga Belgarum populos, disertissima est oratione interpretatus. Quibus Iacobus Masius iuris, & eloquentiæ consultus, Ordinum Belgarum nomine quum respondisset: ac demum Maria Hungariæ Regina Belgij gubernationem, quam annos quinque ac viginti pro Cæsare fratre obtinuerat, eiurasset; eo quidem die con-

Cur regna eiuret.

Quid & petat à Prouincijs.

& eis promittat.

Oratio Cæsaris ad filium regna in eum transferentis.

Cur pro filio respondet Atrebatensis.

Et pro Belgis Cæsari & Philippo Masius respondet.

Maria quoque Regina sese abdicat gubernatione Belgica.

cio

cio dimissa est. Duobus verò mensibus interiectis, maiori adhuc 1556.

Post tradita filio paterna regna omnia. *17. Ian.*

hominum celebritate (nam fama latius emanauerat) Regnis, Prouincijs, Insulisque tam in nostro, quam in nouo terrarum orbe, exuens se Cæsar, eorum semel omnium possessionem, ac iura Philippo filio addixit.

transfert Imperium in fratrẽ.

Postremò, haud ita pòst multò, Imperij (quod vnum Carolo supererat) coronam, sceptrumque Ferdinando fratri multis antè annis Regi Romanorum creato transmisit, per Gulielmum Orangij Principem.

Eiusque insignia mittit per Orangij Principem: *1531.*

Quem ferunt initio detrectasse legationem eiusmodi, dixisseque Cæsari, audiente Philippo Rege, Meliora sibi à Superis optanda, quàm vt in Imperij insignibus è Domini sui capite deponendis, atque ad alium deportandis, ministerium ipse suum adhiberet.

qui ægrè munus admittere videtur.

siue illa caritas fuit erga Principem expertæ beneuolentiæ, ac liberalitatis: siue assentatio in Philippum Regem, cui destinatum à Patre fuisse Imperium, eâque gratiâ actum cum Ferdinando fratre non ignorabat. Etenim Carolus Austriacam Hispaniæ potentiam accessione Imperij firmaturus, operâ Mariæ Hungariæ Reginæ pertentarat aliquoties animum Ferdinandi, quo Romanorum Regnum Philippo cederet: inter alia pollicitus, se cum fratre communicaturum Imperij fasces, vt duo in posterum pari authoritate Cæsares haberentur: immoto ad ea Ferdinando.

Maria Caroli ac Ferdinandi soror. *1550.*

At Carolus ex tanto rerum dominatore iam nullus: aulâ nouo Principi relictâ, priuata in domo aliquandiu consedit: instructa donec classe, è Zelandia soluens cum sororibus Heleonora, ac Maria Reginis, secunda nauigatione, Laredum Cantabriæ portum inuectus est.

Carolus è Belgio soluit. *Augusto mense.*

Quem abeuntem è Belgio prosequi, non alienum, opinor, fuerit à Belgicæ narrationis instituto. quum Belgæ Principis, postremique, Principum in Belgio nati suprema continuando, hærere adhuc in Belgio videri possim.

Septembri mense.

Lectoris quidem certè gratiam initurum me sum arbitratus, si magno illo secessu secretoque Cæsaris in lucem extracto, multa quæ malè de tanto Principe interciderent, Belgicis annalibus imputauero: simulque tristioribus aliquando sequuturis, præsenti molliorum commemoratione paulisper intercessero.

In Hispaniam appellit, parcente illi, non item nauigio, tempestate.

Vix descenderat è Prætoria naui Cæsar; quum fœda illico exorta in portu tempestas classem impetu disiecit, Prætoriam hausit: quasi non vecturam ampliùs Cæsarem, Cæsarisque fortunam. Ferunt, vbi primùm littus attigit, prostratum in genua osculo terram libasse, atque addidisse, Salutari reuerenter à se communem parentem: vtque nudus è matris olim vtero prodierat, ita ad alteram hanc matrem libentissimè reuerti nudum.

Quæ prima eius dicta factaque littus attingentis.

Et verò, quum in Cantabriam appulsus, ac profectus inde Burgos, raros admodum sibi obuios vidit Hispanos Proceres, (quos nempe solus, incomitatusque titulis suis Carolus non alle-

Magnum eius constātiæ periculum à Magnatibus Hispanis.

1556 allexerat) ſenſit tum primùm nuditatem ſuam. Acceſſitque & illud, quòd ex centum nummûm aureorum millibus, (quem ſibi reditum ex immenſis opibus tantummodo ſepoſuerat) quum eorum parte opus tunc eſſet, qua famulos aliquot donaret, dimitteretque; expectandum ei pluſculum, nec ſine ſtomacho Burgis fuit, dum ea videlicet ſumma aliquando redderetur. Quam ille offenſionem ſicut diſſimulanter haud tulit, ita occaſionem nonnullis fortè præbuit affirmandi, Regnis vix eiuratis, cœpiſſe Carolum initi conſilij pænitere. Quamquam alij ipſo eiurationis die mutaſſe illum ſententiam ex eo narrant, quòd aliquot pòſt annis, quum Cardinalis Granuellanus ex occaſione Philippo Regi reuocaſſet in mentem, Anniuerſarium illum eſſe diem, quo Carolus pater Imperio Regniſque ceſſerat; reſponderit illico Rex, Et hunc quoque diem anniuerſarium eſſe, quo illum ceſſiſſe pænituit. Quod incerto rumore prolatum facilè percrebuit apud homines, non ſibi in tam inaudito facinore conſtantiam vel vnius diei perſuadentes. Niſi fortè Philippus non putauit in parente laudandum, quod imitandum ſibi non ſtatueret. Mihi certè in dicta factaque Caroli, toto illo priuatæ vitæ biennio inſpicienti, libelloſque & commentarios ſuper eo ſeceſſu cum cura & ratione voluttanti, nuſquam profectò veſtigium vllum eiuſmodi pænitentiæ compertum eſt. Et decuit, viuam adeo Magnanimitatis imaginem poſteris non exponi pænitentiæ panno conuelatam. Sed iam ille Valliſoletum lecticâ deuectus, ac paulum cum nepote Carolo Hiſpaniæ Principe, cuius non ſatis probauit indolem, demoratus; ad Diui Iuſti Hieronymianum cœnobium, delectam iamdiu ſedem, rectà ſe contulit. Eſt illud in Luſitaniæ Caſtellæque finibus, haud procul à Placentia ciuitate, ſitum: amœnitate vallis, circùmque adiacentium proſpectu collium, ac magna in primis per hiemem temperatione cæli, ſalutare. Quem in locum recepiſſe olim ſe Q. Sertorium fortiſſimum Imperatorem Romana arma fugientem, ibique dolo extinctum fama eſt. Hic demum Carolus curarum fluctibus terminum, ac verè Columnas Herculeas poſiturus, conſtrui ſibi domunculam iuſſerat, cœnobij additamentum. cuius deſcriptionem formamque mitti ante annum ſibi voluerat in Belgium, probaueratque. Sex omnino, ſeptemue in ea numerabantur cellæ, (iuuat enim, quod ait ille, de Principibus noſſe omnia) viginti pedes latæ longæque, planè cœnobiticæ. vnde aſpectus, egreſſuſque in hortulum fonte irriguum: citris, limonijſque ad feneſtras vſque, flores ac poma porrigentibus. Atque hoc videlicet Mauſoleum fuit, quo Cæſar ille Maximus, cui vnus non ſuffecit orbis, incluſit ad extremum ſe, condiditque viuus. inque haſce demum anguſtias decreuit ille Gigas, qui Herculeos vltra terminos exten-

Maius à Philippo filio:

non ſine Cæſaris offenſione.

Vnde nata ſuſpicio mutata eius voluntatis.

Sed temere.

Diui Iuſti cœnobium.

Atque in illo qua quantaque Cæſaris habitatio.

Sex. Aur. Vict. in Caio Imp.

extendiſſe manus gloriabatur. Adeo NATVRA facilè redit ad ſta- 1556
tum ſtaturamque ſuam, ſi, quæ illam inflabat ac diſtrahebat ambitio,
Familia, & ſupellex eius. detumeſcat. Ergo cœnobium ingreſſus, è famulis ſexaginta, quos ele- *Febr. mēſe 1557.*
gerat ex omni ſeruitio, pleroſque Serandillam, proximum oppidum
remiſit, vſurus ſi opus foret: apud ſe duodecim retinuit, atque
equum vnum, nec lautiorem ſeruorum numero domeſticam ſupel-
Contemptuſque rerum omnium. lectilem: nempe omnia neceſſitatis modo finita. Et ſanè mirum
fuit, Carolum ea ſolitudine & curarum obliuione captum, ſiue in
conſilij ſemel ſuſcepti conſtantia firmatum, exuiſſe priſtinos adeo
mores, ac planè naturam; vt neque aurum, quod ingenti copia per
id tempus Hiſpana claſſis illi aduexit ab India: neque ſtrepitus bello-
rum, quæ eius armis ac Ducibus terrâ marique per Europam gere-
bantur; quidquam potuerint animum illum flectere tot retro annis
aſſuetum armorum ſono: eiuſque tranquillitatem, auditis quamquam
varijs rerum euentis, paulum interturbare.

Quotidiana eius vita. Quotidianam porrò vitam ita degebat Auguſtus ſiluarum Inco-
la, vt partem ægro languentique in dies corpori, partem Deo, ani-
Obequitatio. mæque ſuæ tribueret. Nam modò colles, circumpedum vno conten-
Hortuli cultura. tus, obequitare: modò partiri areolas in horto, culturæque & ar-
borum inſitionibus Triumphales commodare manus. id, quod olim
Horologiorū fabricatio, ille, depoſito quoque Imperio, Salonis agebat. Sæpe fabricandis ho- *Diocletianus Imp.*
rologijs, (quorum videlicet rotas multo, quàm Fortunæ, faciliùs tem-
perabat) Iannello Turriano præceptore, illius temporis Archime- *Iannellus Turrianus*
ſub magno præceptore: de, operam dare: eiuſque machinamenta ad moliendos in ſublime *Cremonēſis*
fluuios, tentamentis varijs experiri. Quin etiam ad Toletani aquæ-
ductus architecturam, cuius imaginem tum concipiebat animo *Ambroſ. Morales in deſcript.*
Turrianus, nonnihil ingenio Carolum ſuo contuliſſe ferunt. Qua-
lem verò operis formam in illa biennij ſolitudine, ambo medi-
tati ſunt; tale dein opus Turrianus, poſt Principis obitum, ſublato
in Toleti montem Tago amne, nouo vtique artis miraculo fabre-
cuius inuentis variè oblectabatur, fecit. Et verò hic in primis fuit, qui in eo Hieronymiano ſeceſſu,
nouis quotidie machinationibus, Caroli mentem, talium rerum aui-
dam oblectabat. Nam ſæpe à prandio armatas hominum & equo-
rum icunculas induxit in menſam, alias tympana pulſantes, tubis
alias occinentes, ac nonnullas ex eis feroculas infeſtis ſeſe haſtulis
incurſantes. Interdum ligneos Paſſerculos emiſit cubiculo volan-
tes reuolanteſque: Cœnobiarcha, qui tum fortè aderat, præſtigias
ſubuerente. Fecit & ferreas molas per ſe verſatiles, tantæ ſubtilita-
tis paruitatiſque, vt manicâ occultatas Monachus facilè ferret.
quum tamen quotidie molerent tantum tritici, quantum homini-
bus octo in ſingulos dies alendis abunde eſſet. Sed huiuſmodi dele-
Cura animæ impenſa. ctatiunculæ initio crebriores fuere. Dein verò, admonente morbo,

qui

1557 qui ſuprema interminari videbatur, aliquantò parciùs adhibitæ, nec
niſi ſubſecundarijs temporibus. Nam prima homini cura poſt-
modum fuit, ſtatis monachorum pſallentium precibus frequenter
Ioſeph de Seguenza in hiſt. ſui Ord. 3. p. l. 1. intereſſe: non rarò Sanctorum volumina lectitare, ac pijs de rebus
miſcere ſermones: ſolito crebriùs expiare noxarum confeſſione ani-
mam, ac cæleſti Epulo, quamquam interdum non ieiunus, paſce-
re. id enim, ob ſtomachi languorem, indultum ei pridem fuerat
Ex bulla Iul. III. an. 1554. 19. Mart. ab Romano Pontifice. quin etiam plexo è funiculis tormento, (adeo *Etiam caſtigãdo corpori adhibita.*
& aliorum exempla, & ſui victor ſemel animus potuere) exigere à
ſeſe anteactæ vitæ pœnas perſeuerè cæpit. Quos inde funiculos à *Inſtrumenta pœnarum Philippo filio venerationi habita.*
Ex Seguenza, qui interfuit. 1598. Philippo Rege reuerenter habitos, ab eoque morti proximo afferri
ad ſe iuſſos, &, vt erant cruore Caroli patris aſperſi, filio Philippo
Tertio traditos, inter Auſtriacæ monumenta pietatis aſſeruari fa-
ma eſt. Poſtremò exequiarum occaſione, quas matri anniuerſarias *Nouo exẽplo ipſe ſibi exequias facit:*
perſoluerat, noua inceſſit animum cupido (ſi liceret) & ſuas cele-
brandi: reque communicata cum Ioanne Regula è Hieronymiana
familia, qui eius conſcientiam moderabatur: quum is inſolitum
quidem illud & inauditum, pium tamen ac ſalutare dixiſſet; ap-
parari funus ſibi quamprimùm iuſſit. Ergo excitatur in templo tu-
30. Aug. 1558 muli moles, funalibus illuminatur, atrati circumſtant famuli, mor-
tuale Sacrum mœſto monachorum cantu peragitur. Ipſe funeri ſu-
perſtes ſuo, ſpectabat in illo imaginario munere veras ſuorum la-
crymas: audiebat exequiale carmen, placidam ſibi requietem
beatas inter ſedes implorantium: eademque ipſe ſibi ſuffragia pſal-
lentibus immiſtus expoſcebat. Donec ſacrificanti propior factus,
eique tradens, quam geſtabat, accenſam facem, ſublatis in cælum
oculis, *Ego te*, inquit, *vitæ ac mortis arbiter, oro quæſoque, vt quem-
admodum oblatum hunc à me cereum ſacerdos capit, ſic commendatam
in manus tuas hanc animam tu, quandocumque libuerit tibi, in ſinum
complexuſque tuos benignè ſuſcipias*. Tunc, vt erat pulla fluxaque
opertus veſte, humi procubuit: renouatiſque omnium, qui aderant
lacrymis, quaſi depoſitus, ſuprema lamentatione comploratus eſt.
Atque hoc videlicet rudimento Carolus vicinæ iam morti prolu- *ſubitòq; in morbum incidit.*
debat. Namque altero ab exequijs die, febri correptus, eâque pau-
latim exedente conſumptus, Toletano Antiſtite procurante, quæ
Bartol. Miranda Archiep. Tolet. Chriſtiano ritu, luctanti animæ ſuppeditantur adiumenta: Reli-
gioſiſque, qui frequentes è cœnobio circumſtabant, abeunti hoſpiti
expeditum iter in cœtus piorum comprecantibus; nocte ante feſtam *quo breui tempore ſuprema occumbit:*
21. Septembris 1558. lucem Euangeliſtæ Matthæi, annorum octo & quinquaginta, ex
quibus duos ipſe vixerat, ingenti ſanè ſenſu pietatis ac religionis
exceſſit. Mortem eius clara cælo terraq; ſigna comitata ſunt. Pau- *prodigijs mortẽ eius comitantibus.*
lo enim pôſtquam ægrotare cœpit, viſus in Hiſpania Cometes, ini-

B tio

in Calo, *terraque.* 1558

tio non admodum illustris, sed qui subcrescente morbo per eadem incrementa lucem intenderet: donec verso in Hieronymianam sedem ferali crine; qua hora Carolus viuere, ille videri desijt. Nec illud admiratione caruit. In Caroli,quem dicebam,hortulo, binos eodem tempore stylos emiserat candens lilium. alter Maio mense, vti assolet,calyce dehiscente floruit: alter quamuis eâdem culturâ prouocatus, tumorem tamen ac partus signa Vere toto atque æstate sustinuit: eademque demùm nocte, qua Caroli animus integumento sese corporis euoluit,ille explicato repentè folliculo,intempestiua nempe atque insperata germinatione promisit florem. Id verò & obseruatum ab omnibus, & lilio super Ara templi maxima ad spectandum proposito,fausti candidique ominis loco acceptum est.

Obseruauit Ian. Turrianus. qui morienti aderat.

Anni dominationis eius.

Sic demum Carolus Cæsar,annos quadraginta paternis Regnis,sex & triginta Imperio potitus,ac duos post omnium abdicationem potitus ipse se; dubium reliquit, maioremnè laudem in Imperio, totque Regnis administrandis,an in ijs simul omnibus relinquendis promeritus sit. Quamquam non ignoro eam rem vario tunc hominum sermone fuisse disceptatam: hodieq; declamatorum in scholis,politicorum in aulis, argumentum esse, CAESAREM ABDICANTEM. Sed omissis ingeniosis horum commentis, somnia denique venditantium: quæ apud plerosque eo tempore super Carolo differebantur, hæc fermè erant. Permulti causam in promptu habebant; nempe Cæsarem ingrauescente articulari morbo, qui ab anno quinquagesimo, non iam per interualla, sed perpetuus aderat; adductum esse, (quemadmodum inter eiurationis solennia testatus est ipse) vt quam Imperij molem pari virium præsentia sustinere se vltrà diffideret, eam salutari & sibi & regnis anticipatione, in æui animique validum inclinaret. Callidiores, quibus in abdita conari mos est, & VILE videtur, quidquid in summo patet; deterritum suspicabantur Cæsarem Henrici Secundi Galliarum Regis felicitate, cui opponere filij iuuentam regnandi auidam, & capacem, quàm annos palmasque suas, consultius habuerit. Obseruauerantque, ex quo ille Metim à Gallis captam recuperare, exercitu centum hominum millium ad vrbem admoto, frustra tentauit, desideratis in ea obsidione non paucioribus quadraginta suorum millibus; tantum inde mœrorem animo contraxisse: præsertim quòd paulo antè in Germania consulere sibi indecorâ sanè fugâ, certè insolitâ, coactus fuerat à Mauritio Saxonum Duce; vt per aliquot dies publico abstinuerit, increscentemque morbum acriori sensu in posterum tolerauerit. Quin & vulgò credebatur, Cæsaris fortunam fastidio ac satietate iam captam retrocedere incœpisse: felicemque Imperatoris hactenus inuicti genium in Henricum Galliæ Regem immigrasse.

Causæ abdicationis variæ iactatæ:

Morbus,

Metus ex fortunæ mutatione.

Petr. Mexias in vit.Car.V. Thuã.l.16.

1552.

1552.

ex litteris Principum. Hipp.Chizzale.

ipso

1558 ipſo Cæſare non diſſimulante, quem auditum ferebant, quum diceret, *Nempe FORTVNAM eſſe iuuenum amicam*. Idcoq; pro columnis
Herculis, ac *Plus vltrà*, vſitato Caroli Quinti Signo; non deerant,
qui Cancrum, & *Plus citrà*, accommodatam videlicet tempori
Notam, ſubſtituerent. Adderentque, ſapienter imitatum eſſe Cæ-
ſarem præcautos aleatores, qui magnam nummorum ſummam an-
te ſe congeſtam lucrati plurium horarum ludo, veriti fortunæ
aleam, retrahunt opportunè manum: neque ſe parto illo cumulo
victoriarum exui, iactu videlicet vno, patiuntur. Contrà ſentie-
bant aliqui, factumque Cæſaris immenſæ laudum cupidini verte- *Cupido inuſitatæ gloria,*
bant. Quòd animus ille, ſi quis vnquam alius, poſt Cæſarum me-
moriam, famæ indulgentiſſimus, quum ſibi ſatis abundeque glo-
Fräc. Rex. Gall. Henr. Rex Nauar. Clem. VII. Guliel. Cliues Dux, I. Federic. Septemuir, Dux Saxo. Erneſtus Dux Brũnic. Philip. Haſſia Regulus. riæ adeptus videretur, tam multis ex omnium hoſtium genere vi-
ctorijs, tanta felicitate reportatis, vt à nullo ferè Carolus prouoca-
tus bello fuerit, quem non modò victum, ſed (quod raró legitur)
vinctum etiam captiuumque non viderit; abiectis ad extremum,
calcatiſque vtroque in orbe faſcibus ampliſſimi dominatus, ab inu-
ſitato victoriæ genere, nouos gloriæ titulos non facilè poſteris
æquandos concupierit. * Iactabatur & illud obſcuriore fama. Mo- *Querela filij.*
tum ex parte Cæſarem Philippi querelis: qui nouis quotidie pro-
bris, famoſiſque carminibus proſciſſus ab Anglis, ægrè Hiſpanum,
** Adrian. l. 13. hiſt. Thuan. l. 16. Cabrera in Phil. II. l. 1. c. 5. & 8. & alij.* in ea inſula Dominum ferentibus, eòque nec Regem illum, ſed Re-
ginæ maritum vulgò compellantibus; per eam occaſionem ali-
quanto acrius expoſtulauerat cum patre de ſtatu fortunaque ſua:
moturus animum eius, ad conſilium de Belgij abdicatione, cuius
iam aliquid ſuboluerat, maturandum. more videlicet liberorum,
qui parentibus orti iunioribus, ſenes ipſi paternam adeunt heredi-
tatem: diu graues, quaſi expectantes. Verùm alij rem aliò trahe- *Neceſſitas placã da ira Dei, offenſi præcipue*
bant, atque in eiuſmodi conſilium conceſſiſſe Cæſarem affirma-
bant vna tactum religione, ſtimulatumque conſcientiâ multorum,
quorum antèquam rationem expoſceretur à ſupremo hominum Iu-
dice, placandam ſibi præmaturè Maieſtatem eius exiſtimauerit.
Quippe eſſe non pauca, quæ Caroli vellicarent animum pietatis
1543. omnino non ſurdum. Iciſſe fœdus cum Henrico Angliæ Rege, à *ob fœdus cũ Henrico Anglo contra*
fidelium ſocietate, diris Pontificijs, in Caroli gratiam expuncto. *fidem Pontifici datam.*
In quo ille & iniuriam, quam ab Henrico acceperat repudiata Ca-
Iouius l. 43. 44. & 45. tharina vxore, Cæſaris matertera: & conſtantiam promiſſi, nun-
quam ſe cum hæretico Rege, niſi is Pontificiæ dignitati ſatisfaceret,
in gratiam rediturum; nimis quàm impotenter poſthabuerat atro-
ci inexpiabilique in Gallum indignationi. Præterea in Religionis *ob interim in Religione permiſſum.*
1548. cauſam inieciſſe manus: quæque Pontificij muneris erant, occupaſ-
ſe: euulgari iuſſo per Germaniam libro complectente Religionis
B 2 capita,

capita, ad quorum obſeruantiam interim exigerentur omnes, dum 1558
finem acciperet Tridentinum Concilium. Qui tamen liber quum
pleraque Catholicæ quidem Eccleſiæ conſentientia, ſed contraria
tamen nonnulla, vti ſacerdotum coniugium, Corporiſque & Sanguinis Domini ſub vtraque ſpecie libationem contineret: (quippe
à Catholicis, hæreticiſque conſcriptus) neutris, vt accidere ſolet,
ob Pôtificis Rom. captiuitatem. partibus ſatisfecit. Demum capta direptaque Vrbe, in Romani *6. Maij 1527.*
Pontificis captiuitatem conſenſiſſe: adducturum inſuper ad ſe illum
in Hiſpaniam, niſi publica hominem infamia retardaſſet. Quamuis autem luctuoſam Vrbis ſacræ depopulationem Cæſar haud imputauerit ſibi: *Frãc. Guicciar. l. 18.*
immo ad eius nuncium, illico & publicam lætitiam
ob natum Philippum filium edicto vetuerit, & ipſe mutata veſte iuſtitium atratus indixerit. *21. Maij 1527.*
quanti tamen eſſe, non modò in Vrbis &
Sacrorum violatores non animaduertiſſe, ſed etiam eorumdem operâ menſes omnino ſeptem attinere Hadriana in arce Chriſti Vicarium perſeueraſſe? præſertim tam arctè miſerèque cuſtoditum, vt
vetulam olera vendentem, quòd expetenti Pontifici lactucas aliquor in arcis foſſam proieciſſet, funiculo per puerum ſubmittendas; *Ionius l. 26*
obuius fortè Centurio ſuis furioſè manibus ante portam ſuſpenderit: oculoſque ingemiſcentis ad ea Pontificis, expoſito complures dies infelici ſpectaculo, euerberauerit. Ac poſtremò nullo
Cæſarem tantarum calamitatum ſenſu, grande pretium profano
tanquam ab hoſte perſolui à Pontifice pro libertate voluiſſe. Enimuerò haud dubitandum, quin eiuſmodi facinora, vt pleraque erant
Quibus pœnitẽdis electa ſolitudo. execratione multorum prædamnata, Carolus ipſe, ſicuti debebat,
agnouerit damnaueritque: ac eorum aculeo hærente deinceps in
animo, extremum illum vitæ actum placando offenſo Numini,
religioſus cetera Princeps ordinauerit. Quamquam non deerant,
qui Cæſaris mentem hic quoque haud in paucis abſoluerent: ac plerunque culpæ deriuarent in temporum ac bellorum neceſſitatem,
inque armatam multitudinem, cuius incitatum ſemel impetum
regere, non ſemper in vnius ſit manu. Atque hæc ferme, de Cæſare abdicante, ea tempeſtate, vt comperi, ferebantur, accepta hodieque aut reiecta pari ſtudio & ignoratione veri. Ego, etſi non
Probabilius, multas concurriſſe cauſas ſum neſcius, grandia conſilia à multis plerunque cauſis, ceu magna
nauigia à pluribus remis impelli; tamen non facilè mihi perſuaſerim, in Cæſaris animo magnam ſibi partem vindicaſſe aut fortunæ
commutabilis metum, aut alium quempiam leuiorem motum.
non tamen ſubitarias, aut indignas magnitudine animi Cæſaris. Siquidem annis ante obitum eius ferme decem, hoc eſt in ipſo victoriarum flore, in eo quod Auguſtæ condidit teſtamento, de hac 1548.
ipſa Regnorum abdicatione mentionem feciſſe conſtat. Quin etiam
exploratum habeo, ante hoc quoque tempus agitaſſe animo Cæſa- 1542.
rem,

1558 rem, depositis humanis curis, receptui aliquando canere. Idque cum Francisco Borgia Gandiæ Duce, qui postea Societatem Iesu est ingressus, vnicè communicasse, seuerè admonito, ne cui mortalium consilium hoc suum, quod requietem nactus à bellis aliquam exequi decreuerat, aperiret. Neque tunc, quum cessit Imperio Cæsar, eo res erant loco, vt illum fortunæ suæ magnopere pœniteret: expugnatis, paulo post solutam Metensem obsidionem, Teruana, munitissimo Belgici limitis propugnaculo, atque Hedino, veteri Artesiorum Principum aula: captis vtrobique, aut interemptis è Gallica nobilitate permultis. immo etiam pòst, in Italia contra hostium vires, Genuensibus assertâ, magnam partem, Corsicâ Insulâ: &, quod pluris habitum est, capta Senarum Vrbe, pulsisque inde, ac ferè omni Etruria Gallicis armis. Crediderim verò consilium, quod animo Cæsaris identidem recurrebat, hoc demum tempore maturatum: quo tempore super inualescentem morbum, (cuius vi exanimabatur interdum) audito matris obitu, instare propediem fatum suum, certa animi inductione, opinari cœpit: adeo, vt vocem audire matris ad se vocantis filium assiduè sibi videretur. Intendi[t]que opinionem Vesalius Imperatoriæ valetudinis moderator, qui vitam non sanè diuturnam, rara medentium libertate, præmonstrare Principi non dubitauerat. Itaque Cæsar, quod secum toties agitauerat, festinandum putauit, ne vrgente exitu præuerteretur. Auditusque est per eos dies, quum illam crebrò vocem iteraret Centurionis sui: (cuius mihi virtus notior est, quàm nomen) qui vetus multorum stipendiorum eques rebus humanis renunciaturus, quum missionem à Carolo peteret, isque noui consilij caussam exquireret, respondisse fertur, INTER vitæ negotia, & mortis diem oportere spatium intercedere. Quod scitum hominis dictum altè tum quidem insedit animo, quippe similia meditanti: dein verò, quando apparebant vitæ vltima, occupandum sibi duxit spatium illud, quod vltra nullum esset: vt in eo, posthabitis alienis, curaret aliquando sua, seque externis ereptum curis, repræsentaret sisteretque sibi, antèquam iniecta necessitatis manu ad Dei tribunal attraheretur tantus humanæ felicitatis reus. religioso ad id secessu opportunè delecto, vbi & à solitudine otium, & à loci sanctitate suffragium habere posset. Et sanè qui Cæsaris animaduertat aut magnitudinem animi immenso sese terrarum mariumque imperio exuentis, ne palmario quidem solo sibi reliquo: aut in susceptam semel vita inter ea claustra secretumque constantiam, toto illo biennio, quo victoriam sui extendit: aut sanctimoniam finis, in quem ille non incidit, sed intenta se meditatione composuit, quodque est difficillimum, in vita mortem ordinauit; profectò non leuem

Margin notes (left): 1553. Iun. mense. — 1553. Iul. mense. — 1554. — 1555. — 1555. — Andreas Vesalius.

Margin notes (right): Mortis timor præcipua fuisse videtur occasio festinandi propositum vetus. — Ad quod etiam adiutus ab aureo militis dicto. — Concluditur, à Cælo inditā hanc Cæsari mentem.

uem aliquam imparemque magnæ menti, ſed eximiè piam, ac planè de cælo fuiſſe cauſam initi à Cæſare conſilij coniectabit.

Prima noui Regis cura; SED quæ illacumque fuerit: Philippus ſub diſceſſum patris, noui Imperij adminiſtrationem exorſus, Mariæ Hungariæ Reginæ in ſuprema Belgij Burgundiæque præfectura ſubſtituit Emmanuelem *1556.* *Præfectura Belgij Sabaudo tributa.* Philibertum Sabaudiæ Ducem; qui præter ſanguinis coniunctionem, Carolo Patri magnam belli ſcientiam in ijs potiſſimùm prouincijs aduersùm Gallos ſæpe probauerat. Nec minus Philippo Regi vſui fuit egregia viri virtus, in ijs, quæ nouum illico Principem *Induciæ inter Gallum, Hiſpanumq; violātur.* excepere, bellis. Nam licet Henricus, & Philippus Reges, Cameraci, ſub anni huius initium, operâ Mariæ Angliæ Reginæ, pacti *Feb. menſe 1556.* *qua occaſione* fuiſſent inducias in annos quinque; occaſione tamen belli, quod inter Romanum Pontificem & Philippum Regem exarſit, circumacto nondum anno violatæ ſunt; culpâ ab Hiſpano in Gallum, ab hoc in Hiſpanum inuidioſè reiectâ. Henricus certè ſiue à Ca- *Thuan. l. 22.* rafenſibus ab bellum extractus, ſpecioſam Pontificiæ tutelæ cauſam libenter amplexus eſt: ſiue non tam cauſam, quàm exitum belli cogitans, haud temere ſibi perſuaſit, ſuperandum à ſe nouum inexpertumque armis Principem, cuius Patrem militiæ veterem, gentiumque domitorem vinci demum poſſe non vno documento *Dec. menſe 1556.* *Bellū in Belgio:* palàm fecerat. Iamque Galli ſuperatis alpibus, Guiſio duce, pro Pontifice militabant in Italia: & eodem tempore Belgium ingreſſi, *Franc. Lotarin. Guiſius.* Colinio ductore, Arteſiam vaſtabant. quum Philippus Rex (Alba- *Gaſpar Colinius.* no Duce res Italiæ ſtrenuè curante) ex vna parte incitata vxore *Ferd. Tolet. Alba Dux.* Angliæ Regina, vt Henrico bellum indiceret: ex altera iuſſo Phili- *In quo victor primùm Hiſpanus ad S. Quintinum:* berto Sabaudo, ſupremo armorum Duce in Galliam irrumpere; *1557. Iun. menſe.* eius viri ductu virtuteque memorabilem illam ad Sanctum Quinti- *1557. Aug. menſe.* num in Veromanduis victoriam reportauit: tanta ad cladis nuncium trepidatione totius Galliæ, vt quoniam nobilitatis pars maxima in poteſtatem Hiſpanorum eo certamine redacta, pars magna in Italiam profecta debilitauerat Regni vires; palàm timeretur, ne victor, ſi porrò pergeret in interiora, facilè ipſâ Lutetiâ Pariſiorum potiretur, dilabentibus inde ciuibus in proximas paſſim vrbes, *mox Gallus ad Caletum;* tamquam iam eſſet ad portas Hiſpanus. Sed Henrici iuſſu confeſtim reuocatus ab Italia Guiſius, armatoque ingenti exercitu, (quod promptum in Gallia populis referta, atque in arma ſoboleſcente) lætitiam Hiſpano protinus interturbauit. Nam capto ſumma celeritate Caleto, (quem portum, Galliæ portam appellare conſueuerant *1558. Ian. menſe.* Angliæ Reges: quo quamdiu potirentur, tamdiu geſtare ſe ſe è cingulo claues Galliæ dictitabant) quid quid Gallis ereptum ducentos per annos Angli feliciter obtinuerant in continenti ora; paucorum dierum ſpatio, Galliæ regno reſtituere, atque ad veteres termi-

1558 terminos intra Oceanum se recipere coacti sunt. Verùm breui redijt ad Hispanum belli fors. *iterū Hispanus ad Grauelingā:* Philippus enim Rex, quum bipartitum Gallorum exercitum numero in dies successibusque gliscentem, ac spe Belgium omne deuorantem animaduerteret; partitus & ipse bifariam copias suas, partem aduersùs Paulum Termum, veterem belli ducem, Flandriæ maritima prædis incendijsq; vexantem immisit, ductore Lamoralio Comite Egmontio, Belgarum fortissimo, qui apud Sanctum Quintinum Belgici equitatus Magister, momentum persanè magnum fuerat ad victoriam: Sabaudum verò cum reliqua exercitus parte obseruare voluit consilia Guisij Ducis. Et Egmontius quidem, collatis signis ad Grauelingam Flandriæ portum, strenuè feliciterque subegit hostem. Dum enim *Iul. mense* à veteranis vtrinque exercitibus, dubio aliquandiu marte, conseruntur manus, *non sine fortuna comitante virtutem.* inclinantem paululum Gallorum aciem inopinatus repentè casus planè perdidit. Naues Britannicæ decem illac fortè præteruehebantur: conspectâque procul pugnâ, ad ostium fluminis Haæ festinanter admotæ, Gallorum latera tormentis inuadunt, tempestatemque à mari, vnde sese inaccessos rebantur hostes, adeo improuisam, ideoque maiorem important, vt solutis peditum ordinibus, transmisso in equites metu, profligato vniuerso exercitu, vix è tanto dein numero superfuerit, qui nuncium cladis referret ad suos. Pars enim in certamine cæsi: Dux ipse, ac primarij ordinum ductores capti omnes: pars fugientium aut nantes ab Anglis in mare depressi, præter ducentos, quos ad Reginam viuos adducere visum est, tamquam testes operæ à se in pugna collatæ: aut ab agrestibus suarum incendia direptionesque villarum vlciscentibus crudeliter interempti. In quo & illud victis accessit ad ignominiam; quod eorum reliquias per ignota Flandriæ loca errabundas, *Mulierū rabies erga victos.* egressæ è pagis gregatim mulieres fustibus sudibusque, & (quod validius telum est) irâ armatæ ac furijs suis, inter probra ac maledicta miserè contrucidarunt: aliquos etiam comminutis in eos hastilibus, exquisita immanitate, velut Orpheum Bacchæ, vnguibus discerpserunt. Sic Henricus Galliæ Rex, quam fortuna blandiente respuerat pacem, geminata intra annum clade, cæsis veteranis cohortibus: &, quod caput est, captâ pleraque regni nobilitate, *De pace agitur inter Reges.* hoc est Gallicæ militiæ robore, non illibenter illam complexus est: & Philippus, Caleti ad Galliæ regnum accessione commotus, simul alternas belli vices expertus, eamdem pari studio suscepit. Ita enim vsu plerunque venit. ex collisis fractisque nubibus serenitas prodit: & SPES numquam maior affulget pacis, quàm quum seriò bellum geritur: satiatâ nimirum aut fessâ per cædes irâ. certè PRONIVS in gratiam redeunt perpessi armorum damna. Et

pacis

qua opera Christierni Lotharingæ confecitur. pacis quidem conciliatæ laus penes Christiernam Lotharingiæ Ducem fuit, mediam inter vtrumque Regem: quippe Philippi consobrinam, & recenti affinitate Henrico gratam. Neque inusitatum, eiusmodi fœdera pacesque sancire feminarum ministerio: quasi earum gratiæ plusculum dare, ciuile habeatur. Porrò nuncium pacis, *Cameraci in vrbe pacificatoria:* quæ in Cameracesiensi oppido, post longas disceptationes, aperiente se Vere prodijt, tanta Christiani orbis, tædio bellorum fessi, secuta est lætitia, *magna omnium ordinum lætitia,* rarò vt maiora memorentur indicia gestientium populorum. Nam qui hanc pacem cum illa conferebant, quæ inter horum Regum patres, ante annos triginta composita est, Principum quoque feminarum operâ, in Cameracensi vrbe, fatali nimirum sede pacificationibus fœderibusque firmandis; quia in eo fœdere complures prætermissi essent, non fuisse commune gaudium, & continuata per Italiam bella recordabantur. quum tamen hæc pax, Principibus Europæ omnibus æquè comprehensis, pari vbique nationes afficeret voluptate: simul ingenti spe diuturnæ inter Reges amicitiæ, *quam auget nuptiæ,* quod postea euenit, omnium animos impleret. Accessere & nuptiæ, firmamenta fœderum, mansura tamen inter Principes, quamdiu annuerit dominandi cupido, cui plerumque tenacius nubunt Reges. *Hispani Regis cū Galli filia.* Philippo (defunctâ superiori anno Mariâ Angliæ Reginâ) vxor oblata est ea, quæ Carolo Hispaniæ Principi pacta erat, Isabella Henrici Regis filia vndecennis: quam, quia ortus eius in tempus incidit pacis cum Anglo initæ, & nuptiæ occasione pacis cum Hispano celebratæ sunt, Principem à Pace cognominauere. *Et Sabaudi cum eiusdem Galli sorore:* Simul Henrici sororem Margaritam Emmanuel Philibertus vxorem accepit, vnà cum vrbibus, quibus illum patremque, trans Alpes ac citra, Franciscus Primus, & Henricus ipse spoliauerant. At nuptiarum hilaria numquam profectò Gallia peregit funestiori catastrophe. *In earū celebratione Hastiludiis:* Inter alios apparatus, equestris decursio indicta est, (Hastiludium vocant) atrox enimuerò voluptas, speciosumq; periculum: quo nec ludere credas, qui sic prælientur: nec præliari, qui demum ludant. gratum tamen Gallis ingenuumque spectaculum, quippe audenti bellicæque nationi. Iamque hippodromo in theatri speciem superbè constructo, ac flore hastatorum equitum referto, *in quo Rex Gallus palmā refert.* (namque ad huiusmodi ludos, totius Europæ hastas Gallia prouocauerat) vno alteroque die Rex ipse decurrerat palmari semper laude. Eòque gloriosior dum postridie, repetito tertiùm campo, contra suorum preces, cum prætorianæ cohortis Præfecto, galeâ præproperè non satis occlusâ congreditur, *Sed mox saucius* ab aduersæ hastæ fragmento apertam bucculam irrumpente, transfosso dextero oculo, ictoque inde cerebro, inspectantibus Reginis, regijsque liberis infelicem ludum, illico exanimatur. exceptusque accurrentium manibus,

Right margin notes: 1558 — *Cambresis* — 1559 — *Apr. mēse.* — *Car. V. & Frā. I. Aug. mens. 1529. Aloysia Reg. mater. & Marg. Cæs. amita.* — *Cambrai* — 1549. — *Gabriel comes Mongomerius.*

1559 nibus; totus ſanguine perpluens theatrum illud, quod modò lætiſſimis plaudentium vocibus implebat, ſubita conuerſione publicum in luctum ac lamenta mutauit. quintoque pòſt die, Princeps iuxtà *Moritur.*
2. Iul. bellicoſus ac pius, dignus vtique fato meliore, deceſſit. Simul ante oculos infinitæ multitudinis, quam ipſe ad funus videlicet ſuum ambitioſè conuocauerat, ad viuum egit extra ſcenam & fabulam, humanæ tragœdiam felicitatis. Fuere, qui hoc olim à Genethliaco, (vt hæ ferme vaticinationes poſt euenta promuntur) omnino prædictum affirmarunt: ſciſcitanti enim Catherinæ Mediceæ Reginæ ſuper ſuorum fato ex coniectore Gaurico, reſponſum ab eo fuiſſe, Capiti Regis imminere perniciem à duello. Addebant alij, ea ipſa nocte, quæ infortunium anteceſſit, à Regina viſam in quiete non obſcuram imaginem ſubſequentis cædis. Illud verò non ſine Diuini iudicij admiratione ſapientiùs obſeruatum eſt, Regem, qui in ipſo regni principio, ſerium duos inter iuuenes ex præcipua nobilitate duellum approbauerat, ſpectaueratque cum aulæ Proceribus; ludicro in duello vitam, regnumque funeſto fine terminaſſe. Quamquam & tunc pænitens facti, perſanctè iurauit, in poſterum ſe numquam in eiuſmodi certamina conſenſurum: & in hoc poſtremo ludo ſi quid vana virium oſtentatione peccauit, admirabili profectò religioſaque animi conſtantia in ſummis doloribus abundè redemit. Certè non parum ille in Gallia chriſtianæ manſuetudini contuliſſet moriens, ſi ludentem hanc feritatem ſecum vnà ſepeliſſet.

Lucas Gauricus. Thuan. l. 22.

Lud. Guicciar. l. 3. hiſt. Belg. Anonym. in hiſt. Belg. Thuan. l. 3. et 22.

Vidus Cabocius, & Franciſcus Vinomno.

Eius rei vaticinatio,

& Sapientum iudicia.

FVIT hoc ſanè tempus (vt pauca hæc hiſtoriæ ſuperaddam) continuato, ſi vnquam, obitu, plurimis maximiſque Principibus confatale. præſertim quòd nulla per populos contagione, quum rariora cernerentur plebeiorum funera; pleroſque tamen Europæ Dominos vnius circiter anni conuerſio tumulauit. Obiere Carolus Quintus Imperator, Henricus Secundus Galliæ Rex, Chriſtianus Rex Daniæ, & Daniæ itidem Rex Chriſtiernus, non plures vigintiquatuor diebus Chriſtiano ſuperſtes. Obiere quatuor Reginæ, Heleonora Caroli Quinti ſoror, nupta primùm Emmanueli Luſitaniæ, dein Franciſco Primo Galliæ Regibus: Maria Carolum Quintum fratrem, non totum poſt menſem inſecuta, & Angla eiuſdem nominis, & Bona Sfortia: hæc Sigiſmundi Auguſti Poloniæ Regis mater, illæ vxores Regum, Ludouici Hungariæ altera, altera Philippi Secundi Hiſpaniarum. Obiere Pontifex Romanus Paulus Quartus, decem Cardinalium funeribus comitatus; Septemuiri Auguſtales duo, Colonienſis, ac Palatinus: Venetorum Princeps Laurentius Priulus, atque Eſtenſis Hercules Dux Ferrariæ: præter minora Dynaſtarum nomina, quorum continuata funerum ſolennia impleuere anni faſtos. Planè vt ea tempeſtate mors demetendo maiorum gen-

Mira hoc anno continuatio funerum Principum virorum.

tium capita atque hominum apices, Superbum videlicet illum summa olim papauera decutientem imitari visa sit. Ergo Philippus Rex, constituta iam pace, ac Sabaudo cum coniuge in Italiam profecto, (neque enim ex conuentis quidquam immutauerat Henrici mors) antequam & ipse in Hispaniam, adeundæ Regnorum possessioni, se conferret; componendum sibi Belgarum statum cùm ciuilem militaremque, tùm etiam sacrum existimauit. 1559 *Tarquinius Rom. Rex.*

DE BELGIO.

BELGIVM, quod & *Flandria*, ab eius parte illustriore apud externos: & *Inferiores Prouinciæ*, à depressiore aliquarum situ: siue vt Germanis placuit, à linguæ morumque cognatione, *Germania Inferior* appellatur; portio quidem Europæ perexigua est, quippe quæ non multum excedat quintam Italiæ partem, nec vltra milliaria circiter mille ambitu protendatur. tamen haud scio, an facilè vlla sit vspiam regio aut ditior, aut frequentior: quum non minus fructuum è Belgio suo Princeps, quàm Angliæ Rex amplissima ex Insula (si demas Sacrorum spolia) percipere consueuerit: & vrbes in ea siue mœnibus clausæ, siue clausis magnitudine propemodum pares, supra trecentas & quinquaginta censeantur: pagi verò maiores vltra sex millia ac trecentos numerentur. vt nihil de minoribus vicis, arcibusque loquar, quibus supra omnem numerum, consitus est Belgicus ager. Iam hominum virtus, operum molitio, varietas, copia quantùm angustias Belgici tractus egreditur? Nusquam militia aut ingeniosior, aut affluentior, aut diuturnior. Planè vt aperto hìc ludo accurrentes vndique populos erudire Mars ad bellum videatur. Quæ verò ignota marium littora, quasue desinentis mundi oras scrutata non est Belgarum Nautica? Nimirum quanto illos natura intra fines terræ contractiores inclusit: tanto ampliores ipsi sibi aperuere Oceani campos, quos subigerent incolerentque, Belgij velut pomœria prolatantes. At lanificia atque texturæ non implent modò, quanta est, Europam; sed longè latèque per Africæ Asiæque populos circumferunt quotidie Belgium: ipsiq; ad occidentem Indi ex laneis ac lineis opificijs Belgicarum nomina vrbium didicere. Demum rara admiramur hodie machinamenta, quæ Belga aut non inuenerit, aut non absoluerit. Et verò fuerit olim, quum horum ingenia tamquam ex humilioris soli fato, depressa habebantur. Alia nunc ætas, & mores sunt. Litterarum curam, maris militiam, nauigationum quæstum, pecuniarum negociationem, Reip. quam ipsi sibi fecere, culturam, admiranda ignium aquarumque artificia, nempe ingenij non vtique depressi documenta, vix alibi paria, nusquam certè tam multa simul per reliquam Europam, quàm vno in Belgio quisquam viderit. Ceterùm hæc in vniuersum genti propria, si genio illis suo vti

Nomen. Magnitudo. Opulentia. Lud. Guic. in descript. Bel. Vrbes. Pagi. Militia. Nautica. Lanificia. Ingenium. Adrian. Iun. in sua Batauia Calo attribuit, sicut & alij.

1559 vti liceat: odisse fraudes, atque ex fide, qua ipsi digni, alios æstimare. *Mores.*
Gratiâ donisque non magnopere, neque in longum capi: plerunque beneficijs vtentes, ceu floribus tamdiu gratis, quamdiu recentibus. Eundem aduersus iniurias sensum esse, quarum memoriâ citò animum exuunt: nisi si contemni se videant, tamquam ex facili tolerantes; tunc enimuerò implacabiliter excandescere. Ad hæc vires suas metiri haud improbè: nec ferè concupiscere, quæ non capiant. quum tamen nulli mortalium, pari solertia, terram ac mare ad quæstum exerceant, vtriusque cultores elementi, atque incerti iuris. In hoc etiam perquam admirabiles, quòd quantumcunque lucrum iacturamue, quæ (vt in mercatura) persæpe faciunt, tam modico surdoque lætitiæ ac doloris sensu prætereunt, vt alienis interesse, non sua curare credas. æquitate opinor animi, ac cælo illos suo frigidius animante. At in libertate propugnanda calescunt plus satis. scilicet huic posthabere omnia gloriæ ducunt: licentiæ interdum quàm libertati propiores. Porrò hæc omnis Belgarum regio *Prouincia.*
diuisa est, eorum calculo, in prouincias omnino septendecim, haud ita à multo tempore affinitatibus, aut emptionibus, aut armis sub vnius imperio consociatas. *Quæ coiuerere in Principem vnũ tribus vijs.* Primus omnium è Burgundiæ Ducibus,
Philippus Bonus. Philippus fuit, in quem longè plures, quàm in quemquam ante illum coaluere Belgicæ prouinciæ. *Philippus Bonus auxit eas affinitate:* Namque Burgundiam, Brabantiam, Flandriam, Limburgum, Lucemburgum, Artesiam, Hannoniam, Namurcum, Hollandiam, Zelandiam, Frisiam, sacri Marchionatum Imperij, Philippus possedit vnus. *Meyer. l. 16 & Meter. Meyer. l. 17 & Meter.* Adiecit ad hæc
Carolus Pugnax. Carolus filius Geldriam atque Zutphaniam, primò emptas ex Arnoldo Duce, qui Adulphum filium, à quo sexennium carcere attinebatur, exheredauerat: *Carolus Pugnax emptione.* deinde mortuis Arnoldo Adulphoque, contra Adulphi filium armis acquisitas. *& armis.* *Pont. Eut. l. 1.* Sed Carolo Nancæa pugna interempto, bellumque aduersus Mariam Caroli vnicam prosequente Ludouico Vndecimo Gallorum Rege, Artesia, alijsque in Burgundia vrbibus imminutum est Belgij regnum. *Sed idē aliquas amisit:* Et quamquam earum partem Belgio restituit victor ad Guinegatam Maximilianus *Paul. Aemil. l. 10. & Pont. Eut. l. 2.* Archidux Austriæ, ducta paulo antè Maria vxore; *Maximilianus recuperauit partim armis,* tamen pace inter eum Gallumque inita, & Margaritâ Maximiliani, ac Mariæ filiâ Carolo Delphino desponsâ; Comiratus Artesiæ, atque Burgundiæ *Idem eodem l.* dotis loco ex Belgio auulsus tunc est. Verùm Margaritâ à Carolo iam Rege repudiatâ, post renatum ex eo bellum, Carolus in Ita- *Idem l. 5.* liam ad Neapolitanam expeditionem properaturus, pace cum Maximiliano, Philippoq; filio composita, Margaritam ac dotales prouincias Belgio reddidit, *partim ex conditionibus pacis.* *Guic. l. 1.* arcibus sibi reseruatis. quas successor Ludouicus Duodecimus in Mediolanum intentus vltro restituit. *Idem l. 4. & Belcar. l. 8* Quum verò rursum ad veteres Dominos abijssent Geldri Zutpha-

nijque, infestis Belgium armis impetentes, atque Vltraiectensem, 1559
Carolus V. Imp. omnes domum obtinuit. maximè agrum; à Carolo Quinto Philippi filio superatis Carolo *Pont. Eut. l. 11.*
Geldriæ, & Gulielmo Cliuiæ Ducibus, iterum belli iure acquisiti
sunt. Quin & ob sæpe factas belli hujus occasione impensas, Vltra- *Idem l. 9.*
iectensem, & Transisalanam prouincias Belgio Cæsar adnexuit: *Idem l. 11. & Meter.*
(sponte eas cedente Henrico Bauaro Vltraiectensi Antistite Domi-
noque) & Groningâ contra Geldrum assertâ: & Cameraco, & Ca-
meracesio ad Artesios adiectis, Belgicum imperium amplificauit. Ac
demum post Ticinensem victoriam, Belgicis prouincijs domi- *Francisc. Guicciar. l. 16. & Pont. Eut. l. 11.*
nijsq; è suprema Gallorum Regum, quam habuerant iurisdictione,
vti conuenit inter Cæsarem ac Regem, liberatis; omnium amplis-
simè potitus est Carolus Belgij principatu. Iam pleræque harum
quas dixi prouinciarum, sicut habuere suos aliquando seorsim Do-
minos, ita pòstquam etiam vni adactæ sunt; suas quæque leges,
Quæ ex eis regnũ facere cogitauit. propriumque ferme regimen obtinuere. Quam aiunt fuisse præ
ceteris causam, cur Imperator Carolus Quintus, quum maximè *Lud. Guic. in Belgio.*
cuperet hasce prouincias in regnum transferre, (id quod attentaue-
rat olim proauus eius Carolus Pugnax) à proposito destiterit: quòd *Meyerus l. 17.*
Cur abstinuit. videlicet moribus, linguâ, institutisque, &c, vt inter finitimos,
æmulatione discrepantes populi, ad vnam regiminis formam, qua
regnum constat, ægrè omnes coërceri posse viderentur: prouincia-
rum nullâ alij concessurâ, immigraturâue in alienas leges, tam-
DISTRIBVTIO prouinciarum. quam meliores. Hinc Belgarum Principi mos fuit, præter vrbium
Rectores, singulis prouincijs Præfectos imponendi, qui pro earum
consuetudine legibusque, Rempub. administrarent. Et grata Phi-
quarũ præfecturas Rex Proceribus attribuit. lippo Regi fuit occasio prouincias ordinandi, plerasque Guberna-
torum vacuas: quò Procerum virtutem superioribus in bellis sæpe-
numero spectatam, ea designatione remuneraretur. Delibauitque
propterea florem Belgicæ nobilitatis, nullo adlecto, quem non an-
tè aut Carolus pater, aut ipse Rex inter aurei Velleris sodales, in *an. 1546. 1556. 1559.*
Lucemburgum Com. Mansfeldio: eius ordinis comitijs, cooptassent. Ergo Lucemburgum, prouin-
ciam Lotharingiæ Galliæque obiectam, eòque cladibus suis, quàm
opibus clariorem, Petro Ernesto Comiti Mansfeldio, qui eam prius
administrauerat, commendauit. Erat is è Saxonia oriundus: ob
militarem scientiam, ac fidem Carolo Quinto Cæsari, ac Philippo
Namurcũ Com. Barlamontio: Regi peræquè carus. Lucemburgo proximum hinc Namurcum,
hinc Limburgum, perexiguos regionum tractus sed feraces, alterum
Carolo Comiti Barlamontio, regiarum partium cum quatuor pa-
Limburgũ Com. Ostfrisiæ: terni animi liberis studiosissimo: alterum Ioanni Ostfrisiæ Comiti *Frisia orientalis.*
Hannoniam Io. Lanoio: post hunc verò mortuum, Marchioni Bergensi: Rex attribuit. At verò Hannonia, Belgicæ nobilitatis seminarium,
Marchioni Bergensi non hoc tempore à Rege tradita est, quidquid
alij scribant, sed Ioanni Lanoio Molembasij Domino: quo sequenti
anno,

1559 anno, vitâ functo, Margarita Austriaca Parmensis, suprema Bel-
25. Mart. 1560. gij Gubernatrix, consulto per litteras Rege, eam prouinciam detulir
Molembasij genero Ioanni Glimæo Bergarum seu Montium, oppidi
Berghen. op.z.om. ad Somam fluuium, Marchioni, apud Carolum Cæsarem, atque apud
filium perquam grato. Flandriæ, (qua nullum aiunt in christia- *Flandriam atq; Artesiam Com. Egmontio:*
na Repub. nobiliorem potentioremque Comitarum) & Artesiæ
Flandris finitimæ, Lamoralium Gauræ Principem, Egmontij Co-
mitem, virum bello inclytum Rex imposuit. Huius porrò Flan- *Flandriã Gallicantem Io. Courrerio:*
driæ partem, quam Gallicæ linguæ vsu distractam à reliqua, Gal-
licantem vocant; Ioannes Momorantius: Tornacum verò vrbem, *Tornacũ, et Tornacesium Florent. Montinio:*
eiusq; iurisdictionem, Tornacesium, hoc est Flandriæ Gallicantis
appendicem, Florentius Momorantius: hic Montinij, ille Couririj
Dominus accepere. Hollandiæ autem, Zelandiæque, & qui Hol- *Hollandiã, Zelãdiamq; Princ. Orangio:*
Vtrecht. landiæ adiacet, Traiectensi ad Rhenum agro, prævalidis terrâ ma-
rique prouincijs, præfectus est à Rege Gulielmus Nassauius Prin-
ceps Orangij, primæ inter Belgas authoritatis, origine tamen ipse
Oueryssel. non Belga. Ad Frisiæ occidentalis, ac Transisalaniæ regimen Rex *Frisiã, et Transisalaniam Com. Arembergio:*
admouit Ioannem Ligneum Comitem Arembergium, fidei in Re-
gem, militiæque præclarum. Sed Geldriam, atque Zutfaniam, *Geldriam, atq; Zutfaniam tunc quidem nulli.*
quæ Geldriæ adnecti solet, quamuis hoc tempore distributas in-
ter Belgarum Proceres à Rege, vt ceteras prouincias, scribant om-
nes; res tamen se habuit, atque isti narrant, aliter. Nam Rex
Belgio discedens, neutram vlli Præfecturam demandauit. credo,
quod quum eas ambiret Hornæ Comes Philippus Momorantius,
qui ambas aliquandiu administrauerat: eique, vti credebatur, in
petitione aduersaretur Antonius Granuellanus Atrebatensium An-
tistes; Rex, qui huius quidem iudicio plurimum daret, sed tamen
alterum offensum spectare præsens nollet, in Hispaniam abijt, reli-
ctis absque Gubernatore prouincijs: tracturus videlicet in longum
Hornani spes, ac facilè etiam tædio petendi fatigaturus. Et verò is
fessus iam diffisusque sibi nomen mutauit, proque Montinio fratre
Præfecturas petijt, rogata Parmensi Gubernatrice, vt compositis ad
Regem litteris, causæ faueret. Quæ adiecit quidem inter aliorum *postea ab Hispania delatæ Com. Megano.*
25. Mart. 1560. nomina, quos commendatos Regi volebat, etiam Montinium; verùm
eodem tempore per arcanam epistolam Regi aperuit, vnum sibi ad id
muneris probari Carolum Brimæum Comitem Meganum. isq; con- *Sicut & Burgũdiã Prin. Orangio post mortem Vergij.*
tinuò prælatus est. Nec minus à vero aberrant, qui Orangio in hac
partitione assignatum à Rege tradunt Burgundiæ Comitatum, qui ad
Belgij Principem spectat: quum ei prouinciæ moderantem Claudium
Vergium Camplittæ Dominum Rex approbauerit firmaueritque:
nec nisi sequenti anno, quo Claudius diem obijt, Belgij Gubernatrix
16. Ian. 1560. scriptis ad Regem litteris, Orangio Burgundiam impetrauerit.

DISTRI-

Brabantia supremo Belgij præfecto seruatur.

ORDINATIO militiæ,

præsertim equestris:

cuius Turmæ per Europam celebres.

DISTIBVTIS in hunc modum prouincijs, (namque Brabantia nulli præter quàm Principi, ac Principis loco, supremo Belgij Præfecto paret) Rex componere est aggressus militarem statum; relictisq; in limite præsidiarijs Hispanis, ordinandæ equestri militiæ, quæ propriè Belgica est, animum adiecit. Eam vetustissimam perhibent, numeroque quàm nunc est longè ampliorem. Redegit ad tria equitum millia Carolus Quintus Imperator: sed auxit delectu nobilitatis atque virtutis. hastis, sclopetisque armauit omnes: eorumque vsu tantum in bello valuit, vt celebres per Europam ex eo canerentur Belgarum turmæ. Secutus patris exemplum Philippus, equitatui in quatuordecim signa distributo ductores totidem è prima nobilitate præfecit. nempe & quos memoraui Rectores prouinciarum (duobus exceptis, Couririo, Ostfrisiæque Comite) & Philippum Croium Arescoti Ducem, & Maximilianum Henninium Bossuuij, & Antonium Lalinium Hochstratæ, & Ioannem Croium Reusij Comites, & Henricum Brederodium è Bataniæ Comitibus; omnes, si hunc demas quem postremo dixi loco, torquatos aurei Velleris commilitones. Has autem ordinarias turmas è suis quamque locis promptas ad subitos belli casus euocare Princeps consueuit. & Rex ipse Philippus non aliud præsentius belli robur, & verè martiam legionem contra Gallorum fortitudinem expertus est. Ceterùm maris Belgici præfecturam cum regiæ classis imperio retinere voluit Philippum Momorantium Hornæ Comitem: Philippum verò Staueleum Glaioni Dominum, supremum rei tormentariæ Magistrum dixit: vtrumque belli ac domi clarum, eodemque tempore torquem aurei Velleris à Rege promeritum.

1559

Earum ductores.

Præfectus maris,

& rei tormentariæ.

1556.

ORDINATIO Episcopatuum:

qui tùc in Belgio non nisi quatuor.

Ideoque augere illos, votum multorum fuit.

Carolus V. manū admouere cœpit.

Cognomento Bonus.

SVPERERAT pars Reipub. quo nobilior sanctiorque, eo timidiore manu pertractanda. Septemdecim, quas memoraui prouincijs, populorum multitudine confertissimis quoniam quatuor Episcopi (neque enim plures tunc erant) nequaquam sufficere videbantur; augendum sibi Rex statuit illorum numerum. Id, vti comperio, agitauerat olim animo Philippus Burgundiæ Dux, Belgij Princeps, is qui equestrem aurei Velleris ordinem instituit. eamque moriens procurationem impensè commendauit Carolo filio, cognomento Pugnaci ab assidua tractatione armorum, quæ scilicet abstraxere aliò præferocis animi Principem. Nec maius otium Philippo fuit, Mariæ (quam Pugnax vnicam reliquit) & Maximiliani Austriaci Imperatoris filio, ob nouas regnorum curas, in quæ dotali iure immigrauit, ducta vxore Ioanna Ferdinandi Catholici herede. Et quamuis huius Philippi filius Carolus Quintus Imperator seriò idem percuperet, ac fila ad hanc telam aliqua submittere iam cœpisset;

1559 pisset; intercurrentibus tamen armis per prima Imperij turbamenta, sæpius interruptum est opus: ac nata per Europam Africamque *Cur nō perrexit.* alia continenter ex alijs bella, conficiendæ rei facultatem magis quàm mentem homini ademere. Nisi fortè segnior in eo factus est Cæsar, ne Georgio Austriaco patruo suo Leodensium Antistiti iurisdictionem contraheret imminueretque, nouarum Sedium institutione. Suprema tamen inter monita Philippo filio relicta, hoc *Philippus filius rem aggreditur.*
2. Ian. 1562. præcipuum fuisse, legi ipse in epistola, eiusdem Philippi manu ad Gubernatricem sororem scripta. qua *induci se*, Rex ait, *ad augendum eo potissimum tempore Pastorum numerum, quòd & multo in dies frequentius oppidis pagisque incoleretur Belgium: & hæresis è finitimis locis in ea consertim prouincias gradum faceret: & consilium imperiumque patris hæreret animo, qui hanc vnam esse rationem procurandæ in Belgio Religionis edocuerat.* Itaque Rex vbi primùm à bello nactus est otium, Francisco Sonnio Louaniensi Theologo, primariæ do-
1557. Philip. Melanch. Matthias Flaccus Illyr. 1558. ctrinæ viro, qui haud ita pridem Vormatiæ cum Melanchthone, Illyrico, alijsque super Religione, iussu Ferdinandi Cæsaris congressus fuerat, misso in Vrbem, vt cum Francisco Varga regio Legato consilium suum Paulo Quarto Pontifici aperiret: *Agitq; cũ Rom. Pontifice,* post aliquot menses, quibus in cœtu septem Cardinalium agitata res est; vti *ac transigit.* optauerat, impetrauit omnia: prono videlicet ad profligandas hæreses Pontifice, occasionemque gratificandi Philippo Regi nuper reconciliato nequaquam aspernante. Namque Belgarum vrbes, *Quatuordecim episcopatus designantur addendi ad quatuor antiquos:*
1559. Maio mense. in quibus sacræ nouorum Antistitum Præfecturæ figerentur, definitæ sunt numero quatuordecim, additæq; ad quatuor antiquas. Ac tribus earum Archiepiscopatus prærogatiuâ exornatis, videlicet *ex quibus tres Archiepiscopatus.*
Vtrecht Cameraco, Traiecto ad Rhenum, atque Mechlinia; hanc ceteris præferri placuit, rogatu Regis, qui vrbem in media sitam Brabantia, Bruxellisque, atque adeo Principi proximam destinauerat Antonio Perenotto Granuellano, ex Atrebatensi Ecclesia idcirco ad eam translato, quòd non procul à Regia hominem abesse, è re
Saluator Episcopus Clusin. publica videretur. Conceptum hac ratione diploma Pontifex Nuncio suo Saluatori Episcopo Clusino, & Francisco Sonnio in Belgium proficiscentibus tradit, qui quæ decreta erant, exequerentur: in alijs rebus ad iurisdictionis terminos censumque pertinentibus, pro sua ipsi prudentia è re consilium capesserent. Et Philippus accepta facultate nihil moratus, quæsitissimo delectu viros *Et viri ad has Sedes deligũtur.* ad nouas Infulas nominat, editis omnes voluminibus, probataque in Tridentino senatu virtute conspicuos. nempe quos & gauderet Pontifex pastores dare, & puderet populos non admittere. Quod verò differre profectionem suam Rex vltrà nollet; negotium definiendi nouis Ecclesijs certos limites, dotemque singulis attribuendi,

buendi, Granuellano Sonnioque committit: nam Pontificis Nuncius 1559
sequuturus Regem erat in Hispaniam.

De GVBERNATORE vniuersi Belgij:

IPSE interea conuocandis Gandauensem in vrbem Belgarum Ordinibus insistit: haud dubia multorum opinione, renunciandum esse in ijs comitijs à Rege supremum Belgij Præfectum, quasi in eam celebritatem consultò dilatum. quamquam alij dilationis caussam referebant in perplexum Principis animum, hæsitantemque, cui prouinciam demandaret. Quæ procrastinatio augebat in dies & numerum ambientium, & aliorum sermonem. Quorum multi prout familiares clientesue aliquorum erant, ita certos notosque destinabant, ac sua videlicet vota pariter alebant. plerique nulla priuata vtilitate, nec tàm alium, quàm aliquem nominabant: nimirum cupidine Rempublicam vel imaginarijs suffragijs attingendi: tamquam in partem curarum asciscantur, si & ipsi in demandandis prouincijs arbitrentur, locumque interea vacuum designatione sua occupent. Erat in oculis votisque Belgarum, Comes Egmontius, clarus militari scientia Princeps: manuque, siue inter hostes, siue domi equestribus in ludis decurrendis, librandoque ad signum sclopo, (à quibus magna genti existimatio) nulli secundus. Accedebat innata viri comitas, & (quod rarum est) innoxia nobilitati popularitas. Sed erat in primis recens ad Sanctum Quintinum victoria, cuius non exiguam sanè partem Egmontio deberi Rex palàm professus est: & recentior ad Grauelingam, Belgis adhuc aspersa hostili sanguine arma præferentibus. Qua in expeditione deducenda quantùm alijs ipse Proceribus præsertim Hispanis in exercitu prælatus inclaruit, tantùm & Belgico nomini gloriam apud exteras nationes, & sibi à sua beneuolentiam conciliauit. Planè vt Belgij Rector, si fauore militum, si consensu populi commostrandus esset, nemo vnus ante Comitem Egmontium haberetur. Sed altius inuectus, aurisque plusquam popularibus velificabat Orangius. Claritudo Nassauiæ domus, pares opes, Principatus Arausiensis nulli obnoxius, præter alios in Germania ac Belgio Dominatus: potentia magnam Septentrionis partem affinitatibus complexa; siquidem Iuliana mater, miræ fœcunditatis matrona, ex liberis potissimùm feminis, quas plurimas genuit, centum circiter ac quinquaginta nepotes, posterosque vidit. ad hæc propriæ hominis laudes, exsomnis animi vigor, consilij supra ætatem maturitas, spectata legationibus æquè ac bello virtus, Caroli Cæsaris de illo magnis in rebus adhibito liberale iudicium; hæcatque eiusmodi alia nonnè Orangio spem facerent eius Præfecturæ adipiscendæ, quam gentilis eius Engelbertus Nassauiæ Comes, centum ante annos administrauerat? Tamen de Philippi Regis animo non ab re veritus,

Margin notes: *qui à populo, more suo, variè designatur.* — *Egmontius in primis, magnis instructus laudibus,* — *& meritis.* — *Designatur & Orangius,* — *maiori opum ac potentia vi:* — *nec sine meritis* — *Orange.*

1559 veritus, ita petitionem diuidebat, curabatque, vt ad illud regimen, *sed nec sine repulsa metu.*
si repulsam ferret ipse, Christierna Lotharingiæ Dux admoueretur. cuius filiam quum ducturum se speraret, (id enim agebatur) intelligebat, apud socrum gubernationis titulum, penes se vim eius futuram. Et sanè nihil ad id muneris desiderari videbatur in Lotharinga: quippe Isabellæ Caroli Quinti sororis filiâ, & consobrini Regis gratiam recens promeritâ, ob pacem cum Henrico Gallorum Rege, conditionibus Hispano commodioribus conciliatam, eòque Belgicæ nationi gratissimâ. *Designatur & Christierna Lotharinga, cui suffragium ab omnibus.* Verùm dum per hæc atque huiusmodi multa, spes ac sermones in diuersum morâ protrahuntur; ecce tibi repentè nuncius affertur, aduentare ab Italia Margaritam Austriacam Parmensem Ducem, regendis Belgarum populis euocatam. *Præfertur tamẽ Margarita Parmensis.* Quod & si improuisò accidit: admirationi tamen haud fuit rectà æstimantibus. Namque ex vna parte pro certo habebatur, Regem eo vtique tempore, Belgij imperium nulli Belgarum facilè crediturum. Nec deerant quærentibus peculiares causæ. Comiti Egmontio præcipuè officiebat infausta Caroli Egmontij Geldriæ *Egmontio quid officeret.*
ab anno 1492. 1536. Ducis memoria: quem factione Gallum, hostemque Austriaci nominis indomabilem Carolus Quintus Cæsar leges accipere, eiusque
Guliel. Cliuus Dux. 1543. hæredem Geldriâ, Zutfaniâque cedere tandem coëgit. Et de Orangij religione quum varia homines loquerentur; enimuerò hæc vna suspicio satis erat, vt auersatus illum Rex numquam committeret Belgium in eius fidem ac manus, qui per affinitates ac dominia Germanis hæreticis implicitus, liberum illis iter in Belgarum prouincias aperire posset. *Quid Orangio.* Immo nec ipsi Lotharingæ magnopere contulit ad Præfecturam Belgij capessendam fama connubij, quo iungenda eius filia cum Orangio ferebatur. *Quid Lotharingæ.* Quamquam ei ad hanc rem multo plus obfuit inita cum Gallo nuper affinitas, Carolo filio Lotharingiæ Duce cum Claudia Regis Henrici nata in matrimonium collocato. Admonuerat enim Regem, vt aiebant, Granuellanus Antistes: Videret, ne huiusmodi Gubernatricis occasione, Galli Lotharingis immisti vltro citroque commeando, Belgium complerent. siue id Burgundus homo suaderet, ne Burgundis Lotharingi imponerentur veteres nationis hostes: siue potius quòd, quum propensum Regis animum in Margaritam Parmensem introspexisset, ipse quoque in illa anteponenda operam conferre suam, partemque gratiæ occupare festinaret. Et verò ex altera parte, vt hæc deligeretur, concurrebant oppidò multa. *De MARGARITA Parmensi.* Quæ dum expono, libet de Margarita toties mihi dicenda præfari aliqua, ortumque illius, educationem, ac reliquam vitam ante Belgicam administrationem paucis agnoscere. quando eorum, qui primarum partium memorantur in historia, non solùm res gestas exponere,

D sed

ſed etiam quantùm famâ excellant, quæque cuiuſque vita ſit atque 1559 *Cic. l. 2. de Oratore.*
natura, non omittere, hiſtorico præſcriptum eſt.

MARGARITA, prima Caroli Quinti proles, quadriennio antè
Mater eius. genita quàm ille vxorem duceret, matrem habuit eiuſdem nominis
Margaritam Vangeſtiam, (quod quidem ſerò innotuit) Ioanne
Matris parètes. Vangeſtio ac Maria Cocquamba nobilibus Flandris Aldenardæ
ortam. Quibus peſtilentiâ ſublatis, Margaritam quintum annum
agentem, quoniam Ioannes pater percarus fuerat Antonio Lalinio
& educatio. Comiti Hochſtratano, domi ſuæ Comes paternè ſuſcepit, eiuſque
coniux Eliſabetha Culemburgica vti filiam educauit. Adulta, vt
& forma. erat excellenti tum forma, tum quæ formam conſecrabat honeſtate,
compluribus expetita certatim ad nuptias, horum ſpes omnium diù
fruſtrata eſt obiectu caſtitatis intra religioſa clauſtra propediem
dedicandæ. Donec ad conuiuale tripudiantium oblectamentum, in-
ter nobilium feminarum choros adhibita, in eo nocturnæ licentiæ
laxamento, ſerò vtique ſenſit, quàm propè ſe ſe conſequantur, pro-
poni formam, & exponi pudicitiam, ſi præſertim locuples emptor
præſto ſit. Etenim quum feſtæ huic ſaltationi Aldenardam præter-
uehens intereſſet Carolus Imperator, Margaritam, quam Culem-
Inde Cæſari adamata. burgica ſecum adduxerat, ſpecie inter omnes pulcherrimam conſpi-
catus, decorem eius impensè laudauit apud comites, viſuſque
eligere, dum laudauit. Inde aſſeclarum vnus, ex illo videlicet auli-
corum genere, qui ad Principum gratiam non niſi malis artibus
aditum habent; puellam per tenebras dolo ſubreptam induxit ad
Margarita edita Cæſarem, ex eaque, hæc qua de loquimur, Margarita procreata
eſt. re complures annos iuſſu Cæſaris occultata, eam maximè ob 1522.
quam Cæſar occultam habet. cauſam, quòd quùm is ab eodem aulico fortè reſciſſet, inſudatum
ab illo, vt inferri ſe ad Cæſarem puella pateretur, ac non niſi in-
uitam, miniſque territam poſtremò deductam: indignatus ad ea
Cæſar, homineque peracriter increpito, etiam iuratus, ſi hoc ſibi
antè ſuboluiſſet, numquam profectò ſe virginem fuiſſe tacturum;
conſulit matris pudori, & ſuo. clam haberi partum curauit: quo matris pudori conſuleretur, &
famæ ſuæ, cuius haud ſanè prodigus eo in genere Carolus fuit, nec
labes ſuas cum pompa & ſcena produxit. Sed non diu arcanum la-
ſed denique reſcitur. tuit, ancillæ cuiuſdam garrulitate. quæ ob miniſterij neceſſitatem
conſcia, marito ſecretum aperuit: hic cum amico eâdem fide com-
municauit: (nam NEMO non aliquem habet, cui tantùm credat,
quantùm ipſi creditum eſt) atque inde ceu pluuia tectis excepta,
quæ ex vna in aliam tegulam imbricemque deuoluta, in publicas
vias demum ſpargitur; ita pluribus in conſcientiam clàm ſemper
adhibitis, quod ſecretum ſingulis erat, populo rumor fuit. Neque
mater, euulgato iam partu, ægre tulit & patrem publicari: quaſi
hone-

1559 honeſtatem conciliatura culpæ à tanto nomine. Et breui ex regia educatione patuit Auſtriaca ſoboles.

1522. MODERABATVR ea tempeſtate Belgium pro Carolo Cæſare eius amita Margarita, Maximiliani primi Imp. & Mariæ Burgundæ Filia. Huius in aulam transferri Cæſar infantem voluit, educarique ab illa, cuius ſub diſciplina Cæſar ipſa infantiam egerat. Et educata eſt huius in ſinu puella ad annum octauum, donec defuncta *Infans educanda traditur amitæ Cæſaris.*
1530. Gubernatrice, ſuſcepit eam Maria Hungariæ Regina Caroli Quinti ſoror, quæ morte Ludouici Regis vidua, regendis Belgarum populis admota eſt. Porrò in Mariæ amitæ mores immigrauit vſque adeo Margarita, vt non virtutes modò, quibus illa domi foriſque commendabatur, ſed eius etiam animi ſenſa, propenſiones, inceſſum ipſum, grauitatemque intenta imitationi puella feliciter exprimeret. Capiebatur venandi ſtudio ſummopere Gubernatrix, planè vt Venatricem vulgò appellarent, habituque venatricis expingerent: neptem videlicet Mariæ Burgundæ, quæ ab inſectandis feris numquam deſtitit, donec inter venandum equo excuſſa *Poſt hanc Cæſaris ſorori. cuius mores, & venationis in primis ſtudium mirè hauſit.*
1482. vitam amiſit, fato non tam ſuo, quàm Maximiliani mariti, cuius & vxor altera, Blanca Sfortia in venatione equo decidit, obijt-
1496. que. Eiuſmodi autem ſtudium arripuit tam auidè, in eumque laborem durauit adeo membra decennis non dum puella, vt amitam per ſaltus campoſque ſequeretur impauida, accedentibus deinde annis educatricem ſuam facilè præitura. Erat tunc Alexandro Mediceo Florentiæ Duci pacta ſecundis ſponſalijs Margarita: prima enim cum Hercule Ferrariæ Principe ſucceſſu caruerant. Nam Cæſar vt Alphonſum Herculis patrem à Gallicis partibus, ad quas illum magnis conditionibus attrahere Clemens Septimus conabatur, auerteret; iiſdem conditionibus hominem aggreſſus, confir- *A Cæſare ſponſa datur Ferrarienſi Principi.*
1526. mato illi Mutinæ Rhegijque dominatu, Margaritam filiam annos quatuor vix dum egreſſam Herculi eius primogenito ſpopondit. Et ea ſponſione Cæſar auertit quidem à Gallis, vt tunc opus habebat, Alphonſum: ſed illo non multò pòſt ad Gallicas partes retracto, Herculiſque nuptijs cum Renata Ludouici Galliæ Regis filia *quæ ſponſione reſciſſa,*
1529. celebratis; Clemens Pontifex reconciliatus Cæſari, inter alias fœderis leges cum eo tranſegit, vt Cæſareis armis Alexander Mediceus (eius Laurentij filius, quem Leo Decimus Vrbini Ducem, eiecto
Francisc. Maria Feltrius. Feltrio, creauerat) admoueretur ad Florentiæ Principatum, firmandæque nouæ ſcilicet dominationi Margarita Cæſaris filia eidem in matrimonium deſtinaretur. Quibus à Cæſare conditionibus libenter admiſſis, partim caritate in Pontificem, cuius iniuriam obliterare eo beneficio videbatur: partim odio in Florentinos, qui Lotrechiano fœderi contra Cæſarianos populariter inſerti ciui- *deſtinatur vxor Florentiæ Duci.*

D 2 tatem

tatem ſuam clientelæ Galli Regis addixerant ; Alexander impoſi- 1559
tus quidem eſt Florentinis libertate illico exutis : nuptiæ tamen non niſi ſeptimo pòſt anno peractæ ſunt, Clemente iam mortuo. *contra nitêtibus Florentinis.* immo parum abfuit, quin per occaſionem ſublati Pontificis interturbarentur à Florentinis aliquot patricijs, qui ex ea ſeptennij mora nutantem Cæſaris animum interpretati, magna ſpe, ac promiſſis ingentibus egere, ne is Alexandrum ſibi generum aſciſceret, ſed ciuitatem libertati redditam vni parêre Cæſari pateretur. Sed ipſe obligatam viuo Clementi fidem, ſuperſtitem ſeruare mortuo, *Quibus non exauditis,* conſtantiæ famæque duxit: præſertim quòd ſuſpectam haberet ciuitatem ad Gallicum nomen ſubinde reſpicientem: nec ignoraret, FACILIVS beneficio capi ſingulos, quàm multitudinem: ac SPARSAM in commune gratiam ab omnibus accipi, reddi à nemine. Ita- *Nuptiæ Neapoli celebrantur:* que accitis Neapolim Alexandro ab Etruria, atque à Belgio Margarita, quæ magno inuiſendi Patris ſtudio è Tunetano bello reducis tenebatur, nuptiæ in ſumma omnium ordinum frequentia, militaribuſque Ducum ludis, in quibus Africano armatus cultu Cæſar ipſe decurrit, Bacchanalibus ferijs celebratæ ſunt. At Flo- *mox & Florêtia.* rentiæ exceptâ regio apparatu Margaritâ, dum nuptiarum ſolennia 1536.
repetuntur, inter connubiales epulas deficiens magna ſui parte re- *ſed omine non bono;* pentè Sol conuiuas exterruit: idque prodigij loco habitum eſt multis, qui nimirum ſtatim illum rerum ægrè intuentes, eòque votis ſuis cælum attemperantes, lucis defectum cum fortuna Principis breuì occaſura componebant. Nec coniectatio illos ſua falſos ha- *Interficitur Alexander primo nuptiarũ anno.* buit. Alexander enim quantùm Cæſaris affinitate prætumidus, tantùm in mulierum amores incautè atque impotenter effuſus, fruſtra euitatis aliunde inſidijs, à Laurentio Mediceo propinquo, ac voluptatum eius conſcio, qua delectabatur eſca, facilè captus: atque in ſpem, ſiue ſpeciem liberandæ patriæ, ſeptimo Principatus *cuius ſucceſſor Margaritam ſibi vxorem poſcit* anno, nuptiarum euoluto nondum primo, eſt interfectus. Inde ſucceſſor Alexandri Coſmus (nam Princeps ea cæde, non Principatus ciuitati ademptus eſt) nihil prius habuit, quàm vt ſupplex 1537.
à Cæſare. à Cæſare Margaritam ſibi coniugem expoſceret: magno futuram adiumento nouæ nutantique potentiæ. Sed Cæſar, qui ex filiæ nuptijs emolumentum facere decreuerat, deuinctis iam ſibi Mediceis, in quorum familiam patriæ Principatum inuexerat: & Coſmo ipſo recèns obſtricto, ob confirmatum illi, contrà quàm mul- *qui oculos in Farneſiam domum conijcit,* ti moliebantur, imperium; in Farneſiorum regnatrice tunc domo generum quæſiuit, Margaritâ in matrimonium collocatâ cum Octauio Pauli Tertij nepote, per eos dies in loco defuncti Vrbini Ducis, Præfecto Romanæ vrbis, mox & Camertium Duce creato. *Franciſcus Maria Feltrius.* Et commodum ad eam rem colloquium fuit inter Carolum

Cæſarem,

1559 Cæſarem, ac Franciſcum Regem, Nicææ initum, Pauli Pontificis
operâ: in quam Paulus vrbem ſe contulerat ad illorum controuer-
ſias aliqua tandem ratione finiendas. Nam vt Princeps vterque
aſciſcere ſibi Pontificem ſtudebat veteri prudentia opibuſque præ-
ualidum, eòque ingens haud dubiè momentum, in quam ſe daret
ille partem, allaturum; ita Pontifici ad ſuorum commoda peratten-
to promptum vtique fuit, cum Cæſare de matrimonio nepotis agita-
re: præſertim quòd gliſcente in dies metu à Solimani claſſe, vtriuſ-
que intererat, affinitate adſtringi fœdus inter eos, Venetamque
Rempublicam paulò antè conceptum. Et quidem Cæſar vſque
adeo propenſum Pontifici oſtendit animum, vt nepotem eius non
modò Florentiæ Principi nouis tunc legationibus idem expetenti,
alijſque in eamdem ſpem erectis facilè prætulerit: ſed etiam matu-
ratis non multò pòſt nuptijs, iungi cum Octauio filiam voluerit, *traditque filiam Octauio Farneſio.*
quamuis non ſatis eo tunc coniugio lætam, immaturæque adole-
ſcentulum ætatis aſpernatam. Itaque feſtiuè ſuum illa fatum ap-
pellabat, vt numquam ſibi conuenerit cum maritis. aut enim duo-
decennem puellam viro vigeſimum ſeptimum annum agenti, aut
adultam puero tredecenni ac prætenero innupſiſſe. Et primis annis *cum quo Margarita non ſatis conuenit à principio.*
manſit ei aliqua à marito abalienatio, non tàm contemptu ætatis,
quàm aulici operâ ex longo ſeruitio in familia dominantis. qui
odio non ſuo Farneſijs infenſus, modò primos puellæ in Alexan-
drum maritum amores ſuſcitando, modò Caroli patris aduerſus
Pontificem querelas extollendo; alere domeſticas offenſiones crede-
154[illegible] batur. donec illo amoto, & Octauio Cæſaris militiam ſecuto, Mar-
garitæ immutatus eſt animus. Etenim abituro in Africam Cæſari *ſed poſtea carior ei factus ab abſentia:*
è Lucenſi vrbe, in quam indicto colloquio Paulus Pontifex adue-
nerat, adduxeratque Octauium & Margaritam; etſi Paulus Alge-
rianam expeditionem neutiquam probabat, tradidit tamen Octa-
uium in eam belli aleam, ac fortunæ Cæſaris commendauit, deuin-
cturus oblato eo pignore Cæſarem, ſimulque Margaritæ in animo
deſiderium viri ex abſentia ſtimulaturus. Et ſanè vbi re infeliciter
cum mari potius quàm cum Mauro geſta, Cæſarianæ cladis rumor *& à periculo.*
omnia peruaſit: ac Cæſarem, (quòd è naufragio redeuntibus na-
uium reliquijs, nuſquam ipſe appareret) nullum iam eſſe Romæ
credebatur: erantque, qui triremem, in quam conſcenderat Octa-
uius, viſam quum pelago hauriretur, pro certo memorabant: ha-
bebaturque fides, quoniam poſt auditam Cæſaris incolumitatem,
de Octauio nihil adderetur; enimuerò pupugit hoc in primis ani-
mum Margaritæ: intenditque amorem commiſeratio adoleſcentis,
quaſi fugiens vxoris inclementiam, ſibi in ea ætate atque fortuna
fatum accerſiſſet. Quin vbi illum viuere, ſed mortifero apud ſoce-

rum

rum morbo decumbere nunciatum est; spes iuxtà ac metus amorem 1559
commiserationemque redintegrauere: donec biennio pòst, quo tempore ab armati Cæsaris latere numquam ille discessit, Romam rediens, ab ea quoque mora, ac longo in socerum obsequio commendatus, haud facilè dictu est, quo studio & caritate vxoris

creuitque amor. exceptus, cultusque fuerit. Enixa verò haud ita post multò, rara 1545. vide lib. 9.
omnino felicitate, geminam virilem prolem, quanto ipsa perfusa est gaudio, aucta præsertim eodem tempore Parmæ Placentiæque

non sine aliqua dissentiuncula. Principatu, tanto exinde amore complexa est virum, nisi quòd, vt erat dominandi persanè cupida, eòque diuisum cum viro imperium ægrè ferebat; ità dissensiones inter eos aliquando subortas,

Virilis eius animus: implacabiliùs recondebat. Et verò aderat ei non modò animus muliebrem conditionem supergressus: sed etiam habitus quidam

corporis quoque habitus planè virilis, corporis incessusque, quo non tàm femina sortita viri spiritus, quàm vir ementitus veste feminam videretur. Quippe vires illi tantæ, vt venari vel ceruos mutatis ad cursum equis consuesset; cuiusmodi venationi homines perquàm robusti succumbunt. Nec deerat aliqua mento superiorique labello barbula: ex qua virilis ei non magis species, quàm authoritas conciliabatur. Immo, quod rarò in mulieres, nec nisi in prævalidas cadit, podagrâ iden-

Ingeniū ei promptum, tidem laborabat. Ceterùm ingenium ei promptum ac præsens, interque agendum, velificationis in omnem partem obliquandæ

mirè solers. mira dexteritas. quippe cuius adhuc primos ætatis annos occupauerat Belgica Reginarum educatio: inde Mediceorum aduersa adolescentulam erudierant: tum verò grandem adultamque Farnesiæ aulæ disciplina, ac vetus illa Pauli Tertij schola planè perfecerat.

pium, Porrò ad pietatem magno sanè magistro vsa est, Ignatio Loyola Societatis Iesu fundatore: apud quem expiare à noxis animum, idque crebriùs aliquantò, quàm ea ferrent tempora, consueuit. Ab

præsertim erga sacrosanctā Eucharistiam: illo authore hausit erga sacrosanctam Eucharistiam religionem vtique singularem, ac planè Austriacam. Ob eam causam singulis

in quam impensa quotannis opera. annis, tum in sanctiori hebdomada, duodenis pauperibus puellis pedes (quos à sordibus purgatos ante vetuerat) abluebat: exceptasque dein conuiuio, ipsa epulas inferente, veste auroque donatas dimittebat. tum in altera lætiori eiusdem Corporis Domini celebritate, aliquot ex egentioribus virgines dote liberaliter attributa, honesto nuptu collocabat. tenuitque vtrumque dum vixit. Hac

Hæ bonæ artes prima fuere causa, cur ei cōmissum Belgium à Rege: igitur institutione, atque hisce dotibus Margarita valuit apud Philippum Regem, vt is sorori ingentis animi feminæ, regnandique artibus imbutæ facilè committeret Belgium. Præterea recensebat

altera causa: memoria Caroli patris, cui quum Rex sciret perquàm caram fuisse Margaritam, sibique suprema morientis contestatione sollicitè

commen-

1559 commendatam; eo videlicet honore satisfactum & patris voto, & filiæ meritis existimauit. Accedebat & spes, Belgarum populos pro studio, quo Caroli Quinti nomen prosequebantur, lætis vtique animis excepturos Cæsaris filiam, præsertim apud eos natam educatamque, ac moribus eorum innutritam. ideoque regimen eius apud populares suos longè mollius euasurum: quum SVBIECTIS populis pars libertatis videri soleat, à suorum aliquo gubernari. Et fortasse Rex in demandanda Principi feminæ præfectura idcirco Belgis liberaliter obsecundabat, quod speraret, ea quæ illis imponere meditabatur, posse à facilitate regiminis leuiora reddi, ferrumque molli velut à manu indolentius infigi. Sed præter has causas, quarum pleræque palàm ferebantur; aliæ in occulto erant. Aduenerat iampridem in Belgium Octauius Farnesius Parmensium ac Placentinorum Dux, operamque suam supremis in prælijs contra Gallos miles honorarius exhibuerat. Rediturus in Italiam, Philippum Regem, cui Alexandrum filium tradiderat, impensè rogauit, pro restitutione Placentinæ arcis, quam adhuc obtinebat Hispanum præsidium. Rex certus tunc quidem non assentiri, ne tamen offensum à se dimitteret Principem, quem & in Italico pridem bello fidum vtilemque Hispanarum partium Ducem expertus erat aduersus Herculem Gallicis armis præfectum: & cuius Cisalpinas regiones Hispano habere nomini obsequentes permagni faceret: in Margaritam eius vxorem, (re cum ipso prius Octauio communicata) quasi in eius gratiam contulit Belgij Burgundiæque administrationem. ratus dum prouincias sibi præ ceteris caras, anxièque habitas in Farnesiorum manus per absentiam suam traderet, eo nimirum fiduciæ atque adeo beneuolentiæ argumento illos paulùlum quieturos. Neque aspernatus est, quod dabatur Octauius. immo, vt plerunque PRÆSENS beneficium gradus est futuri, sperauit illo gubernationis vinculo Regem quotidie magis sorori, ac Farnesijs adstringendum. Neque Rex eam Farnesiorum spem imminutum ibat, quam vtique sciret, intentiori Belgarum regimini profuturam. Quantùm enim Gubernatricis operam Belgio perutilem intelligebat, ob eius cum prudentiam, tum Religionem: tantùm habere illam pluribus quasi nexam habenis, aptamque ab se se gaudebat. Itaque non contentus attinere apud se Alexandrum eius filium, quo tamquam aliquo freno matrem regeret; eòdem pertinere duxit, si Placentinæ spem arcis ostentaret: haud ignarus, ANIMOS aliquorum arctius teneri beneficio vel vno accipiendo, quàm acceptis multis.

tertia causa.

quarta occultior, & fortasse verior.

DESIGNATÆ Gubernatrici, iamq; Belgium ingressæ profectus obuiàm Rex cum Octauio Parmensi Duce, cum Alexandro eius filio,

Margarita Belgiũ ingreditur;

lio, Oratoribus Principum, cum prouinciarum, qui ad comitia Ordinum aduenerant Legatis, ac reliqua nobilitate: postquam sororem pro se Gubernatricem Belgij Burgundiæque salutatam, Gandauum ingenti pompa reduxisset: ordinatis, quæ apud illam essent, Imperij, Iustitiæ, atque Ærarij consilijs; hæc potissimùm præcepta dedisse comperio super eorum vsu. Senatores in eam legem adigeret, vt quæ sententia in senatu præpotuisset, eam vti meliorem tuerentur extra curiam etiam ij, qui contra sensissent. Addebatque caussas, Ne videlicet subortæ, vti fit, in dicendo altercationes, senatum egressæ perpetuas inter authores fouerent inimicitias: ac præterea ne facilè internoscerent ceteri, quò gratias, quò querelas dirigerent. Ex quo id commodi secuturum, vt & odio, quod plerunque in singulos destinari, non autem sumi, certè non exerceri solet contra vniuersos; minus flagrarent in commune senatores: & in dicenda sententia tanto libeтiùs sequi rectum æquumque possent, quanto minus ab eo deflectere illos coëgerit spes, aut metus. Alterum fuit: vt, si quando Gubernatrix animaduerteret senatores aut factionibus scissos, aut collatis antè capitibus coniuratos; omissa tunc consultatione, seorsim ipsa sibi consilium caperet, paucis adhibitis: quos esse Rex voluit Granuellanum Atrebatensem Antistitem, Carolum Comitem Barlamontium, ac Viglium priuati consilij Præsidem. isque arcanus senatorum congressus Consulta est appellatus. Immo si fortè repentinum quid ingrueret, cui definiendo tardum atque anceps foret senatum vniuersum cogere, audireque; referret ad hunc senatulum Gubernatrix, in quo & ocyùs, & plerunque prudentiùs singula explorarentur. Namque inter paucos pauciora esse aiebat priuata compendia: nec tamen inter paucos minorem esse, si delecti illi fuerint, sapientiam. Accedere, quòd remoto eo theatro conspectuque multorum, subducitur magna ex parte occasio ambitiosè declamandi, sententiæq; mordicus asserendæ. quippe SINE scena atque admiratore, frigidè partes suas agit ambitio. atque adeo minori pompa, fructuque maiori momenta rerum procul à turba conferuntur. Denique in ijs congressibus, in quibus, quia par est omnibus ius, licet impar sapientia, plurium suffragatione superatur; perquam facilè esse, (vt in multitudine) inueniri non paucos aut imperitos, aut dubiæ fidei: quorum quum numerus sit ineundus, non autem rationes expendendæ, plures vtique, non meliores præualituros.

ERGO instructa in hunc modum Gubernatrice, prouentu illi annuo triginta sex aureorum millium attributo, publicam aucturus gratulationem Rex, in ijs Gandauensibus comitijs Sodales aurei Velleris in eorum, qui decesserant, locum vndecim creauit: tot enim

Margin notes: 1559 — *Gubernatrix salutatur:* — *Præceptis à Rege instruitur.* — *Consilia Status, Iustitiæ, et Finantiarum.* — *Quid senatoribus post dictam sententiam seruandum extra senatum.* — *Caussa huius moniti.* — *Quid in conuocando senatu spectandum Gubernatrici.* — *Vlricus Viglius Zuichemus.* — *Plures huius caussæ.* — *Post præcepta, auro annuo instruitur à Rege.* — *Qui in comitijs Equites aurei Velleris creat:*

1559 enim deerant ad vnum & quinquaginta, ad quem numerum extenderat equestrem hanc militiam Carolus Quintus. quum eius institutor Philippus viginti quinque collegis ordinem circumscripsisset initio, postea sex additis, ad vnum ac triginta produxisset. Postremò agere cum Ordinum procuratoribus, eorumq; audire postulata Rex instituit. Regis nomine Granuellanus Antistes verba fecit: Borlutius Gandauensis Orator pro Ordinibus respondit. Granuellanus rationem regiæ in Hispaniam profectionis reddidit: Margaritam Parmensem Ducem (assidebat tunc apud Regem) Belgij Burgundiæque amplissima cum authoritate Gubernatricem pronunciauit: de veteri Religione aduersus corruptores hæreticos multa disseruit: huius apprime custodiam, simul obsequium erga Regis Sororem, dum rediret in Belgium Rex, accuratè commendauit. Borlutius verò, post officia gratiarum promissorumque erga Regem, erga Gubernatricem; hæc præcipuè prouinciarum postulata proposuit: Orare Ordines, vt Caroli patris exemplo peregrinos milites Belgio Rex educeret, præsidijsque non nisi Belgicis vteretur; atque ad earum consilia prouinciarum externos homines non adhiberet. Quorum quum spem fecisset Rex, pollicitus peregrinos milites, qui superessent, (nam à plerisque iam Belgium liberauerat) educturum se intra menses omnino quatuor; absolutis comitijs, rebusque per Belgium omne procuratis, Gandauo in Zelandiam discedens, è Flissingæ portu, secunda nauigatione, Augusto Mense soluit in Hispaniam. Simul Parmensis Gubernatrix, atque Sabaudus Regem comitati, hic cum regia sponsa in Italiam abijt: illa Bruxellas veterem Belgicorum Principum sedem profecta, Septembri mense huius anni quinquagesimi noni supra sesquimillesimum, ad prouinciarum regimen aggressa est.

Marginalia (left): an. 1516. — 1429. — 1433. — an. 1558. & 1559. — Emmanuel Philibertus.

Marginalia (right): Gubernatricem pronunciat: — Religionē & obedientiam commendat. — Audit Ordinum postulata: — annuitque; — & abit in Hispaniam: — Sabaudus verò in Italiam; — & Margarita Bruxellas.

DE BELLO BELGICO LIBER SECVNDVS

Regis discessus incommodus rebus nondum firmatis in Belgio.

PHILIPPI Regis è Belgio discessus nouo illi rerum statui perincommodus accidit. Nimirum quælibet ciuitatum regnorumque mutatio, velut arbusculæ positio aut translatio, præsenti cura opus habet, dum comprehendisse, egisseque altiùs radices animaduertas. Neque ego dubitauerim, quin longè meliùs consultum Belgio fuisset, si Rex (modò necessitates Hispaniæ permitterent) aliquandiu cunctatus, quem cursum haberent res à se dispositæ, spectasset ipse, motumque quem orbi illi dederat, obseruasset è propinquo, & non tantummodo ex aliorum sermonibus ambiguè cognouisset. Mutat enim plerunque saporem longis varijsque sub terram spatijs decurrens aqua; nec de illa perinde iudicat longinquus potator, atque is qui ad aquæ caput assidet, hauritque de fonte. Sanè liquidiùs ac sinceriùs introspexisset in hominum consilia Princeps, eòque minora fuissent ea mala, quæ ab eius discessu magnis diuturnisq; tumultibus inuoluêre Belgium. Atque vt Carolo patre ad coronam Imperij capessendam profecto in Germaniam, Hispani sumptis in Gubernatores armis continuò rebellarunt: ita Belgarum Populi digresso in Hispaniam ad ineundam Regnorum possessionem Philippo Rege, intestinis illico discordijs inter se Præfectosque suos diu agitati, scissis aliquando Prouincijs à Principe desciuere. Quorum ego malorum causas in præsentia narraturus, fateor nusquam me tumultum, bellumue aliquod legisse, cuius de origine tam variè dissimiliterque vulgus senserit, scriptores differuerint. Credo, quòd aliqui quum eas, quæ ferebantur huius belli causæ, viderent longè impares esse tantis rerum motibus excitandis, ipsi suspicati sunt alias atque alias, ad historici ingenium, quàm ad historiæ fidem aptiores. Alij pro studio partium ac religionum habuere delectum causarum: ijs nempe silentio callidè transmissis, quæ rebus suis officere videbantur. Alij demum non tàm vt lectorem fallerent, quàm falsi ipsi deceptique earum specie causarum, quæ obtentui habebantur, ignari quid à principijs differant causæ, veram sub ijs nominibus dissidiorum originem non

Simile in Hispania damnũ absente inde Carolo V. in Germaniam. 1520.

Causa scriptorũ dissentientiũ de principijs tumultuum Belgicorũ.

Ingenij ostentatio.

Studia partium.

Ignoratio discriminis inter principium, & causam.

non expediuere. Quum tamen id historico in primis incumbat, vt quæ pacis belliue, aut seditionum principia, quæ horum causæ siue origo fuerint, & internoscat ipse, & lectores opportunè submoneat: ne illi perperam de factis euentisque rerum, ignorato principiorum & causarum discrimine, iudicium ferant: quæque est magistra prudentiæ, fiat illis erroris occasio. Neque enim otiosè altercati sunt veteres annalium scriptores; Vndenam belli, quod Hannibale duce Carthaginienses cum Populo Romano gessere, origo repetenda esset. quando referre perplurimum existimabant, vt, qui ea Romanorum Pœnorumque facta lecturi erant, in amborum consilia penetrarent, æqua inducerent rerum iudicia, longèque aliter & fœderum sanctiones, & Legatorum querimonias, & vniuersi iura belli metirentur. His ego magnis exemplis admonitus operæ pretium duxi, non antè aggredi ad Belgicos tumultus longè Punicis diuturniores, quàm eorum causis, atque principijs partitè accuratèque inuestigatis. Præsertim quum in re litteris multorum ac sermonibus diuersè arbitrata, ipse ob magna ac propria ad hanc enarrationem adiumenta, possim exquisitius aliquid ac certius polliceri. Haud dubium est, quin libertas, cui aliquandiu populi assueuerint, si quid eis imminuitur & carpitur; magnos plerunque motus excitauerit. Nec illud est obscurum, Belgarum administrationem propè accessisse ad ciuitatum liberarum formam, beneficio Principum, qui multis liberalibusque diplomatis eos populos & si non tota libertate donarunt, magna saltem parte seruitutis exemerunt: præcipuè Brabantinos, in quorum prouinciam scimus transferre se solitas è vicinis locis parituras mulieres, vt Brabantinas immunitates filijs eo solo genitus acquirerent. crederes ab agricolis eligi plantaria, in quibus enatæ arbusculæ, primoque illo terræ velut ab vbere lactentes, aliò dein secum auferant dotes hospitalis soli. Hinc malorum originem auspicantur scriptorum multi, Quòd miles Hispanus contra Regis promissa tamdiu retineretur in Belgio: quòd nouis quatuordecim Episcopis ad pristinos quatuor adiunctis, augeri videretur, contrà quàm ex prouinciarum priuilegijs debuit, Sacerdotalis status: quòd conatu inducendi nouos Fidei Quæsitores, insolens iudiciorum forma Belgarum populis imponeretur. Quæ quatenus fuerint seditionum seu principia, seu causæ, in præsentia mihi cum discrimine & cura statuendum est.

Quod discrimen tenēdum in primis historico. *aperiendumque.* *Sic fecere prisci ac boni.* *Fab. Pict. in Annal. T. Liu. l. 21. Polyb. lib. 3.* *Quorum sequi exempla haud difficile ab arcanis Principū litteris instructo.* *Libertas Belgarum magna.* *Lud. Guicciar. in descript. Belg.* *ex qua multis origo malorum. quòd eam Rex carpserit tribus modis.*

ET HISPANOS quidem milites adhibuerat Philippus Rex aduersum Gallos: neque id Belgæ querebantur. sed absoluto bello, quum multos eorum militum extra Belgium eduxisset, tria millia retinuit, ijsque Orangium, Egmontiumque præfecit, inani specie honoris,

RETENTIO militū Hispanorū, prima occasio tumultuum, de qua Belgæ queruntur.

re vera ad imminuendam inuidiam externæ militiæ, gratiosis Ducum nominibus apud suos. Verùm non imminuit. Nam ex vna parte Dux vterque grauatè sustinere se illud, quidquid erat muneris, præseferebat: Orangius, vt eas Hispanorum reliquias Belgæ non ferrent, etiam stimulabat. Ex altera parte milites Hispani, licentiâ rixisque (vti fit) in limitaneis præsertim vrbibus, per quas dispositi erant, non parum irritauerant animos popularium. Ex quo in eos odium, inque Regem indignatio vniuerso ferè Belgio concitata. Quam profectò mutuam abalienationem sicuti numquam ego totam Belgis imputauerim, quippe qui viderent differri promissa eius educendi militis, cum quo rixandum sibi quotidie foret; ita nec facilè damnauerim Regis moram in eo præsidio apud Belgas continuando. Quum Rex partim à sorore Gubernatrice admoneretur: Videret, ne Hispanorum missione finitimis ciuitatibus adderentur animi: partim ipse per se, vt erat suspicacis ingenij, eum Belgarum conatum in externo milite eijciendo suspectum oppidò haberet. vt quanto ipsi ardentius, ac planè contumaciùs promissa repeterent, tanto Rex segniùs, atq; adeo cautiùs agendum putaret. Verùm quidquid causæ aut Rex habuerit, aut Belgæ: his certè satisfactum ab illo est, siquidem paulo post annum, quàm Philippus Belgio cessit, Hispani trasmigrarunt, motusque ille ac turbæ populorum, momento consederunt. Vt sanè Belgicorum tumultuum causas hinc deducere, leuissimum sit.

Stimulati ab Orangio. *& irritati à licentia Hispanorum.* *Inde abalienatio à Rege;* *quæ nec tota Belgis,* *nec tota Regi tribuenda.* *An ex hoc primo fonte deriuentur Belgici tumultus.*

LONGE validius telum fuit ad concitandos Belgarum animos auctus Episcoporum numerus. Præsertim quòd mortuo Paulo Quarto, quæ de illorum reditibus is ordinauerat, mutare consultius visum est: ac statuendæ dotis ea inita est ratio, quam & Nuncius Apostolicus in Belgio, & Pontifex Pius Quartus Romæ probauere, Vt in aliquor Abbatum, quos mori contingeret, locum sufficerentur Episcopi: nomenque, & prouentus, aliosque Abbatum honores ita caperent, vt nihil interim de Cœnobiorum cultu remitteretur. Hæc autem siue Infularum multiplicatio, siue dotis attributio mirum profectò est, quàm ex omni hominum ordine paucos habuerit toto fermè Belgio, quibus non ingratè accidisse videretur. Querebantur veteres Episcopi cùm Belgici, tùm finitimi, quòd accessu nouorum Antistitum, illi quidem contractiores haberent terminos ditionis: hi verò præter terminos, etiam pontificales fructus tenuiores; quum præsertim definita ea res Romæ fuisset, ijs quorum intererat, non auditis. Nobilitas indignè ferebat, Episcopos Abbatum loco comitia frequentaturos: quippe futuros longè quàm Abbates (pro eo, quo essent gradu) potentiores: ideoque de Nobilium non solùm authoritate plurimum detractum

AVCTVS Episcoporũ numerus, secunda occasio tumultuũ. *De quo querimonia,* *veterum Episcoporum,* *& Nobilium,*

ctum iri, ſed etiam de libertate: neque enim auſuros ſe, conſilia in commune conferre, ijs præſentibus, quos ſcirent, ſacramenti religione Romano Pontifici obnoxios illuc omnia tracturos. immo neque hoc eſſe è re Principis, vt in comitijs tantopere dominentur, qui ſummi Pontificis authoritatem nutumque iurati ſequuntur. Sed nullæ, quàm Abbatum, monachorumque acriores erant querimoniæ, quia iuſtiores videbantur: *& Abbatum,* Eripi ſibi, contra omnem vetuſtatis memoriam, ius poteſtatemque ex ſuo ordine Abbatis eligendi. Non debere hominibus religioſis certum vitæ inſtitutum ſecutis eos præfici, qui religioſæ diſciplinæ eſſent ignari. Nimirum ad Epiſcopos tranſituras Abbatum opes, authoritatemque: ceterùm ſollicitudinem, ac moleſtiam penes monachorum aliquem futura. Adhibitos tunc quidem eſſe ad ea munera viros doctrinâ & vitâ conſpicuos, mox è comitatu Principis aſſentatoribus aſſeclisque tam opulenta ſacerdotia prædæ ceſſura. Præter hæc, quæ variè iactabantur, duo in ore ferme omnium tunc erant. Ea nouorum Antiſtitum creatione & Brabantina priuilegia violari, & Hiſpanicam inquirendi de Religione ſeueritatem paulatim induci. *& fermè omniũ defendentium Brabantiæ priuilegia.* De hoc poſteriore, quoniam peculiares turbas excitauit, ſeorſim dicam: illud quamquam apud omnes ferme ſcriptores lego; quæ tamen ſint ea concepta Diplomatum verba, quibus obſtringeretur Rex, ne ea ratione augere Pontificum numerum liceret, nuſquam apud hiſtoricos lego. *Quæ hæc eſſent priuilegia:* Nam quod aliqui ſcribunt, Iurare ſolitum inauguratum Principem, Ab ſe non amplificatum iri Eccleſiaſticum ſtatum; id non vtique bona fide referunt, quum non niſi ſuper ea amplificatione Princeps id affirmet, *in 2. addit. ad latũ Introitũ Principis Hiſpaniæ art. 14.* qua negat permiſſurum ſe, vt laicorum bona ad Eccleſiaſticas perſonas, quas manus mortuas vocat, abſque certis conditionibus transferantur. quod procul eſt ab inſtituta controuerſia. Quare inter eorum tabulas amplius ſcrutandum ratus, vnum reperi, in quo aduerſus hanc ipſam augendorum Antiſtitum rationem caueri videatur. Quam ego priuilegijs cautionem, niſi me ad hiſtoriæ normam vbique componerem, diſſimulare tutò poteram, quum neque ipſi meminerint, quos odio in Hiſpanos multa ſcripſiſſe certum habeo. Etenim Philippus Rex à Carolo Cæſare parente renunciatus Brabantiæ Dux, inter alia, quibus eam prouinciam in Læto illo Introitu donat, priuilegia, hoc quoque memorat, Curaturum ſe, ne *art. 56.* Abbatum, Antiſtitum, aliarumque ſacrarum perſonarum præfecturæ, fundiue, ac cenſus cuiquam in poſterum, Commendationis (quod aiunt) nomine per Brabantiam tradantur. Atqui dum, curante Rege, nouis Epiſcopis attribuebatur Abbatum defunctorum locus, nimirum exui videbantur immunitatibus ſuis *& quomodo violarentur, Epiſcopos augendo.*

Braban-

Brabantini: dabaturque proinde in vulgus occasio, vt quam rem
priuatis quisque vtilitatibus oderat, eam honesto violatorum pri-
Inde in Regem multorum indignatio, uilegiorum nomine detestari palàm posset. Quare mirabantur
aliqui, quæ mens, quodue consilium Regi foret, nouos Antistites,
nempe rem plerisque ingratam inducendo, ingratiorem multo fa-
& minæ. cere, atque odiosiorem ob eam ex Cœnobiorum prouentibus trans-
lationem. Addebantque propterea, si Rex pergeret populorum
priuilegia libertatemque imminutum ire, Brabantinos haud iniuriâ
tumultuaturos; quando meminisse deberet Princeps, in eodem *art. 58.*
diplomate consentire se, vt sibi nulla obsequij, clientelæ, ac obe-
dientiæ officia deferantur à populis, queîs ipse præstare nolit inte-
Pro Rege alij stabant, gra, quæ solenni religione spoponderit. Non deerant tamen, qui
contrà sentirent, quantoque hæc videbant Regem moliri minore
suo commodo, maiore periculo: tanto sincerius extollerent Principis
Religionem, qui ea in re, præter populorum salutem, nihil propo-
differuntque, situm habere in animo posset. Nec satis apparere, quid in eo ho-
mines culparent: auctumnè Pastorum numerum? an attributa illis
alimenta? perinde quasi authore Pontifice Romano non liceat in
exemplo finitimarum prouinciarum: Belgio facere, quod in Germania, quod in Gallia, inter quas me-
dium iacet Belgium, dudum licuit. Nonnè Bonifacius Mogunti-
nus Episcopus, Apostolicæ Sedis in Germania Legatus, abundante
aduersus querelas veterū Episcoporum. alicubi Christianorum multitudine, tres nouos Episcopos, authori- *Baron. an. 738. et 741.*
tate Gregorij Tertij, & Zachariæ Pontificum, ad reliquos addidit?
atqui persimilem quoque causam præter alias esse in Belgio. Quid
apud Gallos? Sacram Tolosani Episcopi præfecturam, quòd am-
plissimè pateret, nequiretque vnus pastor inspicere singulorum vul-
tus, in quinque Episcopales sedes partitus est Ioannes Vigesimus *Extrauag. Saluator. de Praben. & Dignit.*
secundus, non modo nulla aut Narbonensis, aut Bituricensis, aut
Cadurcensis Antistitum habita ratione, à quorum dictionibus ab-
strahebantur & Ecclesia Tolosana, & ex nouis ciuitatibus aliquæ
sed magnâ etiam redituum iacturâ, quam facere necesse fuit Tolo-
sanum Antistitem ex ea Diœceseos suæ, quæ tum erat opulentissi-
ma, diuisione. Vt sanè non oportuerit euocari propterea Romam,
audirique finitimos Belgio Pontifices, quorum rationes ad propria
demum commoda quæstusque referendas, satis constaret. Neque
& Nobilium, aliò spectare Nobilium nonnullorum querimonias. Nempe ægrè
eos ferre, quòd in comitijs impunè de Religione, de Rege disse-
rendi licentiam coërceri sibi plurimùm viderent importunâ eorum
præsentiâ, quos tamquam Patres, sacrorumque Principes venerari,
& tamquam eorumdem sacrorum vindices vereri deberent. Nam
quod dicerent, se Regi timere à Pontificijs consultoribus; nugas
esse pueris vendibiles. sibi eos timere, ne si quid aduersus Princi-

pem

pem disceptarent, testes atque aduersarios haberent eos, qui plura quàm Abbates ab Rege accepissent, sperarentque. Porrò querimonias Abbatum monachorumque aliquanto acerbiores esse, quàm eos condeceret. Non absque exemplo fieri, quòd Abbatis loco substitueretur Episcopus. Aspicerent ad Galliam: reperturos Condomij, Vabrinci, Lomberiæ (vt alij sileantur) Episcopos à Ioanne Vigesimo secundo in Monasterijs institutos. Ac, si careret ea res exemplo, quum id impetrauerit Princeps à Pontifice, qui monachis imperare posset, esse eorum modestiæ, præbere ceteris obedientiæ aduersus Pontificem documentum. Meminisse eos debere, pleraque illorum prædiorum, prouentuumque à Belgij Principibus tributa esse cœnobijs. Quo æquius videbatur, vt Rege eos reditus deriuante non in quæstum & compendium suum, sed in illarum prouinciarum fructum, salutemque, ipsi quoque Abbates cum Principe consentirent, iuuarentque populorum necessitatem tanto impensius, quanto ea cura propius attingit religiosum institutum: nec importunis vociferationibus rem optimam corrumperent, populis offensioni forent, Pontificis simul ac Regis animum ab ipsorum patrocinio abalienarent. Nam quod priuilegijs non stetisse Principem tantopere lamentarentur; primùm non satis eos intelligere quid inter Commendationem sacerdotalium bonorum, & eorumdem coniunctionem intersit: illam instar depositi Commendatario concredi, hanc absolutè tamquam Domino attribui. atque adeo, quæ cuiquam commendantur, si vitâ is abeat, redire ad Depositorem seu primum Dominum, nisi rursus in alium noua commendatione transferantur. At quæ coniunguntur, non redire, sed successori in eo munere, cui adiuncta semel fuerant, perpetuò manere. Neque hac ratione plus à monasterijs per coniunctionem auferri, quàm per commendationem ablatum fuisset. quum non magis ad monasteria non redeant, quæ coniunguntur, quàm quæ commendantur. siquidem semel commendata, in alios atque in alios à Pontifice, ad quem redeunt, subinde conferuntur. Immo quum bona commendari etiam procul agentibus queant, nequeant autem quæ Episcopatibus adiunguntur: hæc enim longè religiosiùs Episcopi præsentiam, quàm illa Commendatarij requirunt; Belgicos prouentus, qui commendatione exportarentur ad exteros, coniunctione in Belgio retineri. Itaque Regem, dum curauerit, Abbatum præfecturas non commendari Episcopis, (id quod priuilegio cauetur) sed Episcopatibus adiungi, profectò neque iurata in verba, neque in Belgij commoda quidquam admisisse. Quamquam quid opus esse pluribus? quum hac ipsa controuersia ad Louaniensem Academiam relata, expensaque à viris & Theo-

& Abbatum.

Aubertus Myræus in notitia Episcop.

Verborum priuilegij interpretatio:

ex qua efficiunt illud non violatum.

4. Iunij 1561. apud Arnoldũ Hauensium de nou. Episc. lib. 2.

Addunt Louaniensium decisionem:

Theologiæ, & Iuris vtriuſque conſultiſſimis, reſponſum denique ſit, Eam coniunctionem bonorum, vti & nouarum Sedium inſtitutionem nec iuri, nec dicto ab Rege ſacramento repugnare. Deinde reputare illos ſecum debere, alia tunc eſſe tempora, alios mores. Religione incolumi, nihil Regem mutaſſe: ea periclitante, nulla eſſe priuilegia, quibus iure teneri Princeps debeat, ne prouincijs ſuis peſſum euntibus ſubueniat. Paſtorum numerum opportunum eſſe remedium ad tuendum Chriſti gregem contra irrumpentes paſſim lupos; idque neminem reperiri adeo infenſum Regi, qui non fateatur, aut certè non ſentiat. Nec eorum dotem potuiſſe minore incommodo confici, quàm qua ratione viri prudentiſſimi ei rei præpoſiti ſtatuerant, Rex probauerat, Pontifex iuſſerat. Neque debuiſſe Principem (hoc enim requirebant aliqui) ea ſuper re Ordines conuocare, ex eorumque ſententia conſilium capere: quòd non ſolùm nullo ad id obſtringi ſe iure putaret, ſed etiam animo præuideret, Ordines in re compluribus ingrata, inſtigantibus præſertim finitimis hæreticis, facilè pro ea, quam exercent in comitijs, libertate diſſenſuros. in quo & Maieſtatem ſuam populis tentandam, aut etiam contemnendam expoſuiſſet Rex, & eorum animos tanto magis irritaſſet, quanto ijs palàm inuitis repugnantibuſque, quod ſemel ſecum ſtatuerat, peregiſſet. At enim potuiſſe Regem aliunde ſuppeditare nouis Epiſcopis alimenta: quod ſi, quoſecumque verteret, omnia magnis impedita difficultatibus videret, debuiſſe regiâ pecuniâ, non alienâ, rem conficere, ſine populorum turbis, ſine cuiuſquam mala gratia. Quaſi verò æquum non eſſet, vt qui Belgio Paſtores inſeruirent, Belgicis quoque prouentibus alerentur. Neque pepercíſſe ærario ſuo Principem, attributis nummûm aureorum ſeſquimille in ſingulos Epiſcopos, quoad eorum dos exigeretur aliunde. Quamquam dum eos inducebat Rex in Abbatum bona, non planè aliena dilargiri: præſertim quum id authoritate faceret Romani Pontificis, penes quem eſſet eorum bonorum adminiſtratio. Ex quibus ad extremum conficiebant, etſi Epiſcopos perpetuis reditibus aluiſſet Rex, non tamen propterea quieturos illos, quibus non tàm ea prouentuum translatio, ſeu coniunctio, quàm ipſe Paſtorum numerus grauis erat. Id quod damnari nulla ratione, immo excipi ceu ſalutare, opportunumque remedium quum debuiſſet, ſatis apparere, vtinam parti, ſi quid ob eam cauſam tumultuarentur aut Brabantini, aut alij Belgarum populi, ea tumultuum initia tribuenda eſſent. Sed neque ab hac parte ſumptum eſt tumultuandi principium. Ea enim ratio Epiſcopos in Abbatum, ſi qui fortè decederent, locum inducendi, iungendique cum illis horum bona, ob aſſiduas ad Pontificem, ad Regem queri-

& necessitatem priuilegijs potiorem.

Nec debuiſſe Regem Ordines conuocare:

Aut ex ſuo doti Epiſcopis conſtituere:

præſertim quum parti attribuerit ex ſuo.

An hinc deducenda ſit tumultuũ origo.

querimonias, quas in loco memorabo, paucissimis in Vrbibus instituta est. Certè in Brabantia, quæ maximè recusabat, Rege demum annuente, tunc quidem nihil immutatum. Non tamen negarim, ea agitatione discordantium animorum, obedientiam obsequiumq; aduersus Principem, hoc est, imperij firmamenta, non parum vitij fecisse, ac ruinam, si validiùs impellerentur, præmonstrasse. siquidem NIHIL tam Regno perniciosum, quàm si populus addiscat in Dominum palàm obniti, ab eòque non solum impune, sed etiam feliciter dissentire.

INQVISITIO tertia occasio tumultuum.

VNA omnium maximè turbauit, conciuitq; Belgarum populos suspicio primùm, dein conatus Inquisitionis aduersùm hæreses instituendæ, Placitisq; Caroli Cæsaris firmandæ. Quæ res, quoniam vulgò visa est aperuisse in Belgio belli fores, operæ pretium faciam, si quid quid hoc est, paulo accuratiùs euoluam. Religio sicuti apud omnes magni semper fuit, quòd Deo cultum, quòd populis concordiam præstet; ita in Christiana potissimùm Rep. sedulò prouisum aduersùs eius turbatores. Ea prouincia ab solis Episcopis, ad quos iure pertinet, principio administrata. Postea, siue quòd pluribus curis sacer is Magistratus implicetur, siue quòd ab suo grege abesse interdum Episcopos contingat, siue demum quòd eorum aliqui incuriosè, non nemo etiam insciè id muneris exerceat; optimum factu visum est, si ab Sede Apostolica delegarentur extra ordinem iudices doctrinâ ac pietate præstantes, quibus inquirendi animaduertendique in hæreticos ius esset, eòque Apostolici Inquisitores appellati. Id primùm ab Innocentio Pontifice eius nominis Tertio, supra annos quadringentos cœptum reperio, misso aduersùs Albigenses Diuo Dominico Prædicatorum familiæ fundatore, qui primus Quæsitoris munus summa cum laude gessit. Exceptus inde mos, eodem ferme ac sequenti dein sæculo, à multis Christiani orbis nationibus, creatique in singulis Prouincijs aliquot Fidei censores, qui de Religionis iniuria legitimè cognoscerent. Non tamen vbique ea res perinde valuit. Aliò temporarij Quæsitores missi ob hæresim repentè enatam, eâque extinctâ reuocati: certum alibi tribunal erectum, quò de Fide quæstiones perpetuò referrentur: alibi tota ea iudicij forma reiecta, nec alij, præter Episcopos, permissi in hæreticos inquirere. Quin & Romæ variatum: nam modò per consuetos, Vrbanosque Magistratus administrata omnia, Quæsitor extra ordinem nullus: modò plures, sed sub vnius pluriumue regimine Purpuratorum Patrum: donec Pontifex Paulus Quartus, instituto aliquorum ex ijs Patribus Collegio, quorum suffragijs hæ controuersiæ finirentur; augustiori, sanctiorique iudicio rem in posterum Romæ stabiliuit. Porrò vt firmius hæc perstarent,

Eius initium in Christiana Rep.

Eiusdem procuratio varias.

Romæ stabilita.

Constit. 34. Licet.

F METVS

non sine pœnis.

METVS, qui lictor est legum, à principio intentatus, mulctæque ac pœnæ in contumaces indictæ, atque exactæ, mitiores ab iure Pontificio, ab Cæsareo grauiores. Etenim Imperatores, quum animaduerterent, præter Dei sacrorumque cultum, pacis interesse, cuius tutor est Princeps, si Religione continerentur populi: viderentque, ea periclitante, non posse inter fœdas hæresium vndas tranquillitati locum esse; quæ in perduellionis reos, eadem in hæreticos, ceu Religionis, atque adeo pacis hostes supplicia decreuere: ita tamen, vt pœnæ non antè sumerentur, quàm in Ecclesiastico foro, cuius est de hæresi cognoscere, disceptatum ea super re, nomenque criminis pronunciatum foret. Quæ & si per Orthodoxorum prouincias semper exercita sunt, proque repentinis hominum de Religione prauè sentientium motibus, accuratiùs alicubi procurata; nusquam tamen, quàm per Hispaniam, exquisitiùs acriùsque: siue proprio Catholicorum Principum studio, siue externa populorum, qui se ijs regnis insuderant, contagione. Hæc autem procuratio Religionis aucta postmodum est in vniuersa ferè Christiana Rep. ob excitatas vno ab homine quàm latissimè turbas: Martinum Lutherum loquor, eorum temporum, consequentiumque calamitatem. quam ille calamitatem diu meditatus Orthodoxorum quieti, nunc incœpto, nunc mutato consilio, velut incertus animi, (an potius in opportunitatem intentus?) ad extremum mortuo Maximiliano Cæsare, accitoque ad Imperium Carolo Maximiliani nepote, in facinus erupit. haud ignarus, INITIA Principatuum nouis esse rebus attentandis accommodata: simul quòd Cæsaris adolescentiam crederet rudem adhuc regnandi, eòque sperneret. certè ratus, illum potius stabiliendis Imperij rebus, quàm retinendis Sacrorum ritibus operam daturum; sollicitatis ad defectionem ab Ecclesia primùm, tum (quod proximum est) à suis Principibus, ipsoque à Cæsare prouincijs, Romanum Imperium pariter, ac Religionem in partes scidit. Quo factum est, vt multo quàm antè impensiùs summi Pontifices de Fide quæstiones intenderent, Christianique Principes, vt cuique Religio, resque publica cordi erat, enixiùs incumberent in eam curam. Et verò Carolus Imperator, cuius in primis auxilium spectabat læsa Religio, veteri Cæsarum exemplo, leges sibi statuendas per Imperij, ac Belgij prouincias illico duxit, aduersùs catholicæ Fidei corruptores. Quare dum is ab Hispania per Belgium, Germaniamque, summa mortalium gratulatione plausuque, ac toto illo iam tum blandientis fortunæ strepitu vehitur ad Imperij sedem, Vormatiæ in celeberrimo Procerum conuentu, Martinum Lutherum ab Romano Pontifice damnatum ipse quoque Septemuirûm Augustalium, Imperijque Principum, atque

l. Manichæos. & l. Quicumq. C. de hæreticis.

c. vt inquisitionis de hæreticis in 6.

In Hispania præcipuè.

præsertim ab an. 1483.

Mart. Lutheri occasione vtrisque intenditur.

Maximil. I. Imp.

Caroli V. Imp. in Lutherũ. & hæreticos edicta.

Gratian. Valentin. Theod. Arcad. Honor. Marcian. et alij Imper.

Leo X.

Ordi-

Ordinum suffragijs damnat, proscribitque: ac proscriptionis edictum eodem anno, qui fuit vigesimus primus supra sesquimillesimum, per omnes Imperij, ac Patrimonij sui prouincias proponit. Quum verò nihil propterea malum remitteret, immo (vt FLAGITIA impetu valent) intra paucos menses ea contagio florentissimas ciuitates afficeret, aut afflaret, Cæsar & reis alicubi supplicio affectis, & nouis vbique & amplioribus, quæ septies repetijt, edictis, medicinam conatus est facere furenti, volaticoque morbo. Quin etiam quum postulasset à Pontifice Censores Fidei, accepissetque; eorum authoritati, securitatique cauens multa sanciuit, quæ anni millesimi quingentesimi quinquagesimique Placito præscribuntur. Verùm noua illa iudicij facies plus terroris secum attulit in Belgium, quàm obseruantiæ. Nam etsi alicubi suscepta res est, Brabantini tamen, quòd in eo carpi libertatem suam dicerent, commodum nacti, imposito se se onere liberarunt sub eius anni quinquagesimi finem, quo tempore partim Augustana comitia, Tridentinumque Concilium, partim bella continenter alia ex alijs nata per Numidiam, Pannoniam, Italiam, Germaniam, Galliamque, aliò distraxere Cæsaris curas. Et quamquam Philippus Rex, vbi in Belgij possessionem intulit pedem, statim paternas ea super re leges nouo edicto firmauit; rem tamen haud promouit, implicitus repentè bello, quod eo ipso, quo edictum proposuit anno, tribusque insequentibus, acerrimè cum Gallo gessit. Donec anno quinquagesimo nono, quum primùm à bello nactus est otium, reuocauit illico animum ad Religionem stabiliendam, discedensque à Belgio mandata sorori Gubernatrici, atque Antistiti Granuellano dedit, Enixè curarent, vt Caroli Placita & cautiones, quas ipse Rex pro Pontificijs Quæsitoribus confirmarat, exquisitè seruarentur. Atque hic erat rerum status, hæc Caroli Cæsaris edicta, hæc Inquisitionis in hæreses initia, processusque. Quum Margarita Parmensis, vti erat iniunctum, intendens in eam curam, idque agere cum prouinciarum Præfectis aggressa, sensit esse non paulo difficiliùs imperata facere, quàm imperare facienda. Magistratus ægrè videbantur id negotij in sese suscipere. Nobilium aliqui operam suam ambiguè pollicebantur, aliqui præcisè negabant opportunum tunc esse, redire ad eum lapidem mouendum, ad quem toties offendissent. Brabantini, qui sub Carolo Cæsare frenum excusserant, & præsente Philippo Rege non receperant, nunc ad Gubernatricis feminæ vocem, in illud sese induerent? Apud populum nihil moderati, aut medij, consternatio primùm, mox audacia: nunc timenti, nunc terrenti similis: nempe vt potentiorum aspiratione, atque hæreticorum flabello agitabatur. Quin & vulgo

In Belgio.

Septies ab eo repetita:

Brabantinis Inquisitionem recusantibus.

Philippus Rex patris edicta confirmat:

Gubernatrici exsecutionē mandat:

Gubernatrix Magistratibus.

Magistratus rē non promouent.

Brabantini recusant.

Populus variat.

exaudiebantur in Regem multorum voces, quas aliunde immissas in ora sermonemque multitudinis apparebat. *Cur auxisset tot Episcopos, si Religionis iniuriam propulsaturi ipsi non erant? At profectò in Concilijs decretum fuisse, vt qui Pastores animarum in expurganda inter suos mala hæresum fruge segniùs agerent, Episcopali munere exauthorarentur. Curarent igitur Episcopi res suas, aut personam malè impositam deponerent. quamquam futurum satius fuisse, si non eam induissent, neque tot Infularum numero Belgium frustra territassent. Floruisse à multis iam sæculis Religionem apud Belgas, sola vrbanorum Magistratuum opera, sine ea Pontificiæ seueritatis pompa, sine vllis Caroli Cæsaris edictis. Quid noua isthæc Quæsitorum additamenta, & Hispanicos terrores? Deberi hoc nempe magna ex parte Granuellani Antistitis ambitioni, qui VT SVPPLICES habeat, miseros ac reos quærat. SVADENDAM esse Religionem, non imperandam. Caroli mentem egregiè piam fuisse in ijs legibus condendis: sed experientia constare, per eas Religionis causam nihilo meliorem, & prouinciarum statum remque publicam multo deteriorem quotidie fieri. Et cœpisse iam intermitti commercia regionum, sublata mercatorum libertate, magno vtique impendio Belgarum, ac præcipuè Antuerpiensium, quorum opes ea negotiatione constent. Postremò neque Carolum Cæsarem, neque Philippum Regem, neque Principem vllum, qui in Brabantina priuilegia iurauerit, promiseritque se non impositurum ijs populis nouas iudiciorum formas, posse Belgas, (si iura quidquam valent) adigere ad Inquisitionis, edictorumque seueritatem perferendam.* Verùm Gubernatrice nihil ijs rumoribus mota, quum de reis interim supplicia sumerentur, Tridentinumque præterea concilium, quod tunc finem acceperat, iussu Regis promulgaretur in Belgio; fremere alicubi palàm populus, damnatos è lictorum manibus semiuiuos abstrahere, clandestinos in vrbe conuentus, mox in campis celebrare: quin & Nobilium complures conuenire, fœdus nescio quod inter se icere, libellos partim in vulgus spargere, partim Gubernatrici magno supplicantium cœtu offerre: eo tumultu atque successu, vt mitigatis propterea Cæsaris edictis, impetratâ delinquentibus veniâ, intermissa de Fidei censoribus eò inferendis, vbi antè non fuerant, contentione; nihil profectum sit, quominus, infundente se è vicinis locis hæreticorum multitudine, concionales homines ipso in foro catholicam Fidem oppugnarent, ijsque adiungente se subita populariùm ac nebulonum manu, in templa impetum facerent, bona diriperent, sacra violarent, in apertam denique defectionem, nullo tunc palàm duce, summâ tamen licentiâ, vi, latrocinijs, populationibusque prorumperent. Atque huc ventum demum esse: in eumque nimbum, qui repentino sonitu Belgium omne prodigiosè peruasit,

Vulgi sermo aduersus Inquisitionem, & edicta Cæs.

In Lateranen. sub Innocentio 3.

Tumultus ex motu Inquisitionis, & ex reorũ supplicijs.

Indicia aliquorũ aduersus Regem.

uasit, coaluisse populorum iras ob seueritatem Principis affirmabant alíqui, quòd is Imperatorijs edictis, quæstionibus de hæresi, Tridentinis decretis, tam multa simul importunè molitus, Belgij patientiam irritasset. Quum tamen alij omni Regem culpa liberarent, quippe qui eorum edictorum, quæstionumque author non extiterat, Patris tantummodò placita, euocatosque ab eodem in Belgium Pontificios Fidei Censores confirmarat. Neque propterea nouas iudiciorum formas contra Belgarum priuilegia Regem aut Cæsarem inuexisse, dum Quæsitores adduxerant: quòd horum iurisdictio quum non ordinaria, sed delegata tantùm esset, noua iudicij forma dici non posset. Itaque religionem Regis abunde commendabant, quòd Romani Pontificis, & Conciliorum authoritati longè posthaberet turbulentorum hominum minas ac seditionem: nec putaret ab se imprudenter agi, si quæ à sapientissimis Christianæ Reipub. Patribus decreta erant aduersus hæresim, eorum vsum in suas ipse prouincias inueheret primus. Sed hæc diuersorum iudicia pluribus hoc loco persequi, ambitiosi esse ingenij duco. præsertim quum ea, quæ hactenus exposui, contulisse quidem aliquid ad Belgicos tumultus, non fuisse autem principes illorum causas persuasum habeam. Eas in præsentia causas enucleatiùs dicere consilium est: vt quæ plerunque sint Rerumpublicarum, Regnorumque turbamenta, Belgarum exemplo discant, qui nostra hæc legant.

Aliorū pro Rege.

c. Sané 2. de off. & pot. iud. del. l. 1. §. qui mandatam. ff. de off. eius.

RARO quæ turbant incitantque plebem, eadem nobilitati negotium facessunt. sæpe tamen (quasi eadem mala vtramque partem premant) conspirat cum plebe Nobilitas non partis subleuandæ, aut in commune consulendi gratiâ, sed vt priuatum incommodum arceat aliena ope, remque suam tacitè curet, dum curare publicam vulgò existimatur. Et populus quidem vt tumultuaretur, haud dubiè principium duxit ab hæresi. Inuexerant illam partim externi mercatores, quorum cum mercibus hæc quoque pestis interdum nauigat: partim legiones Heluetiorum Germanorumque, quorum operâ superioribus in bellis vsi perdiu fuerant Carolus Cæsar, & Philippus Rex: partim exules ac profugi ex Anglia, quos Maria Regina, dum expurgaret ab hæresi regnum, edictis ac pœnis insectata, non pauciores triginta hominum millibus, ex ijs, qui aliunde transmiserant in eam insulam, semel eiecit: quorum permulti nouas sedes atque colonias in Belgio posuere. Inductam verò his præcipuè, quos dixi, modis hæresim alebant augebantque, qui Belgas intercipiebant, finitimi populi, commercioque vt linguæ, sic & morum pæne confundebant: nec plus aquarum è Germania Rhenus, Mosa è Gallia vehebant in Belgium, quàm inde Lutherianæ, hinc

Primæ ac vera tumultuū Belgicorum causæ.

Apud populum quidē HAERESIS:

in Belgium inducta trifariā.

P. Hier. Pol. linus hist. Angl. l. 3. c. 18.

Alta & aucta à finitimis populis.

hinc Caluinianæ contagionis in easdem Belgarum prouincias ijdem amnes importabant. Vt nihil de Anabaptistis adiungam, qui è Vestphalia, Frisiaque frequentiores aderant: quippe viciniùs fouebantur, habebanturque vt domi propemodum nati. Ergo *Inde Belgium licentiæ factum.* affecta ex hisce capitibus Belgicæ multitudinis pars, atque ad defensandam eam vitæ licentiam confidentior erga Dominos effecta, quum primùm occasionem est nacta, nouis animum rebus intendere, atque eas miscere turbas paulatim cœpit, quas ab hæresi per populos ac regna perpetuò creari, nimium quantum experti iam sumus. Etenim RELIGIONEM rarò solam mutauere ciuitates: sed *Hæresis turbarũ concitatrix:* quoties mota est sacra hæc Anchora, toties fluctuauit simul Reip. nauis. Nec mirum: EST HÆRESIS contumaciæ rudimentum: dumque ex hominum mentibus sensim excutit Dei iugum, detrectare atque excutere humana imperia similiter docet. An obscurum est, *Prona in Atheismum.* huc demum desinere nostro hoc sæculo sapientiam hæreticorum, vt ijs, quæ in catholica Religione paulo grauiora videntur, abscissis: *Confessio, Ieiunium, Pœnitētia, & similia.* ac prætextu in Deum fiduciæ, timore eius extenuato atque expuncto; omni Religione mortales, Dei iam securos, expediant: atque ad extremum nullum esse vspiam Numen asseuerent? Quod qui *Hinc contẽptus obedientia erga Principes.* sibi persuaderi semel est passus, expulitque ab animo eum, quem natura Dominum imposuit; is reliqua imperia ac dominos non minus aspernabitur, quàm ij, qui vbi defecerint à Rege, minores Magistratus facilè contemnunt. Atque ego quidem inter res humanas admirabile semper duxi, in ciuitatum regnorumque administratione, tam multa hominum millia vni subesse, vnum timere. Id in parentium consensu situm est: consensum reuerentia in primis ac metus firmant. præsertim quia SINGVLORVM interest, si vniuersi regantur. Hæc autem imperij firmamenta hæresis apertè con- *& turba.* uellit: cuius buccinatores specie christianæ libertatis, in mores vitamque Principum, non surdis vulgi auribus, assiduè atque acerbè declamant. Quorum præceptionibus, & tamquam sacris imbuti animi multitudinis, haud mirum, si tantum & Principi detrahant de authoritate imperandi, & sibi addant de immunitate parendi. Insitum est à natura hominibus, auersari Dominos, atque ægrè imperia pati: quid facient impulsi quotidianis declamationum flabris, ac tuti fidentesque Religionis obiectu? Satis exemplo sunt, eruntque posteris Transalpinæ regiones, quas paucorum hominum turbulentis concionibus excitas toties armauit hæresis in Dominos, inexpiabili populorum ac prouinciarum clade. Vt sanè constet, quod dicebam, Non posse absque ingenti rerum publicarum motu cultum Religionis antiquari. Et quamquam in Belgium non ita irrepserat ad eam diem hæresis, nec ita multos numerabat, vt ab ea

factione

factione magnopere timendum tum quidem esset, incorruptis popularium plerisque: quum tamen hi augeri Episcoporum numerum, publicari Cæsaris edicta, imponi Fidei Quæsitores animaduerterent, canentibus palàm hæreticis, hæc omnia conspirare in perniciem libertatis; facilè coniunxere cum illis studia. Etenim Belgæ magnis acceptam priuilegijs libertatem & seruauere semper, & ob feminarum Principum regimina per quadraginta postremos annos continuata, securiùs vsurpauere. Accesserunt vltima diuturnaque bella: quo tempore multum licentiæ afferunt arma, ac DIVISVM propè imperium armata cum multitudine Princeps habet. Quare Belgarum populus longa libertate, atq; armis ferox, hæreticis immissus, iisque impulsoribus contumax, haud mirum si solito infensior, vbi se dedit occasio, non modò non exaudire imperia, quæque noua videbantur onera non pati; sed etiam erectis animis, maiora sperare magnis exemplis occœperit. Quippe erat in oculis Gallia, in qua tantum licentiæ, post Ambosianum tumultum, armis extorserant hæretici, vt regno formidabiles, rogandi essent, vt quiescerent. Verùm hæc, vt dixi, populi concitatrix hæresis numquam eos, quos in Belgio vidimus, processus habuisset absque cura & ope Nobilitatis. Hac nimirum vlmo si hæresis caret, serpet illa quidem, sed humi, ac pede conculcanda. Et erant eo tunc loco plerique Nobilium, eo in Hispanos animo commoti, indignatique, vt spei plurimum collocare in ea abalienatione populus haud temere posset. Indignationis porrò causa partim à frustratione ingentis spei, partim ab æmulatione aulica fuit, quæ præsente Philippo Rege exerceri opertis odijs cœpit, postea coram Austriaca Gubernatrice per apertas inimicitias vsque ad publicam perniciem perducta est. Etenim apud Carolum Cæsarem initio Principatus, Belgarum Proceres dominabantur: Belgæ in aula, Belgæ in armis primas obtinebant. Deinde quum primarij complures viri ex Italia, Hispaniaque, ac Germania quotidie confluerent ad florentem in dies magis fortunam Cæsaris, necesse fuit, gratiam, & munia communicare cum pluribus. Et admittebat plures Imperij bellorumque magnitudo. Neque angi propterea Belgæ videbantur: quòd & Cæsaris animum introspiciebant in se præcipuè propensum, & contendere cum peregrina nobilitate referebant ad patriæ decus. At vbi aduenit ab Hispania Philippus, Hispanorum Procerum coronâ septus, ac domi forisque, vti aiebant, impenetrabilis; nimiâ eorum apud Regem gratiâ offendi paulatim Belgæ: inde in mores, quorum vbique retinens est Hispanorum natio, transferre odia: demum ab Rege ipso, quem Patris dissimilem, indignabantur, sensim abalienari. Nam Cæsar aditu facilis alloquioque,

Quibus occasionibus vsa sit Heresis ad turbas concitandas in Belgio.

Altera tumultuum Belgicorū causa, Nobilium ABALIENATIO.

Nata potissimū ab AEMVLATIONE aulica.

Belgæ quo loco fuerāt apud Cæsarem.

Quo erant apud Regem.

quioque, priuatum in modum demittebat se, securus vbique Maiestatis suæ. *Dissimilitudo Caroli Cæs.* Atque, vt erat versatili ad omnia pariter ingenio, mores exteros ita induebat, vt non minus cum Germanis Germanum ageret, Italumque cum Italis, aut cum Hispanis Hispanum; quàm Belgis suis se Belgam præstaret. *& Philippi Regis.* Philippus contrà, & esse, & videri omnibus Hispanus: parcè loqui, nec nisi Hispanicè: publico libenter abstinere, & quasi ex abdito venerationem intendere: de vestitu, deque cetero cultu, quem attulerat ab Hispania, nihil immutare. Id verò commotis semel animis, superbia & contemptus habebatur: perinde quasi ea morum diuersitate ipsi fastidirentur. Ferebaturque admonuisse ea de re filium Cæsar: offensusque nonnullorum Hispanorum sermonibus aduersùm Belgas, Orangio, Bossuuioque præsentibus, denunciasse Regi, Se præuidere, aliquorum consilijs assectarum, rem Belgicam aliquando periclitaturam. *Orangius apologia an. 1581.* Et licet post Cæsaris discessum, bello in Gallos exorto, occupataque foris nobilitate, ab domestica interim contentione cessatum sit: *Nobiles spe frustrati.* tamen confecto bello, tanto recruduit magis aulæ pugna, quanto sibi maiora deberi Belgarum Proceres arbitrabantur, ob strenuam, fidelemque operis in armis collocatam. *Inde indignatio eorum:* Neque satis sibi factum rebantur acceptis ab Rege, priusquam discederet, prouinciarum præfecturis. Nam & qui præteriti erant, accepisse se iniuriam; & qui lecti, non magno se munere donatos existimabant, quia sibi maiora spoponderant. Accedebat, quòd Egmontius, atque Orangius, vt erant vastiore animo quàm ceteri, quum Belgij vniuersi regimen, magna quisq; persuasione, sibi destinassent; deiectis ea spe, QVIDQVID infra votum venit, beneficij nomen amisit. Hinc complurium Belgarum iræ: quæ maximè omnium Principibus metuendæ, quoties minus aliqui accepere, quàm sperauerint, quamquam plus interdum sperauere, quàm debuerint. Sanè Iulium Cæsarem non Pompeiani, sed amici peremerunt, quorum (vt ait ille) non expleuerat spes inexplebiles. perinde quasi quum multum acceperint, INIVRIÆ loco sit, plura adhuc accipere potuisse. *Sen. l. 3. de Ira. c. 30.* Iamque in priuatis Nobilium colloquijs hæc plerunque materies querelarum: *& querela aduersus Regem.* *Hispanos apud Regem esse omnia: Belgas Hispanorum vmbras videri, quæ illos comitentur, & ad eorum nutum moueantur. Quippe grauissima quæque Regem transigere cum Ferdinando Toletano Albæ Duce, cum Roderico Gomesio, cum Comite Feriano, vnica illa cohorte interioris admissionis: se verò ad consilia magnificè adhiberi, scilicet vt acta iam agerent, & rerum exuuijs interea caperentur. Non hoc à Cæsare de filij beneuolentia ostentatum: non debitum fidei ac laboribus suis. An se, domi suæ, loco moueri ab externis, tamque infra Hispanos reponi, spreta Belgarum dignitate, laturos?* *Ruigomez de Silua Comes Militensis. Gomesius Figueroa.* Sed tulere tamen, quamdiu

diu Rex apud eos fuit: ſiue impares Maieſtati Principis, ſiue fidi etiam in ira: nec vlta priuatas querimonias progreſſi, niſi quòd in Hiſpanos odium & ipſi hauſerunt inde pertinaciùs, & apud multitudinem, quæ iam pridem auerſabatur gentis nomen, infenſiùs amplificarunt. At profectò in Hiſpaniam Rege, liberâ ab externis aulâ, dominaturos ſe apud Auſtriacam Parmenſem Ducem ſibi perſuaſerant ſummates Belgæ. Falsò, quum in vno Antonio Granuellano, Hiſpanorum ſimul omnium ſimultates experti ſint. Cuius occaſione potentiæ, quoniam res in apertum aulæ diſſidium deuênit, eòque in publicam perniciem; eius viri originem, arteſque referre hoc loco non pigebit.

Auctæ nobilium offenſiones ob potentiam Granuellani.

De ANTONIO Granuellano.

Besanſon Burgundiæ vrbs.

Natales eius.

Mercurinus S.R.E.Card. Cæſaris Cãcellarius.

Patris munia, & gratia apud Carolum V. Imp.

VESONTIONE Sequanorum Vrbe natus eſt Antonius Perenottus, Nicolao patre Granuellæ Domino: plebei quidem generis, & (vt aliqui affirmant) fabri ferrarij filio, primariæ tamen ac raræ prudentiæ viro, qui Mercurino Arboreo Gattinaræ, magno Imperatorij ſcrinij magiſtro ſucceſſit, arcanorum omnium conſcius, & tranſactor. Nam conuentui legatorum totius Germaniæ in Vangionibus præfuit ipſe Cæſaris nomine: ipſe ab Hiſpania Tridentum eſt miſſus, vt augeret Synodi famam, promiſſo aduentu Cæſaris ab Hiſpaniâ: ſimulque vt intentus in omnem occaſionem, tacitè commoda Principis in ea nationum omnium celebritate procuraret. Ipſe vnicè delectus eſt, qui grauiſſima Cæſaris decreta per Germaniam deferret: pacificaret inter ſe prouinciarum Regulos, ac Cæſari adiungeret: cohortaretur liberas ciuitates ad auxilia Ferdinando Regi ferenda: commoueret omnium ſtudia ad Concilium maturandum: Religionis cauſam, armorum conſilia, Imperij iura ſimul ſtabiliret. Per quæ ille munia, perque lubrica aulæ negotia, firmo ſemper veſtigio ſtetit: conſtantemque Cæſaris gratiam, totos viginti annos, ad extremum vſque diem, raro exitu potentiæ diuturnioris, obtinuit. Felix eo quoque nomine, quòd liberos, quos multos ſuſceperat, opibus iuxtà, & honoribus firmauit: Antonium in primis, quem muneris apud Cæſarem, arcanorumque omnium, atque adeo gratiæ heredem inſtituit. Et ille quidem, quòd adiumenti plurimum haberet ab ingenio, litteriſque: quas in pleriſque Europæ Academijs cum plauſu didicerat; facilè eſt adeptus ſub parentis diſciplina perfectiſſimam ſolertiam rerum agendarum: adeo, vt ad Remp. admotus, illico ſe Cæſari probauerit, oſtenderitque non tam paterna, quàm ſua ſe virtute niti. Multis æquauit patrem, multis ſuperauit, ingenij præſertim celeritate, fatigatis interdum quinque ſimul amanuenſibus, & quidem varijs linguis (nam linguas callebat omnino ſeptem) epiſtolas dictando. ſed in primis facundiâ, in qua nemini conceſſiſſe dicitur illa ætate. Auditus eſt in

obiſt Auguſtæ an. 1550.

& felicitas ex prole.

Ant. Granuellani ingenium:

linguarũ notitia:

facundia.

Tridentino conuentu, quum pro Carolo Quinto Imp. diceret acriter & luculenter: & erat tunc Atrebatum Antistes, annorum quatuor & viginti, viuo adhuc patre.

negotiorum conficiens.

Adlectus inter supremos Imperij Belgijque consiliarios: in Cæsaris expeditionibus comes vel armatus: ad Principes viros, ciuitatesque legatus à Cæsare, pleraque feliciter confecit eloquentiæ beneficio, sed mirâ solertiâ temperatæ, SINE qua parsimonia, omnis facundia, importuna demum profluentia est, & morbus haud se retinentis ingenij.

Testificatio Cæsaris de illo apud Regem.

Transijt à Cæsare, vbi hic cessit Imperio, ad Philippum Regem, cum perhonorifica testificatione meritorum: ferebanturque hæc abeuntis Caroli verba, Vnum esse Antonium Granuellanum, cuius operâ vti filium in summis quibusque rebus exoptaret. Sed ille, quòd sciret huiusmodi COMMENDATIONES vigere, quum recentes sunt, obsolescente autem maiorum memoria, quasi plus imperij, quàm officij habuerint, odio interdum esse; festinauit Regis gratiam promereri admirabili dexteritate.

Artes eius ad gratiam à Rege promerendam.

Quamquam enim DIFFICILE est successori placere, naturâ plerunque moribusque diuerso: omnia tamen peruicit obsequio Granuellanus. vtque erat ingenio facili ac translatitio, illico in mores Hispani Principis immigrauit. Studium firmandæ Religionis aduersùs hæreticos, in quo mirè cum Regis ingenio congruebat: animus nec importunus honoribus accersendis, nec impar oblatis: solertia introspiciendi sensa Principis, eiusque mandata priusquàm voce ederentur, ex vultu conijciendi: diurna nocturnaque sine somno, sine cibo, laborum tolerantia: constans, ac supra aulicum obsequium fides; haud dubiam Regis beneuolentiam ei deuinxere. Iuuitque in primis conscientia arcanorum Cæsaris, ex quorum disciplina moderandæ Philippo erant Regnorum curæ.

& promeruit. adhibitus ad summa quæque.

Quas ob causas toto Rex quadriennio, quo substitit in Belgio, nihil fermè domi, forisque transegit: non pacem, non fœdera cum Regibus, populisque sanciuit: non connubia firmauit, non seditiones composuit, non templa, non sacra religionesque procurauit vnquam, nisi administro atque interprete Granuellano.

& commendatus Gubernatrici à Rege.

Quin etiam Belgio Rex abiens in Hispaniam, hunc Margaritæ Parmensi Duci præcipuum regiminis instrumentum reliquit: addiditque, E re prouinciarum fore, si hunc, quàm ceteros, in consilium crebriùs adhiberet.

Gratia, & potentia eius apud Gubernatricem.

Et adhibitus ab illa est: planè, vt quem locum apud Regem, eum apud sororem, firmatâ tertiùm potentiâ, quod raròaccidit, obtinuerit. Nihil ferme aut priuatim, aut publicè agebatur, illo non audito. Et audire, capi erat. adeo is animi promptus

Dexteritas eius in consilijs dãdis.

consilia in omnem partem varia submittebat, quo integrum esset Principi deligere: seque sententiæ, quam delibando iudicij sui fecerat, authorem propemodum agnosceret. amaret certè mode-

stiam

ſtiam indicantis, non coactus (id quod Principi eſt graue) commendare ſapientiam docentis. Ex quo fiebat, vt Granuellanus & potentiæ ſimul, & gratiæ compos, ſpecie obſequij dominaretur. Hæc tamen ipſa rarò præſens & coram, pleraque per litteras & codicillos cum Parmenſi Gubernatrice (repetito ex Augusti, Tiberijq; temporibus more) tranſigebat. extatque apud me ingens litterarum volumen, quas ille in horas ſubmittebat Auſtriacæ, quamuis eâdem vrbe, ſæpe & iiſdem ædibus contineretur: ad ſuſpicionem potentiæ apud Proceres, vt arbitror, euitandam. an vt, quæ ſuadebat, altiùs hærerent? Sed difficile eſt aulam fallere. Iamque nemini dubium erat, quin pleraque domi ac foris ageret Granuellanus: &, vt ſæpe accidit, etiam quæ non agebat, inſita ſemel opinione de hominis gratia, agere vulgò credebatur. Et à primo quidem non magnopere eius potentiam metuebant Orangius, Egmontius, ac præcipuus quiſque Belgarum: quòd præ ſe facilè contemnendam putarent hominis nouitatem. At vbi authoritatem eius gliſcere in dies, eòque cuncta vergere, immo & Nobiles aliquot in obſequium, parteſque tranſire animaduertunt; tunc enimuerò æmulum agnoſcere: &, quoniam in æquo ſtare videbatur, arietare incipiunt, primùm ciuiliter, intraque licentiam diſcordantium animorum: deinde ex nouo Purpuræ honore ſummam Regis in eum beneuolentiam interpretati, veritique ne dubiam Regis opinionem de Belgarum Proceribus aleret ipſe clandeſtinis litteris; nimirum odia vltra modeſtiam producere: priuatos conuentus, præſente Parmenſi, altercando veriùs quàm conſulendo tranſigere: nec aliam diſſentiendi rationem plerunque habere, niſi quia conſenſerat Granuellanus. Quod vt infenſius agerent, fortè multa euenere, quæ hic ſimul commemorabo. Carolus Comes Lalinius, ac Simon Regnardus, Philippi Regis nomine, pacti erant cum Henrico Gallorum Rege inducias annorum quinque. Conditiones, in quas conſenſerant, Hiſpano diſplicebant: ideoque Philippi gratiâ Regnardus exciderat, culpæ propior, vt dicebatur. qui ſuſpicatus neſcio quibus indicijs, Granuellani operâ abalienatam à ſe Regis voluntatem; multa de homine queſtus, in ſimultates vnà traxit Lalinium, quippe legationis principem, in quem ea demum reciderent, quæ ſpargebantur aduersùs legationem dubia cum fide obitam. A Lalinio ad Philippum Momorantium Hornæ Comitem (cuius ſororem matrimonio duxerat Lalinius) eius diſſidij contagio peruaſit: creuitque dein atrociùs, quum in petitione Geldrienſis præfecturæ, prælatum ſibi Hornanus vidit Carolum Brimæum Megæ Comitem, eamque repulſam Granuellano acceptam retulit. Perſimilis quoque cauſa Roberto Brederodio fuit. hic Cameracenſem

[Margin notes: plerunq; per litteras. — Tac. Ann. 4. — Inuidia Nobiliũ in illum. — Aemulatio: — Odia ex priuatis orta offenſionibus, præcipuè Com. Lalinij, & Regnardi, — Florent. V. A. de init. l. 1. — & Com. Hornani. — & Brederodij.]

ſem Archiepiſcopatum ambiebat ſummo Procerum ſtudio. contrà Granuellanus ſtabat, proque Maximiliano à Bergis, cui fauebat æquiùs, impetrauit. Eodem tempore Lazarus Zuuendius Germanicorum ordinum in Hungarico bello, & ad S. Quintinum ductor, omnia ſibi per Orangij, atque Egmontij familiaritatem abunde pollicitus, vt tamen in Senatum adlegeretur, obſiſtente (vt exiſtimabat) Granuellano, euincere non potuit. Quam iniuriam & ſenſit impotenter ipſe, & eius ſenſum amicis opportunè inijcere conatus eſt. Sed grauiùs adhuc offenderat Egmontium, quòd & in Heſdini præfectura à Granuellano ludificatum ſe aiebat: & Trullenſe Abbate vitâ functo, quum eius locum peterent à Pontifice Egmontius conſanguineo ſuo, Granuellanus ſibi; hic prælatus eſt. Indigniſſimè verò ferebat Orangius, non ſolùm quòd ſpe vniuerſi Belgij adminiſtrandi deiectum ſe videbat, Albani Ducis, Granuellanique operâ: ſed etiam quòd per eoſdem ſtetiſſet, ne Chriſtiernæ Lotharingæ filia, cuius dudum nuptijs inhiauerat, potiretur. Et quamuis hanc de Granuellani potentia opinionem multis in rebus abolere, inuidiamque reſtringuere Margarita conaretur: contrà quàm Principes nonnulli faciunt, quibus GRATVM eſt, domi aliquem eſſe, in quem odia Dominis debita exonerentur; non tamen perſuadebat hominibus, qui hunc ipſum Gubernatricis conatum, beneuolentiæ magnitudinem interpretabantur. Ergo priuatis hiſce, quas dixi, alijſque ſimultatibus offenſi Nobilium plerique, tanto acriùs eius potentiam, hoc eſt, communem ipſorum iniuriam imminutum ibant. In ſenatu, Granuellani placita deſtinatis pridem ſententijs reſpuebant, contemnentium quàm conſultantium ſimiliores. Apud Regem litteris, apud Gubernatricem querelis ceu ſuperbum, infeſtumque nobilitati, ac futurum aliquando Belgarum perniciem criminabantur. Populis inuiſum iam effecerant, perſuaſerantque, Epiſcoporum numerum, edictorum Cæſaris reſtitutionem, Hiſpanicam inquirendi de Religione ſeueritatem ab vnius eſſe Granuellani ambitione, qui per eam Belgarum ſeruitutem, neſcio quod imperium ſibi meditaretur. Et vulgus audiebat, quia oderat. Nec ille opinionem auertebat, dum totam eam de Religione prouinciam procurabat vnus ardentiùs aliquantò, quàm cautiùs: vtque præſidenti erat ingenio elatoque, facilè omnes æmulorum conſpirationes ac minas, præ vna Regis ſui gratia, palàm contemnebat. niſi fortè contemptum ſimulabat, ne, ſi calcari ſe metueret, videretur poſſe calcari. Hinc populus & ſua ſponte, & hæreticorum commercio in liberiorem vitam multo in dies intentior, non minus odio in Granuellanum, cui quidquid noui aſperique moliebatur Rex, acceptum referebat: quàm amore aduerſus Optima-

& Lazari Zuuendij.

& Com. Egmontij.

& Princ. Orãgij.

Gubernatrix pro Granuellano laborat.

fruſtra.

Nobilium aduerſus Granuell. conatus:

quem ipſe declinare negligit.

Populi cum nobilitate conſenſus:

Optimates, quos popularium patronos, Belgicæque libertatis vindices existimabat; his vltro adhærere, eorumque nutum obseruare impensè cœpit. Et illi occasionem nacti priuatas iniurias vlciscendi specie popularis patrocinij, in spem venere æmulum loco mouendi, si, quod tunc per eum agitabat Rex aduersâ multitudine, eâdem adiutâ irritum efficerent.

ee Nobiles vsi Remp. turbant;

Quare illorum aliqui in prouincijs, quibus præerant, iniunctum sibi negotium de Religione, deque edictorum Cæsaris obseruantia ægrè promouere: alij tacitè fauere multitudini, suadereque, ne nouum illud paterentur erigi tribunal, hoc est, animarum tricas, & compendia Hispanorum: non nemo, cui Religio post dominandi cupidinem erat, hæreticis vndique irrumpentibus conniuere, conspirationes turbulentorum hominum clam alere, denique nihil prætermittere, quo semel Rex intelligeret, quàm malè Belgium vnius Granuellani superbiæ crederetur.

ad odiũ Granuellano conciliandũ,

Simulque hinc fieret, vt eum aut Belgio, & fortasse etiam Regis gratiâ motum aliquando conspicerent: aut certè nouis subinde populorum turbis implicatum, sollicitumque perpetuò haberent.

& loco mouendum,

aut saltem distinendum.

Quorum vtrumque, & illud præterea ad extremum viderunt, (quod profectò minimè moliebantur eorum plerique) vt erectis hæreticorum partibus, auctâ seditiosorum hominum licentiâ, abiecto paulatim pudore metuque legum, complures Belgarum Prouinciæ tandem exuerint reuerentiam, fidemque aduersus Principem: tractisque eodem fato etiam honestissimis viris, ea tumultuum, bellorumque incendia excitata sint, quæ nullo deinceps populorum sanguine, nullo vrbium ac prouinciarum excidio restingui potuerunt.

Erectis interim hæreticorũ partibus;

maiore, quàm plerique Nobilium vellent, incẽdio.

Vsque adeo è paruis initijs maxima sæpenumero proueniunt: ac longè maiori præcipitantia, ruinaque excurrunt plerumque mala, quàm eorum authores impulere. Siquidem verissimum est, IGNEM tectis inijcere, & iniecto spatium modumque statuere, non esse in eiusdem manu. Quamquam nec deerant è nobilitate, qui eas seditionum turbas destinato animo vellent, Reiq; publicæ mutationem iam tum aliquam in Belgio meditarentur.

Non deerant, qui incendiũ vellẽt,

Horum duo genera erant, Alij siue studio liberioris vitæ, siue vxorum contagione, quas è Germaniæ vrbibus hæresi affectis petierant, minoris quotidie faciebant Orthodoxæ Religionis obseruantiam: ideoque proniores in hæreticorum partes, inuerecundo eas animo fouebant, depressaque aliquando catholicorum dominatione superiores exoptabant.

Hi duorum generum erant;

Alijs ad tuendam dignitatem (profusis iam domesticis opibus) turbata publica re opus erat. Etenim non pauci Nobilium, & in superioribus bellis, & pòst in aula, quasi indecorum nomini Belgarum rati, si ab externis, ac præcipue Hispanis Proceribus in vestium armorumque pompa, in famulorum & clientum comitatu, in equorum nume-

Ab vtrisque publica demũ pernicies.

numero atque ornatu vincerentur; diuitias ſanè ingentes inter ea certamina conſumpſerant, maiore ipſorum impendio, quàm Hiſpanorum, quorum plerique opibus anteibant. Quare quum ex vna parte nulli iam fundi, nulla patrimonia ſufficerent continuando eiuſmodi pomparum ludo: & tamen anguſta in re animus ingens, & dignitatis ſuæ retinens perduraret: ex altera parte quum hæretici ne vrbibus pellerentur, plecterenturue, (id quod agebatur) pecunias abunde pollicerentur Nobilibus, ac præſertim ciuitatum Rectoribus, in quorum præfecturis perfugium collocauerant; facilè factum eſt, vt ad tuendam eorum cauſam ſponte transferrent ſeſe aliqui Nobilium: poſthabitaq; proprijs commodis ſalute ac tranquillitate populorum, Gubernatricis Granuellaniique operam in ijs tumultibus componendis per ſummam diſſimulationem quotidie ludificarent, atque eas demum ſeditiones ac turbas haud grauatè paterentur, in quibus ipſi mercaturam interim quæſtuoſam facerent.

De PRINCIPE ORANGIO.

VERVM quas ego ſparſim memoraui hactenus cauſas, oſtendique reſediſſe penes populum, penes nobilitatem; in vnum denique Orangium conuenere omnes. Id planum vt faciam, genus eius, ingeniumque, & quibus artibus potentiam adeptus, accuratè perſcribam, neceſſariâ, nec (vti arbitror) ingratâ lectoribus enarratione: vt quem magnorum exercituum Impetatorem, annos ferme ſexdecim, variâ fortunâ dimicantem viſuri ſunt, eius quoque mores, animumque, & tamquam imaginem ante oculos habeant.

Maiores eius ex Germania. *An. 1292.* *in Belgium.* *Orangius in Apol. an. 1581.* *Eorum in Belgio potentia.* *Orange.* *an. 1544.* *in Burgundia.*

Naſſauia gens à principio clara per Germaniam fuit: ſed Adolphus Naſſauius Imperium adeptus, Auguſtam fecit. Tranſtulit illam in Belgium Comes Otho, ante annos ferme ducentos. firmaruntque nepos eius Engelbertus Primus, atque huius Primi nepos Engelbertus Secundus, Gulielmi Orangij, quo de loquimur, ille abauus, hic pattuus magnus: à quibus aucta per haſce prouincias dotalibus oppidis, opibuſque, præſtare inter Belgas cœpit: accreuitque poſtea traducto à Chalonijs ad Naſſauios, Arauſienſi Principatu. Etenim Henricus patrùus ex Claudia Chalonia Philiberti Chalonij Principis Orangij ſorore, Renatum filium ſuſcepit: Renatus, extincto Philiberto auunculo, qui poſtremus Chaloniæ gentis fuit, ea lege in Principatum ſuccedit, vti pro Naſſauio Chalonius cognominaretur. Sed hoc quoque ſine liberis decedente, Arauſienſis Principatus, ac reliquorum bonorum hereditas, quam apud Sequanos ampliſſimam Renatus habuerat, ad Gulielmum patruelem, de quo nunc eſt ſermo, adnitente Carolo Quinto Imperatore, peruenit.

Ortus Orangij, & præſagia: *13. April.*

Ortus eſt autem Gulielmus anno ſeſquimilleſimo trigeſimo tertio, fratrum, quos quatuor habuit, natu maximus. Feruntque, à parente (cui Gulielmo quoque nomen) conſultum fuiſſe ſuper liberorum fato Philip-

Henr. Ranzon. in exēplis Astrol. Michael. Aitzinger in leone Belg.

Philippum Melanchthonem, qui chaldaicis rationibus eruditus genethliacum agebat, professione quàm scientiâ clariorem: confectoque eorum themate, dixisse, Gulielmum genesim haud sanè æquabilem habere: primùm ad magnos honores stellis aurigantibus peruenturum, dein moliturum longè maiora, sed ad extremum infelici rerum exitu vitam conclusurum. De quorum alijs, quæ idem præsenserit, nec fando audiui, nec consignata litteris vsquam legi. an quia successu caruere, ideoque silentio transmissa sunt, ne artis authoritatem eleuarent? A Gulielmo parente (quòd is ad Lutherianos discesserat) abducit filium impuberem Carolus Cæsar, Reginæque Mariæ sorori tradit. Mox, vbi per ætatem licuit, inter ephebos adsciuit Imperatorij cubiculi: quo in munere delectatus indole dicitur ac solertiâ pueri Cæsar, quòd ad modestiam compositus, neque vanè ostentaret Principi obsequium, neque occasionem vllam prætermitteret obsequendi: idque sedulò ageret, vt gratiæ opportunior, quàm promptior haberetur. E cubiculo, in quo annos fermè nouem versatus est, transfert illum Cæsar ad militiam vniuersoque præficit Belgico equitatui. Quin discedenti è castris Sabaudo totius exercitus legato Gulielmum substituit, oneri quamuis immaturum, duosque nondum annos ac viginti prætergressum: præteritis interea multis bellica virtute præstantibus: interque alios (quod Orangius ipse est admiratus) Egmontio, qui præter militarem scientiam, annis illum duodecim anteibat. Exinde in pace æquè ac bello, ad honestissimas quasque legationes semper adhibitum, primos inter Proceres, summo loco Cæsar habuit. Sanè in magna illa abdicatione Regnorum, quod ei supremum operum fuit in Principatu, dum ceteris Gulielmum prætulit, per quem, vti memorauimus, Imperij coronam, sceptrumque transmitteret Ferdinando fratri; satis ostendit vltima ea voluntate Cæsar, qua illum beneuolentia complecteretur. Et quamquam nonnulli, quibus ingenium eius à principio suspectum fuit, mouere interdum Principem, Nimiùm ne crederet Gulielmi moribus: illum imitatione virtutis, fraudem tutò tegere, ac destinare: proinde caueret, ne eam in sinu vulpem aleret, quæ domesticos pullos ad extremum deuoratura essent. Id tamen secus accepit, contempsitque Cæsar, gnarus illa iactari solita in familiares, & continuos Principum. Quin potius auxerunt hæc beneuolentiam apud Cæsarem. certè honorificis illum verbis nominando, modestiamque, & fidem iuuenis extollendo, liberare eâ inuidiâ visus est: siue quòd ita sentiret: siue Dominorum vitio, qui quum huiusmodi criminationibus non minus se peti sentiant, quàm intimos carosque suos; facilè vel non animaduertentes, horum patrocinium suscipiunt, cum

Educatio.

Militia.

Bādas Ordinansiarū vocant.

Em. Philib. Sabaudia Dux.

In Apolog. eiusdem.

Gratia.

Suspecta nō punitis.

sed defendit illū Cæsar:

cum quibus causam vtique communem habent. Sed erant in Orangio iam tum aliqua, ex quorum indicijs si minus caueri, obseruari certè debuerat: quæ tamen indicia magis magisq; prodiere post abscessum Cæsaris. Etsi enim hic abiens accuratè Philippo filio commendauit Orangium: ac Philippus tum sua sponte, tum Patris inuitatu, multa ei ostendit beneuolentiæ argumenta. nam & inter equites aurei Velleris eum statim adlegit, & conficiendæ pacis cum Henrico Galliarum Rege interpretem, eâque confectâ obsidem dedit: & ad amplissimas prouincias, quibus eum imposuit in Belgio, etiam Burgundiam procul adiecit; tamen quo hæc loco esse poterant apud illum, qui vniuersi Belgij administrationem sibi vltrò deberi à Rege ob labores, ac sumptus in Austriaca amplitudine defensanda, nullo fine prædicaret? Ausus etiam in Apologia aduersùs Philippum Regem, post enumerata Maiorum suorum in Maximilianum, & Carolum Imperatores merita, ad extremum conficere; Nisi Nassauij Comites, Orangijque Principes fuissent, profectò Hispanum Regem non tot regnorum terrarumque titulos in capite proscriptionis, quam in eum ediderat, præpositurum. Spe igitur euolutus moderandi Belgij, simulque occupatis à Granuellano primis in noua Gubernatricis aula partibus, veritus ne minoris quotidie fieret apud eam, quam in Belgica præfectura capessenda posthaberi Christiernæ Lotharingæ palàm ipse voluisset, palàm conatus etiam esset; alia ratione tueri dignitatem suam, quodque iampridem moliri cœperat, nouis instigatus offensionibus vrgere sedulò statuit. Et quamquam compertum non habeo, à principio certum ei consilium insedisse animo, defectionemque ab Rege meditatum esse; tamen haud dubiè affirmauerim, noui tunc aliquid agitasse, quo Regis imperium eneruaret, Hispanorum potentiam euerteret, hæreticorum partes aleret, sibi per æqua; per iniqua decus authoritatemque adstrueret, &, si quid, super hæc, fortuna obtulisset, arriperet. Et verò ad nouandas res haud scio, an vllus vnquam mortalium fuerit instructior, quàm Orangius. Ingenium ei præsens, & occasionum haud segne, sed subdolum, sui obtegens, etiam ijs, qui arcanorum eius conscij ferebantur, inaccessum. Porrò captandæ eorum gratiæ, quibuscum semel loqueretur, artifex sanè mirus: adeò ex vero ad omnium mores, mores suos conformabat, seque alienis momentis circumagebat. Non quòd ad ista descenderet officiorum aucupia, & vocabula imaginariæ seruitutis, quibus hodie sese homines honorificè ludificant: sed quòd obsequij dignationisque nec modicus, nec prælargus, ita verba callidè temperaret, vt facilè crederes, eum plura factis reseruare. Ex quo maior & grauitatis eius opinio, & dictorum fides. Accedebat, quòd licet superbo esset animo,

& Regi commendat:

& honorificè habetur à Rege.

Causæ offensi animi eius.

Consilia.

Ingenium et mores:

qui non aulici, et leues.

mo, ac dominationis appetentissimo: sic tamen in speciem componeret se, vt vbique sui potens, extra sensum iniuriæ videretur. Sed quàm liber ab ira, tàm metui obnoxius: planè vt singula vereretur, atque intuta putaret omnia. Non tamen propterea desistebat: quod animus ex vna parte ferax consiliorum, si prima non probarentur, noua illico supponeret: ex altera vastus, atque immoderata percupiens, omnem denique metum cunctationemque præcideret. At rei domesticæ splendor, famulorumque, & assectarum multitudo magnis Principibus par. Nec vlla toto Belgio sedes hospitalior, ad quam frequentius peregrini Proceres, Legatique diuerterent, exciperenturque magnificentiùs, quàm Orangij domus. Idque & populo gratum, qui gaudere solet, patrias opes ac potentiam aduenis ostentari: nec inuidiosum apud imperantes, à quibus omnem superbiæ suspicionem supplici obsequio redimebat. Ceterùm Religio prorsus ambigua, aut potius nulla. Præsentibus Cæsare, ac Rege, catholicum egit: illis Belgio abeuntibus, ad paternam hæresim, quam puer hauserat, sensim redijt; ita tamen, vt quamdiu administrauit prouinciam Margarita Parmensis Dux, potiùs hæreticorum partes, quàm eorum disciplinam fouere videretur. Postremò sub Margaritæ discessum, Caluinianæ familiæ (ad hanc enim à Lutheriana gradum fecerat) non sectator modò, sed etiam propugnator palàm videri voluit. scripsitque postea libellum, quo testatus est omnibus, A puero se reformatæ (vt vocat) religionis perquàm studiosum fuisse: mansisseque animo semper illius semina, quæ grandiore cum ætate maturuerint: eòque pertinere, quæ domi quæque militiæ patrarat ipse, nempe vt religionem tot legum, edictorumque telis à Cæsare, à Rege petitam, pro vetere suo cultu vbique tueretur. In quibus verane scripserit, senseritque ex animo cum Caluinianis, an potiùs eâ se gratiâ venditauerit ijs, quorum tunc operâ egebat, incertum aliqui habuere. propius fidem est, Religionem obtentui habitam esse, eamque ceu vestem pro temporis opportunitate sumptam iuxtà atque depositam. certè non vsque adeo Religionis habendam esse rationem, vbi de acquirendo firmandoue imperio agatur, apertè is aliquando scripsit Alenconio Galliæ Regis fratri, cuius ego epistolæ partem in loco reponam. Id, quod à peruersa Machiauelli institutione didicisse creditum est, cuius lectioni addictum sedulò fuisse, in litteris ex Hispania Alexandro Parmensi Principi transmissis Granuellanus affirmat. Hisce igitur artibus instructus Orangius quomodo concitandis Belgarum animis operam dederit, ipse in præsentia breuiter aperiam. Agebat obses apud Henricum Secundum Galliæ Regem Orangius, vti suprà memoraui. Inter venandum in eum sermonem cum Rege deflexit,

Splendor rei domesticæ.

Religio varia.

Apolog. an. 1581.

Ipse se Caluinianum describit:

incertū, an verè.

an. 1581.

Orangius obses pro Philippo apud Henricum,

flexit, ex quo Philippi Regis consilia cum Henrico inita se penetrasse magnificè gloriatur in ea, qua respondet Philippo proscribenti, defensione. *an. 1581.* *Explorat consilia vtriusque Regis contra hæreticos.* Quum enim eorum consiliorum mentionem fecisset aliquam Henricus, sed abruptè obscurèque, ne scilicet ignota patefaceret; Orangius, (sic ipse commemorat) vt Regem eliceret ad rem penitus euoluendam, simulat iampridem se eorum conscium atque participem: credidítque facilè Henricus, quòd carum Regi Principem putaret, eiusque vadem videret. Securus itaque narrat, Inter se, ac Philippum, internuncio Albano Duce, conuenisse, omnes nouarum religionum familias perditum ire: id sibi in Gallia, idem Philippo in Belgio curæ futurum: sed hunc adornare præter alia certum causarum Fidei tribunal, quo non minùs quàm arcibus, in officio populos contineat. Exploratis Orangius hisce consilijs, quæ Philippi agnoscebat, in Belgium redijt. Hîc quum videret & Margaritam Parmensem rebus præfici, eique Granuellanum adiungi, & Episcoporum numero Prouincias augeri, & de Fidei Quæsitoribus instituendis agi; sensit hæc esse, quæ sibi pridem indicauerat Henricus: *Inde occasionem turbandi præsumit:* quumque animaduerteret ob noua hæc decreta, sollicitis suspensisque ciuitatibus, nullam ferè partem Reip. lætam; enimuerò vtendum sibi duxit ea rerum opportunitate: ratus, si illa offensionum initia, quæ ex vna parte satis per se complures ab hæresi iam corrupti fouebant, ex altera ipse clam aleret; haud dubiè elusurum se Hispanorum consilia: sibique iam tunc oboriri nescio quid lucis intellexit, ac magnum aliquid obseruari animo, quo destinare spes suas tacitè impellebatur. Ergo telam sic ordiri placuit. *ducto principio à comitijs Equitũ aur. Vell.* Gandaui habiturus conuentum Rex erat Equitum aurei Velleris: *An. 1559.* in quibus creandis quoniam non omnis tunc erat authoritas penes Regem collegij Magistrum, sed in suffragijs & consensu collegarum, *ex eadem Orang. Apolog.* Orangius vt in eum ordinem aliqui adlegerentur, quos ipse nouerat infensos Regi, (credo Montinium, & Hochstratanum) *Florentius Momerantius Montinij Dominus. Antonius Lalamus Comes Hochstrata.* enixè curauit, sollicitatisque propterea collegarum studijs planè peruicit. Et hi quidem in tempore vsui erant futuri quippe beneficio empti. Ad hæc tumultuantes, vt antea docui, ciuitates ob relictum in limitaneis arcibus Hispanum militem, *nactus materiã seditionis ex Hispanis militibus:* incitare occultè instititit: atque apud fidissimos quosque de peregrinæ militiæ superbia disserendo, quæ specie tuendi finium, iugum liberis ciuitatibus meditetur: simul Belgarum fidem militum prædicando, quæ ad grauem gentis iniuriam exteris posthabeatur; suadet vt Ordines, qui cogendi tunc erant, ab Rege præcisè postulent Hispanorum militum missionem, exemplo Patris, qui præsidijs nonnisi Belgicis vtebatur in Belgio. *1559.* Id, quod ab Ordinibus, magnis profectò clamoribus flagitatum, atque ab Rege tunc quidem verbo, postea verò

re ipsa

in eadem Apolog. re ipsa firmatum est; multa vtique Orangij gloriatione, qui etiam litteris testatum voluit, Authorem se fuisse Hispanos eijciendi, eoque facinore, quod decori sempiterno ducebat sibi, collegisseque suis, duo consecutum esse; alterum, quòd seruitute tum quidem patriam exemerit: alterum, quòd viam religioni, vt ipse loquitur, adornauerit. Vnum sibi, suisque defuisse ad summam gloriæ: quòd quemadmodum Hispanos Belgio semel eiecerint, ita non statim fores obstruxerint obfirmauerintque, præcluso illis aditu ac spe Belgium repetendi. Sperare tamen se, sicuti ab ea gente magnam Belgij partem ita purgauerit, nihil vt ibi suum, præter ossa & cineres suorum, illi possint agnoscere; sic breui effecturum, conaturum quidem certè, vt ex prouincijs omnibus exterminati coactique in patrium solum, sinant aliquando Belgas plena perfrui libertate fortunarum, corporum, atque animarum. Nec minus impigrè versa- *ex nouis Episc.*
Idem in eadem. uit ille se in nouorum Antistitum designatione, quos odio nempe caluiniano tortores appellare consueuerat excarnificandis, comburendisque mortalibus impositos. Idque acriùs agebat apud Abbates, quorum aliquos secretis colloquijs instructos, firmatosque ad- *ex litteris Granuellani an. 1582.*
uersùs imperantium metum, præcipua discordiarum instrumenta diu habuit. Sed nusquam felicior, quàm in edictis Imperatorijs, Regijsque frustrandis. Vt enim nihil æquè perculit hominum animos, atque Inquisitionis nomen in hæreticos instituendæ, ita Oran- *ex Inquisitione.*
gius in ea trepidatione metum amplificando, priuilegiorum iniuriam, Hispanorum seueritatem, Belgij seruitutem, vana pleraque, sed inclinatis ad suspicionem mentibus idonea, permiscendo; mirum, quantam & rei inuidiam, & a Rege abalienationem, & in Hispanos odium cumulauerit. Adeo vt, quum iam multis persuasum esset, in ea re verti gentis libertatem, non minus Quæsitores Fidei, quàm hostes patriæ, à suis ciuitatibus abstinendos putarent. Hoc ergo successu lætus Orangius, simul ob Granuellani potentiam acribus, vt aiebam, stimulis incitatus, eo proniùs institit & populi, & *ex Granuellani potentia.*
hæreticorum fouere partes, quibus præcipuè inuisum illum nouerat, gaudebatque. Tandem nouis ac longè atrocioribus Albano *ex turbis Albano Gubernatore motis.*
Gubernatore turbis per omne Belgium implacabiliter excitatis, quantum audacia populis accreuit, qui oblata sibi à nonnullis ciuitatum Præfectis impunitate, imperia palàm detrectabant; tantum animo erectus Orangius, quas adhuc spes incertus, atque in longum iecerat, iam propè, ac destinatas habere, damnatâque aulâ, maius aliquid inter arma atque celerius expectare cœpit. Donec gliscente in dies malo, seditiosi ciues hæreticis immisti, pars fugâ *Dux optatus Orangius à seditiosis ciuibus, atque ab hæreticis.*
pœnarum stimulati, multo plures spe nouæ libertatis allecti; vt ea quæ moliebantur, sub duce forent aliquo tutiora honestioraque;

 aduer-

aduertêre oculos in Orangium, quem potentiæ auidum, eòque Hiſpanis infenſum introſpexerant: quem ſcirent hæreſi imbutum, certè hæreticorum affinitatibus implicatum, eorumque vtentem operâ viderent; quem oppidorum complurium dominatu validum, & externorum Principum conſilijs opibuſque nitentem non ignorarent. Et ipſe partim hæreticorum ſtudio, quibus vt faueret domi vrgebatur à coniuge, à fratre, à familiaribus, foris à magnis Proceribus excitabatur: partim odio Granuellani primùm, dein Albani, ſemper Hiſpanorum, præſertim quòd deſperatâ Regis gratiâ, vix locum videret retrahendi aleam, quam iecerat: partim oportunitate dominandi, quàm ſibi in manus vndique offerri ſentiebat; totum ſe ad eorum partes tranſdidit, in quibus defendendis & ſpeciem propugnandæ libertatis haberet, & ſpes interim ſuas abunde paſceret. Atque in hunc modum, quod neque Orangius, aut dux alius ſine ea concitatione populorum, nec concitata multitudo ſine duce agitauiſſet, vtrorumque conſpiratione perfectum eſt: exarſitque ea ſubitariæ rebellionis flamma, quæ diuturnum poſtea, deteſtandumque victoribus iuxtà ac victis armorum incendium conflauit.

& ipſe ſe prabet.

Anna Mauritij Saxon. Ducis fil.

cũ publica pernicie.

Sũma cauſarũ, occaſionumque tumultuum Belgicorum.

QVARE, vt ſemel omnia ſub aſpectum ponam, PLVRIMVM refert, ſuccedantnè, an concurrant infortunia. Vtque ex aliquarum coitione cœtuque ſtellarum gigni noxios afflatus perhibent; ita inter mortales, atque in excidio regnorum obuenire certum eſt. Immiſſa impetu hæreſis, offenſi Hiſpanis militibus populi, aucti per prouincias Epiſcopi, repetita Cæſaris edicta, ac ſumpta de violatoribus ſupplicia, iniectus ex Hiſpanica Fidei cenſura terror, fruſtratæ Nobilium ſpes, prælatus in aula Granuellanus, quia vnà fuere, tumultus illos ac turbas facilè concitarunt: ſed non eodem modo. pleraque horum prætenta ſunt, quia honeſtiora videbantur; quum tamen duæ rem cauſæ confecerint, Hæreſis, & Ambitio: ſed alijs nominibus inuolutæ, occaſionemque ac principium aliunde mutuatæ. Nam hæretici, conciliato ſibi populo, priuilegia obtendebant libertatemque Belgarum: aduerſus ea ne quid à Margarita Gubernatrice decerneretur, ad opem Nobilium confugiebant. Et audiebantur auidè ab ijs, quorum alios egeſtas, alios repulſæ, pleroſque Granuellani potentia ſtimulabat, eòque opus habebant ijs turbis, in quibus ſimul pecuniâ reficerentur ab hæreticis, ſimul à Gubernatrice adhiberentur operi; &, quod inde fieri oportebat, Granuellani poteſtas paulatim concideret, quippe negotijs exuta. Hinc auctâ plebis contumaciâ ex ſocietate partium, imperia Dominorum contemptui haberi, quin & ſeditioſis paſſim cœtibus terreri vrbes, deinde populationibus templa multis in locis violari,

poſtre-

postremo defectionem meditantium populorum videri alicubi iam initia cœpta sunt. Atque hæc mihi comperta primis de causis, atque principijs tumultuum Belgicorum: quos ante discessum Margaritæ Parmensis ex Belgio, consopitos, ac propemodum extinctos noua rursus in Albani præfectura offensionum principia multo funestiùs excitarunt: dum stimulator omnium Orangius nactus eò prolapsam, sed non perinde duraturam sine duce multitudinem, locum occupauit: atque aduersùs Hispanorum arma, aperta demum Prouinciarum discessione, armatos diu populos Ductor opposuit. In quibus quantum peccauerit aut Hispanus importunitate remediorum, aut Belga contumaciâ aduersus imperantes; malo ex ipsa rerum narratione peti, quàm ex historici inuidiosè differentis ingenio.

DE

DE
BELLO BELGICO
LIBER TERTIVS

MISSIO Hispanorum militũ ex Belgio.

PRIMA noui regiminis cura fuit militum Hiſpanorum miſſio. Etenim querebantur, vt indicaui antè, Prouinciæ, exacto quatuor menſium ſpatio, quo educendum peregrinum militem è Belgio Rex ſpoponderat; tandiu ad præſidia retineri. Sed Margarita cunctabatur: quòd ſpei plurimum haberet in veterani militis virtute ac fide, ſi quid fortè domi turbaretur ex contagione finitimorum, qui magnis de Religione diſcordijs conflictabantur. Quæ fuit cauſa, vt laborantem pecuniâ militem, quia ſtipendia non ſoluebantur à prouincijs, ipſa ſuſtentauerit aliquandiu contracto ære alieno. Verùm quum Belgarum querelæ propterea gliſcerent in dies, Regiſque fidem prouincijs obligatam Gubernatrici obijcerent: quumque vir eius Octauius Dux Parmenſis, qui non ſatis eam antè probauerat Hiſpanarum cohortium in Belgio moram, profecturus in Italiam earumdem miſſionem Coniugi ſuaderet; tranſigit illa cum Rege per litteras de militum diſceſſu: acceptâque ab eo pecuniâ & commeatu, iubet euocatos ex limitaneis vrbibus præſidiarios omnes Fliſſingam Zelandiæ portum, inde ſoluturos in Hiſpaniam, quamprimùm deduci. Sed hîc dum nauigatio adornatur, adulto iam autumno, repentinis ab Rege litteris Gubernatrix admonetur, ne Hiſpanos adhuc amoueat à præſidijs, ſed pro ſua prudentia tandiù moras nectat, donec ea ſuper re certi aliquid ipſi præſcribat. Quod ſanè deſiderium & ſi animo Regis ſemper insêdit, nouis tamen ſuſpicionibus confirmatum fuiſſe crediderim ab litteris Granuellani: qui ſedulò intentus in Nobilium facta, nimios eorum conatus in expellendis peregrinæ militiæ præſidijs acciperet in deteriorem partem, ac fortaſſe etiam Principis Orangij conſilia altiùs introſpexerat. Sed Margaritæ haud promptum erat obſequi Regis animo: quòd odia rixæque inter vtramque nationem vltra remedium proceſſiſſent. Etenim Hiſpani tanto inſenſiores erant, quanto maiore omnium contentione emittebantur: & Belgæ nouis offenſionibus irritati illorum profectionem tanto inclementiùs vrgebant. adeo

1559

Dilatio miſſionis imperata à Rege. 4. Octob.

Inde Belgarum querela.

1560 adeo vt Zelandi, quorum apud Inſulas, vt dicebam modò, ſubſtiterant Hiſpanæ cohortes nauigandi opportunitatem opperientes, deſperatis rebus decreuerint, in aggeribus, quos Oceanum contra *at deſperatio.* ſuſtollunt in littore, operam exinde nullam ponere; quum tamen viderent earum molium partem ſupercreſcentibus aquis reſediſſe, libenter paſſuri (vti aiebant) mare potiùs ſuperfundi aduersùs terrarum ereptores. *Tac. l. 13. Ann.* id, quod olim apud hanc gentem Dux Anſibariorum vouit in Romanos. Quin & iactabant, palàm audientibus Hiſpanis, Malle ſe hauriendos Oceano permittere, quàm ad eum repellendum vel pedem domo efferre quamdiu illorum terram calcaren externi milites. Tamen ne Regis deſiderio deeſſet Auſtriaca, nauigatione Hiſpanorum dilata, *Senatus ſuper ea miſſione.* quo modo eos à Zelandia reuocaret, agitare priuatim cœpit in arcano paucorum ſenatu: *Conſultam appellabat.* additis tunc quidem nonnullis, quorum fidem experta iam erat. Sed omnia magnis impedita difficultatibus offerebantur. *Quippe non poſſe illos euocari prius, quàm ſtatuantur Vrbes, in quas inducendi ſint; ſtatui verò non poſſe ſine earum Præfectis, qui haud dubiè diſſenſuri eſſent.* *non differendam cenſent conſultores.* *Deinde conſiderandum, coniunctimnè ſub vna legione in hibernis continendi; at intolerabiles futuros ciuitati, apud quam alantur: an centuriatim ſeparandi per prouincias; at futuros paſſim expoſitos iniurijs, à quibus non abſtinerent populi, contempta illorum paucitate. Denique cum animo reputandum, quo ſtipendio militia ſuſtentanda ſit, iuratis inter ſe prouincijs, nihil militibus ſoluere non modò Hiſpanis, ſed etiam popularibus, donec externi Belgio non abſcedant.* Hæc quamquam verè dici Gubernatrix animaduertebat, ne quid tamen intentatum relinqueret, an vt conſultando dies traheret? cauſam integram retulit *Conſilium ſtatus.* ad ſupremum concilium rerum agendarum. Sed hîc eadem, & *Idem conſenſus omnium.* (quia plures erant) audaciora memorabantur. Alij affirmabant, ciuitates audita ea dilatione, palàm repetere promiſſa Regis: iamque indignationem Ordinum erumpere, qui ſibi verba ab Rege data ſuſpicentur. Alij mercatorum querelas, alij debita Belgis militibus ſtipendia denarrabant. Denique non differendam vltrà nauigationem conficiebant omnes, præter vnum Granuellanum. qui, ſiue *præter quam Granuellani:* ſtudio Regis, & quòd ita conducibile rebus Belgicis exiſtimaret: ſiue quòd ſe nudari eo præſidio nollet, ſi fortè æmulorum conſpiratione peteretur; quum diu, qua erat authoritate ac facundia reſtitiſſet, ad extremum rationum numero, momentiſque victus: niſi forte timuit, ne aliquid in ſenatu conficeretur inuito Granuellano; in eandem cum ceteris ſententiam, & quidem, vt videri voluit, *qui denique dat manus.* haud grauatè conceſſit. Quare eo conſenſu mota Gubernatrix, præſertim quòd in dies odia renaſci videbat: idque longè grauius malum eſſe reputabat, quàm quod ijs abſentibus Belgio timebat;

Regi,

Regi, quid in eo conuentu disceptatum sit de militum profectione, 1560
& Gubernatrix rem conficit cum Rege. scribit, caussis leuiter, neque anxiè perstrictis: nempe ne timere videretur apud Proceres Belgas, in quorum senatu recitabantur huiusmodi litteræ, antequàm mitterentur in Hispaniam. At priuatim, arcanisque notis per eosdem tabellarios Regi præcisè denunciat, 15. Octob.
Arcana Gubernatricis epistola. *Differri abitum Hispanorum diutius haud posse. In eo constare prouincias omnes, vt quamdiu se ijs reliquijs peregrinæ militiæ liberas non videant, ne assem quidem regijs Quæstoribus subsidia petentibus largituræ sint. Lamentari proinde argentarios, negotiatoresque, qui quum pecuniam fœnerato dederint ciuitatibus, eamque externo militi soluerint, quasi propediem abituro; dum ille non abit, nihil ipsi ab iratis ciuitatibus recipiant. Hinc ingens vbique gaudium, quum primùm è præsidijs euocatæ cohortes adornare nauigationem visæ sunt. Ea re quieuisse argentariorum querimonias, sustentatas Belgarum militum spes, quibus stipendium quindecim mensium iam debitum à ciuitatibus promissum est, vbi primùm Hispani vela fecerint. Quod si, nauigatione intermissa, redire illos à Zelandia Belgæ videant; vereri se magnopere, ne frustrati ea spe, seditione facta, per campos excurrant rapto victitantes; immo ne ciuitates, quà transire nuper Hispani non sine iurgijs rixisque, portas occludant redeuntibus, aditumque armatæ prohibeant. Quod autem ob finitimos Gallorum tumultus suspicabatur ipsa, nihil ea causa in Belgio turbatum esse. nec multum ab externis militibus, intendente se hieme timendum. Certius imminere malum ab alienatis popularium animis, ac domestica seditione; quæ si exemplo vicinarum vrbium excitaretur, nec posse Belgarum populos à tribus Hispanorum millibus coërceri, nec esse in ærario tantum pecuniæ, aut sperari ab argentarijs tantum opis, quantum vel ad vnam militum centuriam properè legendam satis foret.* 15. Octob.
Hasce ob litteras celeriùs, quàm libentiùs Rex assensus est prouincia- 12. Dec.
Rex annuit in hæc verba. rum postulatis. rescripsitque Gubernatrici, *Mitteret è Belgio, si quidem è re videretur, Hispanos milites: opportunum fore supplementum in Africa, amissis Gerbensi clade tot millibus Christianorum. Prouiderent porrò Tribuni, ne milites è nauibus educerent instructo agmine, sed per manipulos, aut centurias, alios Neapolim, alios in Siciliam dispararent. Ceterùm sibi & esse cordi ciuitatum sponsiones, & curæ futurum, vt pecunia ob eam rem ab argentarijs data, exhibitis eorum syngraphis, persoluatur in Hispania.* Verùm aduersa tempestate, ac præter solitum hiemante procellis mari, aliquandiu retenti Hispani
Nauigatio Hispanorum militum in Hispaniam. milites apud Zelandos, Hollandosque; ad extremum remittente hieme, sub initium sequentis anni, magna Belgarum gratulatione 1561
soluerunt. Et quoniam Rex Gubernatricem monuerat, vti curaret, ne Belgica peditum militia ab eorum Proceribus administraretur in posterum; ipsa per speciem ordinandæ rei militaris, occasione discef-

1561 discessus Hispanorum, morem Maria Hungariæ Regina Belgium obtinente vsitatum, sed intermissum, in præsentia reuocauit. Centuriones nominari à quoquam noluit, ipsa legere instituit, vni meliùs obtemperaturos. nec Centuriarum ductoribus imposuit Tribunos, (quod esse munus Nobilium solebat) sed Centuriones accipere imperia voluit à Præfectis vrbium, quamdiu in earum præsidio versarentur: Præfectos autem in obsequio duraturos sperabat, quòd admouerentur ab ipsa, remouerenturque. Atque ita præciso tunc quidem à militia Tribunatu, authoritatem quoque in patrium militem, eòque potentiam Nobilibus præcidisse se credidit. Nec temerè credidisse sentiebant aliqui, si præterea curasset, vt Hispanorum loco totidem cohortes ex alijs nationibus illico substituerentur. Quamquam enim externus miles in Belgio aduersabatur postulatis prouinciarum, promissoque Regis; adduci tamen Belgæ non inuiti potuissent, vt admitterent: si, dum disceptabatur de Hispanorum abitu, eam conditionem Gubernatrix apposuisset, vt quamdiu finitimorum circumsonarent arma, peregrinis præsidijs, præter domestica, vrbes limitaneæ firmarentur: profectò pro ea, qua flagrabant omnes cupiditate Hispanos emittendi, & ipsi quamcumque conditionem subijssent, & Gubernatrix in tumultuantes postea Belgas externum militem promptiùs armasset. Sed tunc, quum turbæ propiùs vrgebant, præsentia componere votum Margaritæ fuit. Nisi fortè à legendo externo milite ærarium illam deterruit, nempe in magna pecuniarum difficultate pertimescentem, si stipendia differrentur, ne periculosiùs tumultuaretur peregrinus miles, quàm domesticus, qui sub Principis manu pluribus modis coërceri potest.

Noua pedestris militia ordinatio.

De externo, & domestico milite.

PVBLICAM Belgarum lætitiam ob discessum Hispanorum consecuta est & priuata aulæ gratulatio Granuellano Cardinali creato, & nuptiarum solennia, quas in Saxonia celebraturum Orangium multi Nobilium comitati sunt. Hic enim dum sororis interesset nuptijs, suum quoque (defuncta iam prima vxore Anna Egmontia) cum Anna altera Mauritij Saxonum Ducis filia matrimonium firmauerat, communicato antè cum Gubernatrice consilio. Quæ principio auersata coniugium ab Lutheriana familia petitum, negauit posse vnquam probari aut Regi, aut sibi, eum puellæ iungi in Regia Lutheri natæ, quam hæresi non magis pater imbuisset iampridem vità functus, quàm Augustus patruus, qui in Septemuiratum Mauritio successerat, & maternus auus Philippus Hassiæ Regulus quotidie cumularent. Verùm id à se prouisum affirmauit Orangius, actumque disertè cum Augusto Annæ tutore, Non ducendam à se puellam, nisi catholicè victuram: in eamque conditionem & Augustum, & ipsam obsignatis litteris conuenisse, quam-

CONIVGIVM Orangij cũ Anna Saxonica.

Egmontiã duxerat an. 1550.

Lantgrauius Hassiæ.

I quam

Lantgrauij dolus ad disturbandū coniugium, quam Philippo auo aduersante, impositamque de Religione con- 1561
ditionem respuente. Nempe quòd ipse in animo haberet, ijs inte-
rim nuptijs Religionis specie disturbatis, filiam suam Orangio
tradere. Id, quod clam cum illo per litteras egit, pollicitus pro filia,
se eamdem conditionem de abijciendo Lutheriano cultu non gra-
uatè subiturum. Vsque adeo Religione abutuntur ij, quibus sua de-
mum vtilitas Deus est. Sed fraudem assecuto, questoque grauiter
detectus à Saxone, Augusto, Philippum respondisse, narrabat Orangius, sibi non
locupleti, & multorum liberûm parenti non indecorum esse ab
alio conditionem accipere: at dedecere Septemuirum Saxoniæ Du-
cem, si pateretur à Gulielmo Nassauio legem imponi: idcirco se
repudiasse conditionem in nepte, admisisse in filia. Sed non ideo
placatus est eo responso Augustus: occupauitque propterea cum
Orangio transigere. Et Margarita, quum toties eadem affirmasset
Orangius, testatus, Nihil esse sibi, nec futurum ante animæ suæ
decorisque curam, ac debitum Regi obsequium; assensa tandem
est: non tamen potestatem fecit prouinciarum Præfectis Orangium
comitandi, quod ipse flagitabat; caussata eorum necessitatem in
Belgio, armatis iuxtà Galliæ prouincijs. Verùm ne tristis abscederet,
permisit ei ceteram nobilitatem: cuius dein comitatu septus in Saxo-
niam venit, secutusque Florentius Momorantius Montinij Domi-
nus, qui Margaritæ nomine nuptam inuiseret, donaretque gem-
Celebrantur Nuptiæ cum Saxonica: meo monili. Et Orangius Lipsiæ Saxonum in Vrbe, celebratis in-
eunte Augusto mense nuptijs, quibus Rex Daniæ Federicus inter-
fuit, præter alios Germaniæ Principes; in Belgium confestim re-
dijt, renouato Gubernatrici promisso super vxoris religione. Cuius
postea ab Orangio repudiata. tamen promissi fidem tàm impleuit ipse, quàm ipsi fidem conu-
galis pudicitiæ seruauit vxor. quam propterea post annos tredecim
adulterij manifestam remisit in Germaniam: ductâ Carlotâ Bor- *an. 1575. Brilam vrbe Hollandiæ.*
boniâ Ducis Mompenserij filiâ. Sed festos nuptiarum dies maiori
apparatu quàm lætitia in Belgio repetijt Orangius, offensus nouâ
CARDINALATVS Granuellani: Granuellani Purpurâ, qua quum aliquandiu abstinuisset, tunc pri-
mùm ijs vtentem Insignibus inuenit. Etenim Pius Quartus renun-
ciauerat illum vnà cum septendecim collegis, S. R. E. Cardina-
lem, Quarto Cal. Martias huius anni: cucurreratque rei nuncius in *25. Febr.*
Belgium intra dies duodecim: neque pòst multò subsecutus est à
Pio destinatus, qui purpureum capitis tegmen cum Pontificijs litte- *Biretum Cardinalitium.*
ris Mechliniam attulit Granuellano. Sed is differendum putauit
Quem oblatum differt accipere. accipere oblatum sibi munus, donec ea super re sententiam Regis ab
Hispania, quò certum hominem properare iusserat, exploraret,
credo, quia præsenserat, hunc sibi honorem, Margaritæ operâ ita
deferri, nihil vt ab illa cum Rege communicatum esset, dum lit-
teris

1561 teris agebat cum Pontifice. Et verò illa non modò Regem, cui gratum id esse iam nouerat, sed & Granuellanum cælauerat id, quod à Pontifice repetitis aliquoties litteris ac nuncijs efflagitabat,
12. Iul. vt ad Regem postea perscripsit: idcirco veritus ipse, ne Regi videretur in ea re vnicè obstrictus Margaritæ, noluit nisi assentiente Principe, & tamquam per eius manus beneficium capere. Nisi fortè subtimuit, ne quæsita ex honore illo occasione à Margarita, amoueretur aliquando à gubernaculis ciuilium curarum; propterea expectandum sibi duxit arbitrium Regis, à quo additum se Gubernatrici sciret cum præcipuis grauibusque mandatis. Sed quidquid animo eius insederit; Margarita certè cunctationem illam non
27. Mart. omnino probauit, scripsitque homini protinus in hunc modum.

Dilationem non probante Margarita.

Consilium, quod ex eius litteris acceperat, à se quidem non damnari: sed satiùs factum putare, si nulla interiecta mora Purpuram induisset. Neque dubitare se, quin paria responsurus sit ab Hispania Rex, eumque pro imperio coacturus. Et quamquam gratum erat, quod scriberet, in bonam partem Nuncium Pontificis interpretari eam temporis moram; curandum tamen esse perquàm diligenter, ne aut is, aut eius famuli de ea re Romam litteras mittant: scilicet ne Romanis aulicis ansa detur ad cauillandum hoc ipsum modestiæ genus: aut etiam irritetur Pontificis animus, perinde quasi illius dona aliunde pretium acceptura sint. Interim se ei ex animo gratulari honorem illum, qui tanto cum Religionis, Regisque commodo coniunctus esset: eòque spectasse operam ac labores suos, quòd intelligeret, quantum momentum rei Belgicæ adderetur, si ea quæ ad Religionem pertinent, agitaret is, cui præter alia, conciliaret etiam Purpura authoritatem. Hisce autem Margaritæ litteris non antè, quàm responsum redderetur ab Hispania, assensus est Granuellanus, statimque Purpuram capessijt, illo erga Regem obsequio, & nulla Gubernatricis offensione, ab altera beneficium, ab altero gratiam consecutus.

Purpuram demù induit.

Accessit & aliud Purpuræ honestamentum, delatus Româ à Pontificio cubiculario Theophilo Frisio, purpureus Galerus: quem raò mitti, plerunque in Vrbe accipi mos est. quod ille beneficium Gubernatrici quoque acceptum retulit quæsitissimis gratijs, non tàm extollendo magnitudinem muneris, quàm authoris: cuius maximè causâ habendum affirmauit à se reuerenter honorem illum, in quo eiam beneficium Principis sibi colendum erat.

& Galerum à Pont. missum accipit.

vt Marg. ad Regem scripsit 29. Nouemb. 1564.

Addit peculiarè causam adeuBi Cardinalatus.

Non tamen in priuato cum illa colloquio dissimulauit, se humana reputantem, ea potissimum cogitatione Purpuram induisse, vt si quando cedendum esset Belgio, (quod ob imminentem sibi à nobilitate procellam instare prouidebat animo) Romam Purpuratorum sedem haberet, quò se cum dignitate reciperet. haud inusitato hodieque consilio aliquorum, qui memores,

POTENTIAM in aula rarò consenescere: & NON MINVS certò interitum gratiæ expectandum esse, quàm vitæ; sacrum hunc ordinem libenter adoptant non ambitiosi, sed prouidi: nempe vt liberum habeant in supremis casibus, ad Templum Aramque perfugium. 1561

Galliæ laboranti subsidia destinantur è Belgio.

1562 ANNO insequente, qui fuit sexagesimus secundus ad millesimum quingentesimum, intestinis Gallorum discordijs quotidie renascentibus, perferuntur à Philippo Rege mandata, quibus Margaritæ imperantur auxilia Carolo Regi sollicitè mittenda aduersùs rebelles. Quid autem hoc fuerit, quæue eius origo, non alienum arbitror, à principio cursim denarrare: non solum quia ante hoc tempus de hisce subsidijs agitatum reperio, sed etiam quia Gallici tumultus partim ob priuatas in aula, partim ob publicas de Religione discordias excitati, rudimenta fuere Belgarum Populis eadem moliendi, tam simili vtrobique successu, vt interdum, nisi locorum personarumque nominibus admonearis, non duorum regnorum, sed vnius populi facta legere te facilè credas. Accedit, quòd aliqua ex his administrata sunt Belgicis consilijs, quæ Cardinalis Granuellanus fratri suo Thomæ Cantoneti Domino, Hispani Regis in Gallia legato identidem suppeditabat. Quare quum mihi ea negligenda non sint, neue sæpius Gallica inserendo, Belgicam narrationem interfistam, in præsentia, quoniam res & locus postulant, excursione nec otiosa, nec producta, rem simul omnem comprehendam.

DE GALLICIS TVMVLTIBVS.

Distraxerat in partes Galliæ populos immissa pridem hæresis: nomenque nouæ religionis, veteri contempta, multi mortales arripuerant. Quamuis enim grassante per Germaniam Lutheri lue, incolumem se aliquamdiu seruasset Gallia, anno tamen huius sæculi trigesimo tertio, per aliquot Lutheri emissarios tentari primùm cœpta est. Etenim Franciscus Primus litterarum ac litteratorum amans, vt ferme LITTERAS fouent, qui digna litteris gerunt; Lutetiæ instauraturus Academiam, magnis illuc præmijs aduocauerat ex Italia, Germaniaque, præcellenti doctrina viros. Commodum id Luthero visum: missique propterea ex asseclis Bucerus, alijque nonnulli audacioris ingenij, qui per occasionem disserendi in eo sapientium cœtu, noui Euangelij periculum facerent. Nec defuere, qui nouitate caperentur: præsertim quòd ij, in quos Religionis causâ inquirebatur, illico in Aquitaniam excurrebant ad Margaritam Valesiam Regis sororem. Quæ, siue odio aliquo in Romani Pontificis nomen hausto in Albretana mariti familia, ob Nauarræ regnum, eòque Lutherianorum fraudibus obnoxia: siue ostentatione ingenij, cuius laudem adamauit vltra feminæ modum: siue potiùs, vt ipsa aliquot annis ante mortem catholicè obitam testata est, non prauitate animi, sed commiseratione reorum,

Lutheriana hæresis in Gallia.

Qua occasione.

Lutetia Parisiorum.

A quibus adiuta.

Marg. Vales. Francisci Primi soror.

qui

1562 qui ad ipsam confugiebant; patrocinium nouarum opinionum adeo pugnaciter vbique tuebatur apud fratrem, vt decennio per ipsam steterit, ne Lutheriana hæresis in Gallia planè concideret. Quamquam & segniorem aliquanto reddebat ea in re Franciscum opera Germanarum Heluetiarumque legionum, quibus aduersùs Cæsarem conductis bellum gerebat. Donec ipse & iniuriâ Religionis, & hominum contumaciâ grauiter offensus, non multis edictis, at crebra reorum animaduersione, intentior quàm minacior, Lutheri nomen in Gallia pæne deleuit. *Ab Rege propemodum deleta.* Felicior aliquanto fuit Caluini dolus, qui sub Francisci Regis obitum, implicito bellis Henrico, submissis continenti opera è Lemano lacu libellis, Galliam aggressus est: *Caluiniana succedit;* atque vt reperit aures animosque multorum, Lutheri opinionibus suspensos erectosque; ita miram iniecit vulgo cupiditatem nouæ doctrinæ cognoscendæ. Et gaudebat populus (nam Gallicè populariterque conscripti erant libri) de Religione palàm arbitrari, deque abditis Fidei controuersijs ire velut in suffragia. postremò, quoniam A SVMMO declinantibus facilis est per prærupta ad infima quæque casus, eiecta semel ex animo auita Religione, à Luthero ad Caluinum certatim desciuere: plerisque eorum non quieturis, donec omni cultu aduersùs Deum, quem nusquam esse opinarentur, expuncto; in profundo omnium malorum aliquando consisterent. Et quamquam ea hæresis à principio corripuit animos plebis, cuius esse solet, etiam ingruente pestilentia, prima strages; *Primùm apud plebem.* breuì tamen vltra multitudinem grassata, inuasit aliquot nobilium capita; inque ipsam Regis aulam, afflatis in ea viris quoque primarijs, penetrauit: *postea apud Proceres;* nempe factiosis regni Proceribus vsui opportunè futura ad conciliandam sibi multitudinem, trahendamque aduersùs inualescentem æmulorum gratiam apud Regem. *æmulatione inuidiaque.* Nupta enim Francisco Secundo Maria Stuarta Scotorum Regina, Guisiâ parente nata, multum momenti attulerat Guisiorum potentiæ. *erga Guisios.* Nam & Regi annorum quindecim opus erat aliorum operâ, & illi digni erant, qui adhiberentur: præsertim Franciscus Guisiæ Dux, *Franciscũ Ducẽ,* eiusque frater Carolus Cardinalis Lotharingus: ille militari scientia fortunaque, ac matura domi prudentia clarus: hic varia intimaque doctrina, sed solerti in primis facundia, & quadam oris maiestate conspicuus. *& Cardinalem Lotharingum:* Sed quantum hi & sua virtute, & Reginæ impulsu ad summa quæque decora prouehebantur, tantum necesse fuit commoueri alios, qui primas aut obtinuerant, aut sperabant: *quorum nimia potentia offenditur imprimis.* præcipuè Borbonios, & Colinios, vt Momorancios omittam ciuiliùs dissidentes. Et Antonius quidem Borbonius, præterquam quòd inter Dynastas regij sanguinis adnumerabatur primus; præferebat ab vxore Ioanna Albreta, Nauarræ Regis appellationem: *Antonius Borbonius Nauarrus.* vir ad belli ac pacis

pacis artes æque factus, sed voluptatum immodicus, eòque impar 1561
firmandæ dominationi. Ferocior multo, atque versutior Ludoui-
Condæus Antonij frater. cus frater Condæus Princeps, armisque perpetuò tractandis impli-
catus: maiore tamen animo, & confidentia, quàm viribus, peritia-
Gaspar Colinius, & Andeletus frater Colinij: que. Neque huic dissimile ingenium Gasparis Colinij, atque An-
deloti fratris: quorum ille quia mari Gallico, hic vniuerso peditatui
præfecti erant, magno sanè in pretio habebantur. Ergo hi, quos
loquor, alijque minorum gentium, quamuis nullâ tunc quidem
inter se beneuolentiâ coniuncti; quia tamen vna interim omnes an-
gebat cura, facilè conuenere. Et machina, qua Guisiorum poten-
tiam subruerent, visum est patrocinium hæreticorum, quorum
partibus nouerant odio esse Guisium nomen: præsertim quòd illo-
hæresi sed imbuti. rum aliqui, exuta iam veteri Religione, non sectariorum tantum-
modò, sed sectæ quoque induisse patrocinium videri volebant. Quos
Maximè verò omnium Ioanna Albreta vxor Borbonij. inter nemo hæresim audentiùs præseferebat, aut propugnabat,
quàm Ioanna Albreta Borbonij vxor, vnica Margaritæ Valesiæ,
atque Henrici Nauarræi filia. Hæc, quia se extorrem videbat à re-
gno, quo Ioannem auum sacrorum interdictione correptum ab
Romano Pontifice, Ferdinandus Catholicus Hispaniæ Rex, armis *Iulius II. P.M.*
adortus olim exuerat; tam implacabili odio ferebatur in Roma-
num Hispanumque nomen; atque adeo in Romanam Religionem,
quam Hispano curæ esse animaduertebat, nulli vt operæ parceret,
nulli sumptui, quo Pontificis authoritatem, & Catholicam Fidem
Cum hæretica multitudine Proceres coniunguntur; per Galliam proculcaret. Igitur hisce capitibus firmata hæresis eos
toto regno processus habuit, vt Henricum, cuius arma in Belgio
distinebant Hispani, pace cum Philippo constituta, sollicitè retra-
xerit ad intestinas discordias componendas, erupturas haud dubiè
in ciuile bellum. Sed Henrici mors omnino maturauit malum. 1559.
Etenim Franciscus Henrici filius, vti dicebam, & Medicea parens,
& Regina vxor quo magis adhibebant aduersùs hæreticos fidam
Guisiorum operam, eo ampliùs æmulos incendere, vt ad illorum
dominationem deprimendam occasione hæreticorum vti festina-
Contra quos ab Hispaniæ Rege auxilium postulatur. rent. Idque Mediceam mouit, vt quo tempore deducenda erat
Isabella filia in Hispaniam, à Philippo genero auxilium exposceret
in hæreticos, ac regni turbatores. cui peramplè responsum, opes-
& promittitur. que & arma magnificè promissa. Quæ Regis litteræ coram non-
nullis Galliæ Proceribus de industria perlectæ ad augendum me-
tum, auxere potiùs Mediceæ inuidiam, eisque concordiam ad-
uersùs Hispanum nomen. Iamque passim libelli in Guisios, Re-
gemque ipsum, quasi velitationes quædam secuturæ mox conjura-
Albreta maritum stimulat in catholicos. tionis edebantur. Et instabat Albreta: quæ veteris offensæ me-
mor, impatienterque imminens regno, maritum assiduè stimulabat,

Ne

1562 *Ne vnicam recuperandæ Nauarræ occasionem elabi pateretur è manibus: posse illum amplissimæ factioni, quæ iam pœne ex æquo Galliam scindat, ducem imponi: posse ea gratia opem expectare à Germanis eiusdem religionis Principibus, ab Anglis, à Belgis, præter catholicos Guisianis infestos; quorum omnium valida conspiratione posse, eiectis è Gallia Guisianis, explicari latissimè hæreticorum partes, eorumque dein arma ad Nauarræ fines non dubio euentu circumduci*. Sed ferox hæc

T.Liu.l.1. Tullia mitiori Tarquinio nupta erat. Itaque frigente ad ea Borbonio, Condæus frater, par Alibretæ Tarquinius, promouendæ coniurationis prouinciam suscepisse dictus est, atque Ambosianam il- *Coniuratio Ambosiana.*

1560. lam conflasse tempestatem, tunc quidem Guisij Ducis prouidentiâ discussam, nouis tamen coëuntibus odiorum nimbis, ciuili factionum sanguine longè impotentiùs ruituram. Ferunt in eo pri-

Turs. mùm tumultu auditum Hugonoti nomen, Cæsaroduni Turonum,

Thuan. l. 24. hist. hoc modo natum. Solenne est Cæsarodunensibus ad terrendos in- *Hugonoti nomen vt ea natum.*

fantes Hugonem nominare, quem noctu pomæria vrbis obequitantem, inque obuios euntem pulsantemque commemorant. Quum autem hæretici, quorum complures tunc erant Cæsaroduni, circa ea pomæria nocturnos cœtus agerent, quoniam interdiù non licebat; factum est, vt tamquam nocturni lemures digito monstrarentur pueris, atque ab Hugone Hugonoti, per deridiculum vocarentur. Quamquam alij aliunde originem inclinant. Vnde vnde tamen appellatio defluxerit, ludibrio illam sibi hæreticos duxisse constat, eoque catholicos nominare Papistas insueuisse. Sed hæc nomina sunt: illud rem tangit, quod memoriæ proditum à multis,

Gil.Genebr. l.4. cron. & alij. qui ea tempestate hæc ipsa litteris mandabant; Primum hunc Galliæ tumultum Genêuæ conceptum fuisse, authoribus Caluino, & Beza, inito ea in vrbe consilio barbaro iuxtà ac pudendo, de Francisco Rege, deque vxore, ac parente, Regijsque fratribus, atque aulæ Proceribus, subita ad certum diem aggressione trucidandis. *Authores Ambosiani tumultus.*

Quamobrem non vltra passurus Rex tantam hæreticorum licentiam, qua Nobiles aliquot ad priuatas discordias abuterentur, nouo per Prouincias delectu arma imperat, accersit è Germania cohortes, ab Lotharingiæ Duce, ab Hispaniæ Rege auxilia requirit. Et verò Philippus Rex Hispanum militem properè submisit, qui se *Auxilium ab Hispano Rege.*

Limoges. cum Gallorum exercitu in Lemouicibus coniungeret, submissurus

1560. nouas subinde copias: quum audito Francisci Regis obitu, reliquum auxilium distulit in sequentem annum, in quem delatum est bellum.

ET Francisci quidem excessum summa regni conuersio consecu-

Condæus. Nauarræus. ta est. Nam Borbonij, quorum alter capite damnatus in horas lictorem opperiebatur: alter aulâ circumscriptus, fratris ruinâ crede- *Mira catastrophe*

batur

batur opprimendus; repente delata regni administratione ad Mediceam parentem pro Rege Carolo decenni puero; ad summa quæque prouehuntur: Condæo libertas, locusque, & gratia apud Regem publico edicto restituitur: Nauarræus vniuersi regni Præses, quippe sanguinis prærogatiuâ regno propior, renunciatur: Guisijs de potentia tantumdem perit, hæretici numero, atque adeo licentiâ grassantur, tanto per hæc audaciores, quanto id fore gratius putabant Nauarræo Præsidi, qui identidem reuolui ad dotale regnum per eas turbas recuperandum videbatur. Sed vt hic de ea cura, simul hæretici de securitate remitterent, non parum contulere consilia Granuellani Cardinalis è Belgio submissa Cantoneto fratri. Aduenerat in Galliam Prosper Sanctacrucius à Pio Quarto Pontifice Nuncius. Atque introspectis Nauarræi consilijs, ratus hominem non tàm de Religione, quàm de regno sollicitum abstrahi posse ab hæreticorum patrocinio, si spes adipiscendæ Nauarræ ostenderetur aliunde; illum per ea ipsa aggredi statuit. sed prius rem omnem cum Thoma Cantoneto legato, hic cum Granuellano Cardinali communicant. Tum Sanctacrucius regni negotium, de cuius restitutione agitatum olim fuerat, in medio reponit: atque in se recipit, dummodo ille Catholicæ Religionis causam defendendam suscipiat, Pium Pontificem sedulò cum Philippo Rege acturum, vt aut Nauarræ regno cedat, aut par aliquid offerat eius loco: nec dubitare se, quin Philippus, cuius pertentauerit animum, dum ab Lusitania iter per Hispaniam faceret in Galliam, Pontifici satisfacturus sit. Id autem quum Cantonetus sæpius confirmasset, statuit cum Philippo id agere Nauarræus, misso ex aulicis suis Antonio Almeyda Lusitano, quem sciret acceptum esse Ebolitano Principi Roderico Gomesio itidem Lusitano, gratiâ tunc maximè florenti apud Regem. Sed Granuellanus certior ea de re factus à Cantoneto, lætus ille quidem consiliorum suorum successu, tamen æquè sollicitus, (vt ipse ad Margaritam Gubernatricem Mechlinia scribit) quid responsurus Rex esset Almeydæ; quòd intelligeret, ex eo responso pendere in Gallia rerum maximarum inclinationes: præmunierat Ebolitanum Principem, atque Albanum Ducem, docueratque, *Periculi plenum esse negotium, ac planè vitreum: in quo tractando peccari posset non minus auiditate atque impetu, quàm securitate ac negligentia. Proinde sibi videri, in rem esse, Borbonio aliquid offerre, modò id eiusmodi sit, quod auferri possit, si fortè is à suscepta deflecteret via.* Ergo post multa, Nauarræo tandem offertur Philippi nomine Sardinia, additurque eius maris Præfectura, stipendiumque Præfecturæ sustinendæ par. In quo & si aliqui conditionem laudabant vtrique probabilem: quippe Sardiniam esse ex vna parte maius, opimiusque regnum

Margin notes: 1561. — *Hugenotis gestiit.* — *Consilia Granuellani.* — *Sanctacrucius conatur abstrahere à patrocinio hæreticorũ Nauarræum;* — *Abstrahitur. & in Hispaniam nũcium mittit.* — *Ruigomez de Silua.* — *4. April. 1562.* — *Ebdẽ scribit etiã Granuellanus.* — *Sardinia Nauarræo offertur loco Nauarræ.*

1562 regnum quàm Nauarra; ex altera Philippi regnis immistum, eòque obsessum. Secus tamen alij sentiebant, Sardiniam in speciem ostentari à Philippo haud sanè regnorum prodigo. Nam quid consilij esse, Borbonios induci in eam Insulam, ex qua imminere Siciliæ, atque Neapoli, vetere sque in ijs regnis factiones excitare possent? Sapienter nihilominus agere Pontificem id vrgendo, siue de eius exitu bene speraret, siue intelligeret frustra laborari: quoniam ad Religionis causam in Gallia tuendam perinde esset, seu vera, seu vana spe Nauarræus à fouendis hæreticorum partibus amoueretur. Et verò ita ille paulatim amotus est, vt etiam Ioannæ Albretæ vxori minus se iam beneuolum præberet. Quod fortasse aliquem mouit, vt scriptis traderet, hoc quoque ab Oratore Hispano tentatum, actumque cum Nauarræo de repudio vxoris, quippe hæreticorum veneno intimè imbutæ: factamque homini spem Mariæ Stuartæ Scotorum Reginæ, quam adnitentibus Guisijs auunculis duceret, cum dotali Scotorum regno, immo cum vniuersa Britannia, in quam, spoliatâ ob hæresim Elisabethâ, induceretur ipse, Pontificis authoritate, Philippi ope. Sed hæc aut vanè credita, aut inuidiosè conficta. Neque enim simile vero est, aut Granuellanum, & Sanctacrucium ignorasse, non satis hæresim esse, cur reiecta vxore, altera legitimè ducatur: aut Philippum obtulisse Scotiæ regnum homini, à quo timere Belgicis rebus ob veteres inimicitias meritò debuisset, si præsertim is vniuersâ Insulâ bello potitus esset. Sanè duobus post hæc annis, quum ageretur de eadem Scotorum Regina cum Archiduce Carolo Ferdinandi Imperatoris filio, vel cum Carolo Hispaniæ Principe coniungenda; scripsit Granuellano Philippus, *Placere sibi, vt filius ea in re posthaberetur Archiduci: si verò ad eiusdem nuptias regnumque adijceret animum Gallia Rex, de quo aliquid inaudierat, sollicitudinemque non leuem attulerat; tunc se in filij cum Scota connubium vltro consensurum.* Ex quo, quæ fuerit Philippi mens de Scotiæ regno Gallis offerendo, existimari potest. Immo neque in speciem agitasse de ijs nuptijs Oratorem Hispanum, certum habeo ex eo, quòd quum is singula communicaret cum Granuellano fratre, (vti ego in eorum litteris obseruo) deque Sardiniæ negotio sæpe meminerit, de eo tamen coniugio nihil vsquam indicauit. Sed quidquid hoc fuerit, illud profectò constat, Alibretam marito indignatam, quòd is ab hæreticis in dies alienior, vxoris postulata pro illorum patrocinio non audiret, aulâ furiosè relictâ in vrbes suas se proripuisse. Verùm hæreticorum causam quantum omisso animo tractabat Nauarræus: tantum Condæus frater, atque Colinij mordicus amplectebantur: reflorescente præsertim Guisiorum gratia potentiaque apud

Margin notes: *An ex animo?* — *Thuan. l. 28. hist.* — *Nauarræi cum Scotorũ Regina coniugium falsò vulgatum* — 1564. — 6. Aug. — *Regis Hispani littera de Scota coniugio.* — *Alibreta indignatio.* — *Guisiorum potẽtia reflorescit.*

K Regem.

Regem. Iamque ea erat rerum facies non magis in aula factionibus scissa, quàm in toto ferme regno discordiâ Religionis armato, vt apertè omnia in ciuile bellum inclinare viderentur. Ad Condæum Principem, Coliniumque maris Præfectum vndique auxilia submittebant hæretici: nec minus se Guisij, & Comestabilis Momorantius Catholicorum ope firmabant. Cum his faciebat quidem Nauarræus Galliæ Præses, sed erat Condæi frater: Rex puer, dolique ignarus, inter vtrasque factiones interea distrahebatur, nutante Medicea Regina, ac rerum exitus vtrinque formidante. In hoc autem rerum statu quum vndique Carolus auxilia conquireret, Philippus solito intentiore cura ad opem affini Regi maturandam animum adiecit: siue Religionis iacturâ permotus: siue sollicitatus ab vxore, quæ Caroli fratris periculo trepidabat: siue Belgio timens, ne illuc Gallorum aut arma, aut exempla transirent. Quare lectis in Italia tribus peditum millibus, commissisque Ioanni Anguisciolæ Tribuno, qui in ijs traducendis Imberto Platerio Bordillonio, armorum Præfecto pro Rege Galliæ in Subalpinis obtemperaret: eidemque ab Hispania per Nauarram transmissis, ad Margaritam sororem, Belgij Gubernatricem scribit, vt duo equitum millia ex ipsis Belgarum turmis quamprimùm seligat aduersùs Galliæ perduelles: immo si quid vltrà aut Regina, aut Guisij ad eam rem postulent, accuratè submittat. Margarita recitatis in senatu litteris Regis, animaduertit contrarijs omnium sententijs pro Gallia opem exposci. Differebant enim Orangius, atque Egmontius, eas equitum turmas sustentari à prouincijs ad Belgij præsidium, quippe ad eum finem institutas: quare vt extra Belgium educerentur, expectandum prouinciarum consensum. id verò lentum esse negotium, expositumque periculo, ne dissentiant, eo potissimum tempore, quo Belgium viribus externis augeri, non exhauriri suis, opus esset. Sed altior fortasse cura illos habebat. Etenim credebatur, Condæi rogatu, aliquos Germaniæ Proceres interminatos esse finitimis Belgis, si Guisijs nouæ Religionis hostibus opem ferrent, se pro communi causa tuenda, arma in Belgium illaturos. Nec procul à vero duxerim & Condæum id attentasse, & Germanos præstitisse. Namque ex vna parte sollicitos fuisse Condæanos ob auxilia in Belgio contrahenda, significatum est libello tunc edito, atque à Cantoneto legato cum litteris misso ad Granuellanum fratrem, quo multis rationibus ostendebatur hæreticis, Hispaniæ Regem nullam Cathocholicis opem in Gallia esse laturum. ex altera parte, dum Margarita scriptis ad Regem litteris docet, Belgas ob metum siue à Germanis, siue aliunde conceptum, ægrè adduci, immo ne adduci quidem, vt equitem in Galliam decernant, ac dira quæque canere, id si fiat;

Marginal notes: 1562 — *& æmulorum inuidia.* — *de bello vtrinque cogitatur.* — *Catharina Medicea.* — *Pedites ab Italia, Hispaniaque mittit Philippus Rex.* — *& à Belgio vt equites mittantur, Gubernatrici mandat.* — 2. *Maij* — *Sed Belgarum Proceres obsistunt.* — *Astu fortasse Condæi.* — 4. *April.* — 10. *Iun.*

1562 ſi fiat; indicare videtur hanc, de qua loquimur, diſſentiendi cauſam. Et ipſa, quòd eam opem aut deſperaret à prouincijs, aut importunam Belgicis neceſſitatibus crederet, ſibique à Germanis, atque à ſuis iuxtà timeret; in ſenatu remiſſiùs rem vrgebat. quum à *Gubernatrix ſegnius agit.*
1. Iul. Philippo litteræ perferuntur, quibus perſtrictâ non leuiter Gubernatricis morâ, iubebat omiſſa omni conſultatione, equitem extemplo mitti. Illa parendi anxia, Granuellano ſuadente, mutato petitionis nomine, pecuniam loco militum poſcit: impetratam illico in Galliam tranſmittit ad Mediceam Regis matrem: ſimul Philip- *Reprehenſa à Rege militũ loco pecuniam mittit in Galliam:*
31. Aug. po exponit, cur id fecerit, Non ſolum quod pecuniam multò quàm militem gratiorem eſſe Reginæ ſciret, quemadmodum illa ſignificauerat antea, confirmauitque poſteaquàm accepit: ſed etiam ne authoritatem, operamque perderet in eius rei procuratione, quam & experta iam erat inexplicabilem ad impetrandum, &, ſi impetraretur, perniciosam Belgio timebat in ea rerum trepidatione, exortiſque poſtremò Tornaci, ac Valencenæ non contemnendis de Religione motibus: qui haud dubiè inualeſcerent, ſi eam prouinciam equitatu ſpoliatam homines ſeditioſi viderent. denique quum equitem ducere pertineat ad nonnullos, quorum fidem meritò ſuſpectam habeat, æquè periculum ſibi viſum, arma illis credere, & eos in turmarum delectu præterire. Accepit potiùs, quàm probauit decretæ pecuniæ conditionem Rex, miſſiſque mille & quingentis equitibus ab Hiſpania, pro quibus ſtipendium Margarita tranſmitteret ad Mediceam, vti iam cœperat, vires Catholicorum in Gallia firmauit. Sed ante horum aduentum, Nauarræus vnà cum Guiſio, ac *& cauſam moræ exponit Regi.* *Rhotomagũ victor ingreditur Nauarraus.*
Roano. Momorantio, Rhotomagum expugnauerat, Condæanis eiectis. Ipſe quamquam pilæ ictu ſaucius, lecto in quo decumbebat, in modum currus elato, triumphali pompa vrbem inuectus eſt. Sed paucis pòſt diebus, recrudeſcente vulnere extinctus, eodem ſepulcro ſecum condidit ſpem Sardoi regni, quam magno Catholicorum bono ad extremum vſque ſpiritum fouit. Neque propterea intermiſſis belli curis, manente apud Momorantium armorum imperio, auctaque ingentibus copijs vtrâque acie; quum iam ad Regis exercitum ſeſe adiunxiſſent à Philippo miſſa ſex millia peditum, equites quos di- *& moritur.*
Dreux. cebam mille & quingenti; apud Drocum Normandiæ oppidum, ſummis Catholicorum, hæreticorumque viribus pugnatum eſt, captiſque hinc Condæo, illic Momorantio exercitus vtriuſque ducibus, cæſis militibus ſupra decem millia; victoria, maiori ſanè gloria quàm gaudio pro Regijs ad extremum fuit. Tantum armorum turbarumque exciuit hæreticorum libertas, Procerum fouit ambitio. Hæc autem, quæ curſim memoraui Gallorum mala, (nam eâ quoque gratiâ memoraui) in Belgium planè eadem tranſmiſſa facilè com- *Pugnæ memorabilis.* *Cõparatio Gallicorũ. Belgicorũq; tumultuum.*

K 2 periet,

periet, cui otium sit conferendi hæreticorum vtrobique conatus, vtriusque aulæ dissidia: Hugonotorum illic, hîc Gheusiorum nomina fortuitu nata, atque inter turbas: Cardinalem Lotharingum cum Cardinali Granuellano, Condæum cum Orangio, Mediceam cum Austriaca: consimiles Nobilium conspirationes, paria Regum edicta, geminas sacrarum ædium atque vrbium direptiones, eadem ferme omnia, nempe ex eisdem causis: nisi quòd arma celeriùs à Gallo sumpta, pertinaciùs à Belga & perniciosiùs retenta. 1562

Prima Belgij turba à Gallis Caluinianis.

ET PRIMÆ quidem inter Belgicas vrbes, illo Religionis casu, quo latè concussa est Gallia, nutauere Gallis finitimæ Tornacum, Insulæ, ac Valencena: repentinisque motibus haud ambiguè portenderunt secuturam inde non leuem Belgio ruinam. Etenim Octobri mense superioris anni, concionatores duo è Gallis Caluinianis eâdem nocte, alter Valencenæ, Tornaci alter, palam de nouo Euangelio verba fecerant frequenti foro. Sub finem vterque coactam hominum turbam, (qui ad centum fuere Valencenæ, Tornaci verò supra sexcentos) per vrbem deduxerant, Dauidis carmina, Gallicâ linguâ concinentes. Ad eam psalmorum modulationem, nocturnasque conciones, excitato in vtraque vrbe aliquo inter plaudentes damnantesque tumultu; res à Magistratibus ad Margaritam Gubernatricem illico defertur. Illa admonitos earum prouinciarum Præfectos Florentium Momorantium Montinij Dominum, ac Ioannem Glimæum Bergæ Marchionem; (qui fortè Bredam sese contulerant gratulatum Orangio, vxoriq; nuper è Saxonia reuersis) iubet eò accurrere, ac res quemque suas strenuè curare. Montinius Tornacum celeriter ingressus, cum Christophoro Assonuillio, ac Ioanne Blaserio, quos ad causam cognoscendam ei adiunxerat Margarita, capto earum domino ædium, in quêis cætus habebantur: exustisque multis ibi repertis hæreticorum libris: ac sequenti demum mense custodiæ tradito Lanoia, nocturno illo præcone; (qui tamen damnata post hæresi catholicè vixit scripsitque) Tornaci composita res est. At verò Valencenæ longè aliter euênit. Nam licet initio contenderit eò Marchio Bergensis, operâque Philiberti Bruxellij, atque Autruxij, quos causæ cognitores acceperat à Gubernatrice: duos Caluiniani Euangelij buccinatores Philippum Maillardum, & Simonem Faueanum vinculis coërcuerit, tamen dilato, contrà quàm à Margarita iussus erat, eorum supplicio, nec dum pacata ciuitate, Leodium ad fratrem, eius vrbis Antistitem profectus est: reprehensusque propterea à Margarita, ac reuocatus ad præfecturæ curam, non dubitauit absentiam excusare, quòd non esset muneris, neque ingenij sui plectendis hæreticis operam dare. Quod insolens responsum illa per litteras significauit Regi: apud quem laudata simul Montinij sedulitate,

Insulæ. (margin, beside "Insulæ")

Tornaci componitur tumultus. (margin)

15. Nou. 1561. (margin, beside "rum libris: ac sequenti demum mense custodiæ tradito Lanoia, no-")

At Valencenæ crescit, dilato supplicio hæreticorum. (margin)

22. Martij. (margin, beside "ctendis hæreticis operam dare. Quod insolens responsum illa per")

1562 tate, committendo auxit vtriusque merita. Et sanè hæresim, vt ceteras contagiones, quæ impetu valent, celeritate præcidendam esse, ostendêre Tornacum, ac Valencena: ibi ex subita in paucos animaduersione, traducto ad omnes metu: hîc verò cunctatione atque incuriâ, turbulentis hominibus spatio ad audendum dato. Etenim septem iam menses attinebatur Valencenensi carcere par illud hæreticorum, quos dicebam, dubio de ferenda sententia Magistratu, quòd in eos augeri quotidie vulgi studia videret, acceptis etiam minacibus litteris, si quid grauius in eos constitueretur. Quin & auditæ erant noctu voces aliquorum præter carcerem euntium, captiosque adhortantium, Viros se se præstarent, non defuturam populi opem, si fortè ducerentur. Sed Margarita eorum gnara, quæ gerebantur, accusato Magistratus metu, quem ipse sibi septimestri mora peperisset, seriò monet, ne vltrà cunctando, morbum insanabilem efficiat. Quamobrem ille, sententiâ ex edicto Cæsaris pronunciatâ, reos igni addicit. Quod verò suspectos opifices operasque haberet, ac lanarios in primis, petulans hominum genus, miscendisque turbis assuetum; supplicium transfert in diem, quo eorum plerique Valencenâ abesse consueuerant. Mos enim illis erat, ad Sabati vesperum prodire in agros, nec ante diem lunæ reuerti ad vrbem: partim vt cum parentibus, vxoribusque feriarentur in proximis pagis: partim ne obseruarentur, si festo die ad rem diuinam cum catholicis haud conuenirent. Hoc ergo lunæ die, non dum albescente luce, damnati in forum producuntur: non tamen ita cælari festinarique res potuit, quin accursu multitudinis compleretur locus. quum prope lignorum struem, quanta potest contentione, Pater æterne, Faueanus exclamat. Enimuerò ad eam vocem toto foro vulgus adstrepere inconditis clamoribus: simul impetu facto, manus intentare, saxa in satellites iacere: simul septo supplicij refracto, totum illud mortis instrumentum disijcere, ligna rapere, ac præ ira comminuere: donec impar multitudini Magistratus, retractis intra carcerem reis non vltrà audendum ratus, properè sese ingruenti lapidum procellæ subduxit. Et illi, quòd socijs præsenti exitio liberatis furorem paulatim exuerant: an potius ignari sine duce quò pergerent? pacatè conueniunt omnes, institutoque agmine supplicantibus similiores, quàm vt recentes à tumultu crederes, concinere Dauidis carmina incipiunt, præeunte Caluiniano psaltrio. Inde commoti rursus animo turbidique, incusant socordiam ipsi suam, trepidæque ciuitatis opportunitate vti furiosè deliberant. Id antequàm prosequar, quoniam huiusce moris concinendi Dauidicam poësim iterum incidit mentio, incidetque sæpius, originem semel euolui, lectoris interesse arbitratus sum.

Qui aliquando damnantur.

Sed accursu multitudinis supplicio eripiuntur.

A Magistratu reducuntur in carcerem.

PSALMI Dauidis Gallico metro alligati.

DE-

DEGEBAT in aula Francisci primi Gallorum Regis inter cubicu- 1562
Author Marotus. larios Clemens Marotus, Doueanâ Cadurcorum oriundus, homo à *Ex Florimūd. in hist. de ortu etc. hæres. l. 8.*
natura facetus & dicax, miraque venæ facilitate ad Gallicam poe-
mores eius. sim natus: eòque Regi carus, habitusque inter instrumenta erudi-
tæ voluptatis. Sed vt erat ingenio, quàm moribus aliquanto me-
lior, ex Lutheranorum familiaritate locum suspicioni dedit muta-
mutata Religio. tæ Religionis: veritusque propterea Principis indignationem, Be-
nearnum ad Margaritam Regis sororem, vetus reorum asylum,
fugit. Nec multò pòst, placato Rege, Lutetiam reuersus, à Fran-
cisco Vatablo Hebraicæ linguæ magistro amicè admonitus, vt re-
lictis aliquando nugatorijs argumentis, poesim ad sacra transferret;
Translatio Psalterij. Psalterium Hebræi Vatis Gallicis metris illigare cœpit. Sed impe- 1544
ritè adeo, atque peruersè, (quippe disciplinarum homo omnium
apprime rudis) vt Rex quamuis eius versiculos identidem cantita-
ret; ob iustas denique Sorbonicorum querelas, grauissimamque
vetiti à Rege. censuram, edixerit, Ne quid in eo genere à Maroto publicaretur
inposterum. Verùm eo edicto, vti sæpè contingit, & cupido lecto-
ribus, & celebritas operi accreuit: nouisque proinde modulationi-
bus decantari, atque ad profana transferri Maroti carmina cœpere.
Fuga eius. Ipse interim auctâ ex plausu confidentiâ, dum linguæ moderari ne-
quit, metu pœnæ Genêuam se proripit: vnde ob noua flagitia pro-
& mors. fugiens, sed antea flagris cæsus, Augustæ Taurinorum extinctus
Beza Psalteriū absoluit. est. Successus in Dauidica poesi mouit Theodorum Bezam Maroti
familiarem, qui eidem Gallico carmine parentauit; vt ad quinqua-
ginta, quos Marotus ediderat, centum reliquos adiungeret: adiun-
xitque Gallicis ipse quoque metris, totumque Dauidis volumen
absoluit. Vtque gratius populo foret, operâ præstantium musico-
rum, suos cuique hymno modos fecit, tanto numerorum lenoci-
nio, vt nouum Psalterium ab omnibus certatim expeteretur. Ve-
quod edicto damnatur. rùm detectis in eo multis aduersùs Religionem erroribus, vetitoque
opere ob eas etiam caussas, quòd & ab impuris hominibus sacrosan-
cta Vatis carmina vulgò publicata essent, & à Geneuatibus, dolo
malo, ad Caluini catechismum adiuncta distraherentur: deserta à
mansit tamen apud hæreticos. Catholicis ea Hymnorum translatio atque damnata, mansit obfir-
mato studio apud hæreticos: mosque canendi Psalmos Gallicâ linguâ
ad modos Geneuatum in cœtibus, in triuijs, in officinis, propria exin-
de nota hæreticorum fuit. Cum hac ergo cantilena seditiosi (vti
enarrare incœperam) Valencenates, veluti supplicanti agmine per
Valencenatum seditio redintegratur. vrbem incedebant. quum medio in foro consistentes, Caluinianum
chori magistrum attollunt in superiorem locum, iubentque de
religione extemplo dicere. Tunc verò siue concionantis impulsu,
siue complurium accessu, redintegratur seditio: vtque se respexere
mul-

1562 multitudine validos, quippe duo hominum millia superabant, placet non sine aliquo turbarum pretio conuenisse, statimque ad Dominicanorum cœnobium inflammandum, diripiendumque rectà procurrunt. Sed mutatâ inter eundum sententiâ, (agebant enim sese vndarum modo, agebanturque) subit animos indignatio, quòd eripi sibi captiuos, iterumque in custodiam trudi passi sint. *Quid prodesse, vrbem tumultu conciuisse, si se frustra minantibus, interim socij, quam necem in foro vitauere, eam in carcere fortasse subierint? Quin factum inspicerent, atque ad socios penetrarent, allaturi aut viuis libertatem, aut mortuis vltionem?* Ergo ad carcerem conclamant, versoque illuc impetu custodiam irrumpunt, vinctos expediunt: atque, vt nihil per contemptum fecisse viderentur, duos illos tantummodò educunt, ceteris qui alijs nominibus custodiebantur, excessum prohibent. inde Magistratui significant, se non nisi ad liberandos fratres conuenisse: ceterùm si sibi quietè degere in ijs, quæ ad religionem attinent, permittatur, ne vnum quidem eorum sese vnquam loco moturum. Et iam præcurrerat à Magistratu nuncius Michael Houæus vrbani Præfecti Vicarius ad Margaritam: quæ perculsa repentino tumultu, Houæum ipsum, præsenti consilio, Bossuuium mittit, propinquum Valencenæ pagum, ad Ioannem Henninium loci Comitem, fidum impigrumque: vt in eam vrbem se illico transferat, Regisque nomine, donec Marchio Bergensis adueniat, turbas, si quæ supersunt, pro sua prudentia componat. Simul Bergensi renunciare iubet, quo loco Valencenæ res esset, dum is publica administratione toties intermissa, priuata curare numquam desinit. Sed iam Marchionis legatus (Præpositum Comitem vocant Belgæ) cum duabus equitum turmis, quarum alteram à Bossuuio acceperat, alteram ducebat ipse pro Bergensi, Valencenam intrauerat, popularibus nihil contrà ausis. Quin & equitatus Philippi Croij Areschoti Ducis, iussu quoque Margaritæ, eâdem facilitate illuc translatus est; tandemque Marchio ipse Bergensis, atque Bossuuius Comes vrbem ingressi, pacata omnia, & ne vestigium quidem seditionis, contrà quàm opinabantur, inueniunt. Indeueltius tamen Bergensi nuper additus ad quæstiones agitandas, missus à Magistratu ad Gubernatricem super fugitiuis insequendis, institit apud eam, vt turbulenta ciuitas & priuilegijs, & armis exueretur: præterea seditiosorum ære condéretur arx, frenumque contumaci nimiùm vulgo inijceretur. ad id verò adigi posse Valencenates, missis mille ac ducentis peditibus, qui se ad equites vrbem iam obtinentes adiungerent. Margarita rem ad Senatum retulit: præpotuitque mitior sententia, Vt fugitiui repeterentur ad supplicium, atque in seditionis authores animaduer-

Ad vltionē, aut libertatē captiuorum sese animant.

extrahunt eos è carcere

Milites in Vrbē inducuntur iussu Gubernatricis.

Consultatur de Ciuitate plectenda.

uerteretur: ceterùm insanæ plebis furor modestis ciuibus fraudi ne foret. Idque Margaritæ potius visum, ne ciuitas (vt ad Regem scripsit) Gallorum studiosa intempestiuè irritaretur, dum non procul ostentabantur armatæ Gallorum acies. Quamquam illa ab huiusmodi copiarum apparatibus, quantum poterat, abstinebat, ne arma, atque adeo potentiam in manus aliquorum ex Belgarum Proceribus transferret. Quia tamen absque milite nihil tutò tentaretur in ea vrbe, Bergensi mandat, vt ex præsidiarijs præfecturæ suæ militibus, non plus triginta ex singulis oppidis carpendo, ducentos pedites contrahat; quibus in vrbem celeriter inductis, sparsoque ad hæc rumore, quasi mox alijs atque alijs secuturis: nihil omittat, quo minus, vt decretum erat, in noxios animaduertat. Paruit haud grauatè Bergensis: & quamquam ambo illi rerum turbatores tunc quidem elapsi erant, eorum tamen alter aliquanto pòst reprehensus pœnas dedit: territâque Magistratuum edictis, & vulgato militum aduentu ciuitate, intra paucos dies captis qui tumultum aut animosiùs fecerant, aut iactantiùs sibi vendicauerant, supplicium de ijs seuerè sumptum est. Atque hunc demum Valencenatum seditio finem tunc habuit: Margaritâ non tàm successu lætâ, quàm in posterum anxiâ, quòd vna in vrbe tanta Caluinianorum repentè colluuies erupisset. quum præsertim alibi cernerentur initia consimilium motuum: timeretque, ne, sicut Caluiniana, quæ tunc Gallos infestabat lues, vicinitate Hannoniam comprehenderat; sic assidua cum Danis commercia, proximæque Germanorum vrbes, Lutheriana contagione corrumperent Frisiam. Et licet hæresis, integra ferme inter Frisios nobilitate, per infimos quosque humi tantummodo serperet, quippe accommodata multitudini plerunque rudi incallidæque, eòque credulæ; atque ex altera parte prouinciam non instrenuè administraret Frisiæ Præfectus Ioannes Lignius Arembergæ Comes; haud tamen desiturum videbatur inquies malum, sed implicita sensim nobilitate grassaturum, nisi omni ope obuiàm iretur.

misera doctrinâ-tur. — *noui milites imponuntur vrbi.* — *de turbatoribus sumuntur pœnæ.* — *Et [illegible]itas componitur.* — *Gubernatricis sollicitudo:* — *præsertim de Relig. in Frisia.*

1562 — 12. Maij

QVÆ RES Margaritam permouit, instante præsertim Granuellano Cardinali, vt designati pridem Episcopi in suam quisque sedem quamprimùm inducerentur: exemploque, ac verbo (qua maxime ratione Religio procuratur) commissis sibi populis adiumento forent. Et res sanè procedebat: industriaque Granuellani, atque Apostolici Nuncij, quorum huic à Pontifice, illi etiam à Rege demandata erat ea cura; in vrbes paulatim admittebantur. Sed Brabantini, ne quid in sua prouincia immutaretur, acriter obstabant: frustra vrgente Granuellano, clamitanteque, Celeritate occupandos esse illorum conatus, consilijsque haud dubiè in dies validioribus

NOVI EPISCOPI alicubi introducuntur. — *Brabantini recusant.*

occur-

1562 occurrendum. Ab Vrbe tamen Pontificias de Episcoporum dote *Romæ non expediuntur diplomata.*
litteras, fine quêis nihil confieri poterat, non submittebat Franci-
scus Vargas Regis Hispaniæ legatus: non tam innata gentis cun-
Pius IV. ctatione, quàm indignatione Pontificis aliqua, nonnullorum
aulicorum operâ, qui offensi ob res in Pontificijs comitijs nuper
gestas, magnum legato dispendium afferebant. Quippe nimiùm
se in illas Purpuratorum curas, non sine multorum odio, Vargas
insinuauerat. eoque adnitente, Pacecchus Cardinalis, renouata sæ-
pius prævalida Patrum suffragatione, summum fastigium, cui sanè
par erat, pæne contigerat: direptâ semel eius cellâ à Cardinalium
familiaribus, vti assolet, creato Pontifice. Inde fortasse creditum
est, offensionis aliquid relictum apud Pontificis aulicos, velut adhuc
horrentes memoriam tam propè erecti Domino principatus. Vn-
decumque tamen esset illa negotiorum mora, certè spatium Abba-
tibus datum, (quorum intererat, Episcopos non imponi cœnobijs, *Abbates instigât Brabantinos.*
Abbatum loco) vt ea super re conuenirent, capita sæpius confer-
rent, Brabantinorum Ordinum opem implorarent, ad Nobiles
aliquot, priuatis de causis in auxilium pronos, confugerent: quæ-
que aut consilium excogitat, aut metus exprimit, aut opportuni-
tas ostendit, omnia pertentarent. Et Ordines quidem, quòd nihil *Brabantini legatos Romā, atque in Hispaniā submittunt.*
apud Gubernatricem satagerent, legationes extra Belgium ador-
nant, clam alteram ad Pium Quartum Pontificem in exitu supe-
rioris anni, alteram apertè in huius initio ad Philippum Regem.
Romam Molinæum mittunt Iurisperitum non ignobilem, qui Pon-
tificem oret, ne Cœnobiorum bona cum designatis Episcopis com- *cum hisce mandatis,*
municari, contra illorum placita, qui ea reliquere: ne exui mo-
nachos antiquissimo iure eligendi ex sese Abbates: denique ne Epi-
scopos ab Rege institui aliâ, quàm Regis pecuniâ, patiatur: Cum
hisce mandatis addunt priuatim litteras in eamdem sententiam ad
Pontificem, aliosque primarios viros Orangius, & Bergensis: hic
in primis, quòd Molinæo præceptore vsus esset adolescens, mane-
retque viro eadem gratia, & negotiorum vsus. Præterea nummis *& pecunia instructos.*
abunde hominem communiunt, quo aditus Romæ molliores ha-
beat: permittuntque, vt largitione aliqua, causæ patrocinium
adiungat. Postremò, præter commeatum, florenis mille ac du-
centis eum donant, totidemque comitem, quem ei honoris gratiâ
addidere; &, si quidem re bene gesta redeant, ingentis præmij spem
faciunt. At Margarita, cui nihil horum incompertum, Braban- *Legatis antevertit Gubernatrix, præmissis nuncijs Romam.*
28. Feb. 1561. tinis anteuertendum rata, legatum Vargam ea de re certiorem fa-
cit; Pontificem occupet, Molinæum obseruet, conatus & Religio-
nis bono, & pio Regis animo contrarios, pro sua prudentia frustre-
4 Ian. tur. Simul Regi eadem aperit, additque, venturos ad eum pro- *& in Hispaniā.*

L pediem

pediem certos homines, qui Brabantiæ nomine id ipsum flagitent. 1562
Et venere Ianuario mense Tserclassus, & Nyssus, auditique bis à Rege, cum dubijs responsis mense Martio in Belgium rediere. Neque feliciora ab Vrbe retulit Molineus. Quin & Antuerpienses legati Godefridus Sterchius Vrbis Prætor, Vrselius, & Vesembechius, qui profecti mense Maio ad Regem, oraturi ne Antuerpia cogeretur Episcopum accipere; nequidquam in Hispania laborabant. Nihil tamen propterea intermittebatur in Belgio. Namque Abbates querelis Margaritam onerabant: Nobilium nonnulli, Granuellani potissimum odio, querelas clam alebant: Brabantini ordines, ne priuilegia carperentur: vulgus, ne Inquisitionis Hispanicæ principia per eos Antistites ponerentur, tamquam pro aris ac focis pugnaturi videbantur. Addiditque scribens ad Regem Philippus 1. Iun. Momorantius Comes Hornanus, (qui paucis antè mensibus ab Hispania venerat, iussusque erat à Rege, sibi renunciare, quid ea super re ageretur) *Brabantiæ querimonias solito ferociores esse, calente in vulgus rumore à Gallis, ac Germanis (vti putabatur) accepto, Absque illarum nationum consensu, à quarum prouincijs diœceses aliquot Belgicæ præcidebantur, institui nouos Episcopos in Belgio non posse: ideoque aduersùs huiusmodi institutionem Belgas omnia facturos, ne à Gallis simul, ac Germanis intercepti subitis vtrinque excursionibus infestentur.* Neque dissimilia his scripsit ad Erassum Regis aulicum à secretis, amicum hominem, & in aula præualidum, culpam omnem in Granuellanum denique declinans, qui rem nullum exitum habituram ambitiosè, impotenterque moliretur. Nempe Granuellanus angebat oculos multorum, remoramque negotijs faciebat. Nec ego tardum dictu crediderim, in ea Sacrorum procuratione tricas ac turbas futuras fuisse propemodum nullas, si non auersa nobilitas aliò traxisset. Sed Procerum aliqui auctos Episcopos, vti memoraui, in deteriorem partem, hoc est in detrimentum authoritatis, libertatisque suæ, præsertim in comitijs, interpretati: alij hæreticis obstricti: multi priuatis offensionibus à Rege abalienati: plerique in Granuellanum, quem augendorum Pontificum authorem ideo existimabant, quia propugnatorem acerrimum videbant, odio incensi; publicis hisce curis aut non aderant, aut aduersabantur. Hanc porrò abalienationem vix dum admota regendis prouincijs Margarita detexit primùm in Egmontio, atque Orangio: nempe quum deiectus vterque spe administrandi vniuersi Belgij, recentem repulsam acriùs sentiebant. Cautè id tamen præseferebat Orangius: at Egmontius, homo militaris, in amore, odioque iuxtà apertus, adeo non dissimulabat, vt domi suæ, se coram, permitteret sermones haberi per quàm indignos Maiestate Regis: haud ignara Gubernatrice,

Legati re vtrobique infecta redeunt.

Non desistunt Brabantini.

Pro quibus scribit C. Hornanus ad Regem:

Adimunt eos plerique per Belgiū nobiles infensi Granuellano, & Regi.

Præcipui Orangius, & Egmontius.

Egmontij libertas.

1562 natrice, quæ per litteras indicauit ea Regi: ſimulque Simonem Regnardum nominauit, quem fouere huiuſmodi cœtus acceperat, *Quam fouet Regnardus.* Senatorem notæ dicacitatis, aſtutiarumque, nec minoris authoritatis apud Nobilium plerosque, præſertim apud Egmontium. Peruetus illi iam tum puero fuerat æmulatio cum Granuellano populari ſuo, in ludo liberalium ſtudiorum: quòd ingenium vni limatius, alteri eſſet amœnius. *Occaſione æmulationis cũ Granuellano à primis annis ortæ:* Atque, vt ACERRIMÆ eſſe ſolent à primis annis ingeniorum velitationes, grandi iam ætate, mutatâ negotiorum materiâ, manſit eadem contentio in Belgica Philippi Regis aula. *quæ manſit in aula negotijs.* Sed quòd gratiâ, honoribuſque apud Principem, ſororemque Principis Margaritam longè præiret Granuellanus; creuit apud minorem inuidia eo maior, quia pares aliquando fuerant: *mutata in inuidiam aduerſùs maiorem.* repertoque tandem aditu ex Nobilium odio in Granuellanum patefacto, agere cauſam offenſæ nobilitatis Regnardus vbique diſſertabundus occœpit: augendoque illorum, apud quos plurimum poterat, indignationem; priuatam interea vltionem adornabat. *Inde Regnardus in Granuellanũ agebat;* Quo ardentiùs Margarita verita ab huiuſmodi linguæ telo occultam aliquam Reipublicæ plagam, & tanquam A SICCA tempeſtate naufragium, Regi ſuadebat, amoueret hominem à Belgio, & qualibet honoris ſpecie aliò deſtinaret. *& euocari illũ à Belgio Gubernatrix curabat.* Sed dilata eius reuocatio in quintum poſt hæc annum, quum ſuperantibus malis Regnardus in Hiſpaniam tandem nullo pæne fructu abſtractus eſt; ſatis oſtendit, quantum virium morbis accedat procraſtinatione remediorum. *Euocatus tandẽ ſed ſerò eſt.* Et quamuis Egmontius (quippe qui non malo erat, quum ſuo vtebatur ingenio) ſub ea principia obſequentiùs ageret, fidumque ſe Gubernatrici præberet; intercedentibus tamen priuatis cum Granuellano Cardinali offenſionibus, in numerum ſe dedit eorum, qui ab eo diſſidebant, acceſſitque comes Orangio, qui per eos dies grauiter læſus à Granuellano quærebat cum quo indignationem ſuam conſociaret. Etenim Orangius, vt ſibi Brabantinos haberet obnoxios, iactis identidem ſermonibus de illorum diſcordijs ob nouos præſertim Epiſcopos componendis; nullam eſſe aliam viam conficiebat, quàm ſi Brabantinis, qui nullum præter vniuerſi Belgij Præfectum habent, Gubernatrix patronum daret aliquem è nobilitate, qui res illorum propiùs inſpiceret, vnicèque curaret. *Orangius ſtimulat Brabãtinos.* Nec defuit, qui gratificaturus Orangio, in ſenatu id attentaret: quum Granuellanus haud falſus animi, quò res pertineret in huiuſmodi conſilium grauiter ac pugnaciter inuectus, ad extremum, *Quiſquis hominum*, inquit, *hoc patrocinium capeſſeret, cogitare ſecum deberet, ſe Brabantiæ Principem creari, Regique ſocium adiungi in adminiſtratione Belgica*. *Ambitionẽ eius redarguit Granuellanus.* Neque hoc contentus, cum Margarita tranſegit, vt quum paulo pòſt de Magiſtratu Antuerpiæ renunciando ageretur, in ſe- *& caſtigat.*

Mart. Delrius lib. 1. rum. Belg. — *4. Octobris 1559.* — *Granuell.* — *Regnard.*

natum non vocaretur Orangius, ne se authorem eius beneficij 1561
Antuerpiensibus venditaret, id, quod in hominis animum altè descendit. Hinc primæ Orangij, Egmontijque ad Regem litteræ querelarum plenæ, se ad senatum rarò acciri, quæque ad Præfecturas suas pertineant, secum non communicari, sed omnibus vnius, aut alterius arbitrio clam definitis, in speciem aduocari deinde se, rerum reliquias & eiectamenta discussuros: scilicet illic contemptos, hîc illusos. Magnum profectò irarum, offensionumque incitamentum, ex quo in Rebus publicis exitere sæpenumero ingentes motus, quoties ab vno occupari partes plurium Princeps voluit. Etenim intumescat licet amnis aquarum accessione, dum suo contineatur alueo, nulli est iniurius. at super ripas effusus dum vicinos campos, & messes alienas prælicenter inuadit; iusto nimirum dolore, & querelis agricolarum incusatur. Et verò Granuellanus nullos intra certi muneris terminos coërcebatur, Gubernatrice & sua sponte, & Regis iussu plurimum ei tribuente. Inter alia, litteras, quæ ab Hispania, aut aliunde mittebantur ad Margaritam, non illa ad Senatum antè referebat, quàm secretis aut colloquijs, aut codicillis cum Granuellano conferret: Granuellanus expendebat apud se singula, præiudicabatque: tùm ad Margaritam remittebat, aut ad Viglium priuati consilij Præsidem, qui eas (prætermissis ijs capitibus, quibus lineas Granuellanus subiecerat, volebatque clam esse) in Procerum senatu perlegeret. Et quamquam hæc secretò agitabantur, nam fidus erat Viglius Granuellano; quia tamen interdum contigit, vt Orangio, alijsue eadem quæ Gubernatrici, scriberentur, animaduerterunt, aliqua se cælari ex ijs, quæ perferebantur. inde suspectare omnia, querique, malignè secum negotia communicari, fraudarique prouincias, ac Regem multis optimisque consilijs. Sed Margarita nihil propterea mutabat. Tantùm rationem 18. Decb. 1561.
sui reddidit Regi, reuocatis eis in memoriam litteris mense Iunio ab ipso datis, in quibus iniungebat, vt ea, quæ ad Angliam, aut ad 24. 1561.
Concilium Tridentinum, aut vniuersè ad Religionem pertinent, clam (vti Pontifex admonuerat) haberentur. *Non tamen infitior* (addebat) *etiam in ijs, quæ spectant ad reliqua prouinciarum negotia, interdum aliquos Procerum ad consultationem non adhibitos, sicuti nuper in Magistratu Antuerpiensi demandando non aduocaui Orangium de industria; ne maiorem, quàm ille exercet, in Brabantinos authoritatem ex hac Magistratuum creatione captaret. Ceterùm dissimulare haud possum, quin Maiestati tuæ significem, Non esse è re dignitateque nostra, vt omnia ad Senatum referantur; ne pericula timoresque ac necessitates, quibus ego identidem premor, denudentur apud eos; quorum si quis fortè non perinde animatus sit, abuti ea anticipatione posset ad negotia contrarijs*

Inde Orangij, & Egmontij prima ad Regem cõquestio.

Quòd ipsi in consilijs prætereantur.

quòd vnus agat omnia.

Ut agebat Granuellanus.

Sed Gubernatrix illum tuetur.

litteris ad Regẽ datis.

1562 *trarijs consilijs eludenda, successusque rerum occultè frustrandos. In ijs tamen alijsque, omnia ex litteris, nutuque Maiestatis tuæ moderabor.* Sed Rege nihil secùs præscribente, morem suum obtinuit Gubernatrix. Ex quo rumor increbrescere paulatim cœpit, dictitantibus multis, indici oportere generalem Belgicorum Ordinum conuentum, specie corrogandi vectigalis, ac firmandi Belgij aduersùs propinqua Gallorum arma, componendique simul domestica dissidia. Et fortasse id moliebantur aliqui: plures tamen conuellendo præsenti aulæ statui publicum remedium prætendebant. At Margarita, quæ mutuata à fidis hominibus aures, istorum consilijs, dictisque, ac pæne cogitationibus intererat; sermones huiusmodi præcidit, palàm testata, relictum sibi inter mandata Regis, ne illo absente cogi Ordines vniuersi Belgij pateretur.

Neq; Rex quidquam mutat.

Conuocatio generalis Ordinum non permittitur à Gubernatrice.

QVOD asperiùs negatum Margarita leniuit, permissa (nam hoc quoque enixè poscebant) sodalium aurei Velleris conuocatione. Verùm vbi illi Bruxellas conuenere, statim apparuit, ea in re multis eorum non tàm publica curæ fuisse, quàm priuata. Nam præter conuentus coram Gubernatrice haberi solitos, in quibus plerunque agebatur de conseruatione prouinciarum contra Gallicos tumultus; clàm apud Orangium miscere colloquia cœperunt, Cardinalis Granuellani potentiam non vltrà laturi. Hæc conspiratio ducibus Orangio, Egmontio, atque Bergensi primùm inita an scripto firmanda esset, exploratis singulorum Equitum animis, attentatum: sed aliquorum discordiâ, qui nihil se in Cardinalem iure scripturos affirmarunt, desitum est. præsertim quòd Margarita, euocatis illis apud se crebriùs in senatum, nouoque semper inquirendarum rerum onere fatigatis; omnem ferè conueniendi seorsim opportunitatem adimebat: ex quo etiam maturiùs conuentui publico finem imposuit. Summa earum consultationum fuit; Mitteretur aliquis Procerum in Hispaniam, qui Gubernatricis nomine de Belgij necessitatibus Regem edoceret. Delectus Florentius Momorantius, Montinij Dominus: litterisque, quas à Granuellano confectas Margarita ei tradidit ad Regem perferendas, ac monitis, ex quorum præscripto ipse se gereret, oneratus: acceptisque quatuor aureorum millibus ad legationem honestè obeundam; exeunte
27. mense Iunio, se viæ commisit. Sed Gubernatrix ante huius profectionem, quo Rex præmonitus responsa tutò destinaret, simul ipsa vigilantiam suam ei testaretur; per certum hominem litteras
24. Iun. arcanis notis exaratas ad illum dedit in hanc sententiam. *Intendentem se sedulò in ea, quæ clanculum Equites agitabant, resciuisse hæc demum ex Carolo Comite Barlamontio, notæ pridem fidei erga Regem. Procerum indignationem ex hisce maximè capitibus oriri. Quòd sibi persua-*

Sed permittitur CONVOCATIO equitum aurei Velleris.

Ea occasione prima semina conspirationis in Granuellanum iacta.

Summa eius cōuocationis.

Montinium in Hispaniam allegatur.

Præmisso à Gubernatrice nuncio,

cum hisce secretis litteris.

Quas causas offensionis afferāt Proceres.

persuadeant; Regem haud multum fidere illorum operæ, eòque à Gubernatrice ad arcana consiliorum non euocari. quòd Granuellanus retinendæ potestatis anxius hanc Regi suspicionem iniecerit, ausus etiam eidem scribere, Nunquam eum futurum Belgij Dominum, nisi recisis sex septemue Primariorum capitibus. quòd idem litteris sollicitet Regem, vt in hasce prouincias formidando cum exercitu inuadat, ijsque de integro potitus, quas velit leges iure belli victis imponat. quòd non aliò spectet auctus eodem authore numerus Insularum, quarum primam ipse induerit, nisi vt Hispanicum de Religione tribunal in Belgium inferatur. Ad quæ 1562

quid ad eas respondcrit Gubernatrix.

Barlamontij dicta respondisse se; Nec Proceres ab arcanis procul habitos in ijs, quæ scire ipsorum interesset, vt ipsimet Barlamontio, quippe consiliorum participi, non incompertum erat: nec Granuellanum esse aut adeo rudem ad res gerendas, vt, qui olim iuuenis Carolo Cæsari, ac Philippo Regi operam suam probauerit; nunc grandi ætate vsuque vir adhiberi ad negotia à Principe non possit: aut adeò inuidia præcipitem; qui cum Rege moliatur eorum necem, quos Regi percaros esse, & se aduersaturam, non ignoret. Nec minus absurdum, aut ridiculum videri, quod de sollicitato Rege dicerent: nempe vt sibi quis inferat bellum, summoque impendio, quod suum est, emat. Postremò quod ad Episcopos attinet, procurari id quidem à Granuellano, quemadmodum ei ex designatione Pontificis mandauerat Rex, non ad sternendam Hispanicæ Inquisitioni viam, sed ad tuendam inter ea turbamenta Religionem. quam prouinciam, sicut alia omnia, quæ sustinendæ Regis authoritati conducunt, quoniam ille spretis omnium offensionibus intrepidè administret, hinc odia multorum esse, ac futura semper in eos, qui Principis authoritatem acriùs defendant. Hæc sibi comperta præmisit ad Regem Gubernatrix, orauitque addito seorsim codicillo, vt in epistola enodanda, non nisi fidelissimâ vteretur operâ. Quamquam Barlamontius ipse, vt aperto erat animo, rebaturque in ea re non minus patriæ adesse, quàm Regi; interrogatus ab Orangio, qui eam moram apud Gubernatricem obseruauerat: num ei aperuisset, quæ priuatim ipsi inter se se contulerant; disertè affirmauit, quæque Gubernatrici significasset, enarrauit omnia. Neque Orangius ægrè id tulisse visus est. credo, quòd videret, suas potissimum querelas, plurium nomine propositas imputari sibi haud posse, & à multitudine authoritatem accepisse. Interim Gubernatrix ab Rege admonetur, ne priuatos Nobilium cœtus vspiam pateretur: quin rationem excogitaret; qua tantus animorum consensus publicæ quieti perniciosus, opportunè dissolui posset: simulque obseruatis Orangij consilijs, ne sineret eum ab aula conspectuque dilabi. Et Egmontium quidem, atque Orangium inter se se distrahere, haud permagnum videbatur: quippe grauiter olim, antequàm eos commune in Granuella-

Com. Barlamontij fides, ac libertas.

17. Iul.

Ratio aliqua distrahēdi animos nobiliū. Gubernatrici imperatur à Rege.

Egmōtij, & Orangij dissimilitudo.

1562. uellanum odium coniungeret, diffidentes: & naturâ, moribusque nimium quàm diuersos. Erat Egmontius ingenio hilari, explicato, sibique præsidente: tristi Orangius, inobseruabili, vitabundo. In hoc solertiam vbique laudares: fidem in illo sæpius reperires. Dux belli melior quàm senator, Aiax ille: hic Vlysses domi pugnacior consilio, quàm foris manu. Prouisor alter anxius, inque futura semper animo præcurrens; eòque aduersùs repentina nunquam improtectus: alter plerunque curis vacuus nisi instantibus; ad subita tamen magis imparatus, quàm aut impromptus, aut impar. Plus ab altero sperares: ab altero plus timeres. amicumque tibi Egmontium malles: Orangium magis inimicum nolles. Et ne qua in re conuenirent, vultu erat Egmontius perquàm pulchro, validis membris, aspectu pleno dignitatis: alter ore gracili, colore fusco, capite recaluo. Summus tamen vterque populo habebatur. sed illum homines amabant: hunc colebant. Ergo gnara vtriusque ingenij Gubernatrix, quid sibi promptum videretur dispandis amborum studijs perscripsit ad Regem: atque hanc præcipuè viam attentandam eidem commonstrauit. Stipendia, largitionesque (de quibus eo tempore mittendis ad prouinciarum Præfectos, ipse consuluerat Margaritam) omnino mitteret, non quidem ad omnes, sed ad Orangium, Egmontiumque; atque ad hunc aliquanto, quàm ad illum, liberaliùs: sic enim futurum, vt & Orangius suspectam habere æmuli gratiam apud Principem, & vterque apud reliquos Proceres, qui interim prætereuntur, aliquâ inuidiâ flagrare incipiat. Et procedebat hic cuniculus, nutabantque malè cohærentes aliquorum animi. nec desistebat ab opere Gubernatrix: sed ob eamdem causam, quum ad Imperij comitia, quæ creando Romanorum Regi habebat Francofurti Ferdinandus Cæsar, mittendus esset ex Belgio aliquis Nobilium, Philippi Regis nomine, in magna Procerum expectatione, prælatus est à Margarita Philippus Croius Areschoti Dux: non tàm quia in Germania educatus esset apud Carolum Cæsarem, (vt ipsa retulit in senatu) eòque acceptus Ferdinando fratri crederetur; quàm vt hominem Orangianis partibus infesum, honestissima legatione remuneraret, simílique spe ceteros alliceret. Sed Orangius priuato nomine ad ea comitia eundum sibi statuit; quòd diceret, cum Septemuiro Saxonum Duce de vxoris dote, & cum Cæsare de rebus, quæ ad familiam stabiliendam pertinerent, agendum esse. Cuius discessum licet Margarita non probaret inconsulto Rege; discessit ille tamen tanta festinatione, vt nec sustinuerit vxoris opperiri partum, quæ triduo pòst enixa filiam, baptismo lustrari catholico ritu voluit, magna Gubernatricis gratulatione.

Marginalia (left): Orang. Egmont. — Egmont. — Orang. — Orang. — Egmont. — Egmont. Orang. — 10. Septemb.

Marginalia (right): Qua dissimilitudo commoda Gubernatrici ad eos distrahendos. — Duplex via id agendi. — Filia Orangio nascitur.

ET IAM

MONTINII legatio:

1562

ET IAM Montinius ab Rege bis auditus reditum adornabat: quum Rex, quo die hominem dimisit, dum ei rem Belgicam commendat, quasi per occasionem sermonis, exquirere ab illo cœpit, pro fide sinceritateque, quas in eo virtutes expertus erat, exponeret, quænam ei viderentur abalienationis multorum in Belgio, & querelarum causæ. Montinius & si nihil allaturum se dixit: quod exploratum Maiestati eius haud pridem foret, tamen quantum ipse sciret, Videri id partim prouenire ab nouis Episcopis Belgio clam adiunctis, re cum prouincijs, earumque Præfectis non communicata: ex quo credi vulgò cœptum, eosdem, Hispaniarum exemplo, de Religione quæsituros. partim ab odio, quod in Cardinalem Granuellanum summi iuxtà infimique gerant adeo implacabile, vt timendum propterea sit, ne quâ seditione aliquando populus implicetur. Ad ea Rex, Gnarum se quidem respondit eorum, quæ attulerat; mirari tamen quotidie magis, quòd tam vanis rumoribus Belgæ impellerentur. Nam profectò se non aliâ ad sacrorum Antistites augendos adductum causâ, nisi populorum necessitate, & Caroli patris admonitu: idque non secretò, aut subitò procuratum, vti docere poterat Marchio Bergensis, cui iam tum, quum eum duceret in Angliam, Mariam sponsam accepturus, consilium ea super re suum impertiuerat, non sine eiusdem commendatione. Affirmare autem se posse, numquam sibi in mentem venisse, illa Episcoporum adiunctione censuram Religionis inferre in Belgium Hispaniarum more: neque ea de re subministratum sibi fuisse consilium à Cardinali Granuellano, cui etiam Episcopos augendi propositum non antè quàm Franciscus Sonnius Romam allegaretur, aperuerat. Porro falli eos, qui Cardinalem eo nomine odissent, quòd occultis delationibus inuidiam creare nobilitati non desisteret. id enim ab illo numquam attentatum: neque se adhuc in Granuellano detexisse ea liuoris, quæ iactabantur, argumenta: quæ si deprehendisset inposterum, neque in eo, neque in alio quoquam rerum suarum administro permissurum. Sed vt vt esset, sperare se breui in Belgium traiecturum, præsentemque non minus suis, quam prouinciarum votis satisfacturum.

Colloquium eius cum Rege.

ex litteris Regis ad Gubernatricem. 23. Nouembris

Causam abalienationis refert in Episc. & in Granuell.

Rex rationē auctorū Episcoporū reddit:

Granuellanum defendit:

& spem aduentus sui in Belgiū facit.

Digressus ab Rege Montinius Bruxellas reuersus est Decembri mense, lectisque in Senatu litteris, in quibus de componendis ærarij difficultatibus, de subsidijs Carolo Galliarum Regi inposterum designandis, ac potissimum de procuranda Religione præscribebatur: multa addidit ipse de Principis animo erga prouincias: sed pleraque incassum. Namque Montinio absente suspiciones increuerant, contraque ea, quæ ab illo promittebantur, Orangius differebat, alijque nonnulli, qui malebant clandestinis litteris, quas ex Hispania à fidis in aula hominibus acceperant (an quæren-

Relatio Montinij in Senatu:

14. dec.

Cui non satis fidem habent.

1562 quærentes indignationi patrocinium videri volebant accepisse;) quàm Philippi Regis, sororisve pollicitationibus fidem habere. Auxit eorum indignationem, quòd inaudissent à Montinio, haberi se in Gallia tamquam Hugonotorum patronos. De quo cum Margarita ferociter expostulantes, non omisere, eam calumniam non aliunde quàm è Cardinalis officina prodire potuisse: frustra repugnante Margarita, atque ostendente, commentum id potiùs esse rebellium, hæreticorumque Galliæ, qui vt authoritatem factioni conciliarent, Nobilitatem Belgicam apud ignaros inuoluebant.

Proceres uenis de Granuellano suspicionibus offensi.

Denique magis magisque exacerbatis animis, quum apud Gubernatricem mouere loco æmulum non possent, quippe is nullo eorum artificio & conspiratione trepidabat: propositâque sibi Regis sui gratiâ, præ vno hoc Ioue minutos reliquos Deos contemnebat; (quasi verò non possit quis non solum ictu fulminis, sed etiam gregarij telo militis interire: aut non ipsi Ioui fulmen ab infimis elementis suggeratur) statuunt Orangius in primis, Egmontiusque ad Regem litteras dare aduersùs Granuellanum, omnium nomine: quamquam non omnes conuenere: siue iactis antea discordiarum à Gubernatrice seminibus, siue Procerum nonnullis idcirco DIVERSIS, quia non ipsi familiam ducebant. Sanè Areschoti Dux ab Egmontio stimulatus, dum venatum irent, vt se alijs adiungeret; negauit sibi quidquam esse aduersùs Cardinalem: ac nolle Regi præscribere, quatenus ministris suis vti debeat. eòque prouectus est, vt ad extremum concluserit, Non se legem ab Egmontio, aut ab Orangio accepturum, quorum neutrum ducebat se suisque maiorem. mirantibus, qui aderant, Arembergio, ac Barlamontio: neue res vltra verba progrederetur, aliò sermonem auertentibus. Nec minus inter Arembergium ipsum, Orangiumque ex eadem causa dissidium

Ille æmulos despicit.

Aemuli cōspirationem adornāt

dissentientibus eorum aliquibus

12. Martij. intercessit; vt de vtroque Regem admonuit Margarita. Sed quamuis & horum exemplo, & priuatas ob causas conspirationi se subtraherent aliqui; datæ sunt tamen ad Regem litteræ, ab Egmontio, Orangio, atque Hornano subsignatæ, quarum exemplum, vti Rex ipse Margaritæ postea transmisit, hîc latinè apponam, nam Gallicè scriptæ sunt. *DOMINE, summopere dolemus, cogi nos in præsentia interpellare grauissimas curas tuas. sed & famulatus nostri ratio, & quæ tuis hisce prouincijs certò imminet clades, haud vltrà silere patiuntur: præsertim quòd speramus, significationem hanc nostram, quippe omni perturbatione animi liberam, abs te accipiendam ea clementia ac recordatione nostri, quam hominum tibi addictissimorum sollicitudo meretur. simul vt ignoscas, enixè oramus, si seriùs quàm res tanta postulabat, ad te perscripsimus. Rationem administrandi Belgij quum viri primarij sapientesque considerant, haud dubiè pronunciant, penes Cardi-*

LITTERAE Egmontij, Orangij, & Hornani ad Regem contra Granuell.

nalem Granuellanum esse rerum publicarum summam : idque tam altè in Belgarum animos descendit , vt sperandum non sit , euelli eam opinionem posse,illo apud nos degente . Petimus itaque abs te supplices,pro ea, quam in nobis agnouisti semper erga te fide , (vt nihil dicamus de opera toties prompta Maiestati tuæ) vt cogitare tecum ipse ne graueris , quanti referat communi populorum querimoniæ , dolorique consulere. Hoc enim vt in animum inducas , etiam atque etiam oramus , NVMQVAM felicem exitum habitura prouinciarum negotia, quorum arbitrum esse homines animaduertant illum , quem oderunt. Neque huc progressi scribendo essemus , nisi ante oculos versaretur malum , quo , remedia si differas , periclitari Rempub. necesse est. Qua in re si vmquam fando, agendoue apud te fidem inuenimus , nostris vt verbis sit in præsentia fides , obsecramus. Hæc quippe fuit causa , cur Optimates sanè complures , harumque prouinciarum Præfecti , aliíque non pauci , significare hæc tibi voluere , vt ingruenti exitio in tempore occurri queat . Occurres autem , Domine , vti speramus: atque apud te pluris aliquanto valebunt tot Belgarum tuorum merita , proque publica incolumitate preces , quàm vt velis vnius gratia tam multos obsequentissimos Maiestati tuæ famulos auersari . Quum præsertim de Gubernatricis prudentia non modò queratur nemo, sed etiam pro eius administratione habere nos tibi immortales profectò gratias necesse sit. Vt autem non opineris (quòd tibi suggerere fortasse quis posset) hæc nos moliri cupidine dominandi ; impensè rogamus , à senatu, atque à eractanda Rep. nos (si ita videtur) amoueas: quum neque è re Maiestatis tuæ , neque existimationis nostræ sit , in eodem cum Cardinali consilio in posterum conuenire. Quod verò ad Religionem spectat , (quæ res summi momenti est hoc tempore) de nobis ea spondemus omnia , quæ à subditis tibi catholicisque hominibus , quales profitemur esse , meritò expectari possunt. Etenim si Nobilitati ea res curæ non fuisset , profectò Religionem hoc tolerabili , quo quidem nunc est , loco non haberemus, corruptis nempe vulgi animis hæreticorum lue : cui morbo persanè parum medetur Cardinalis authoritas , & vita. Denique , ne diutius moremur amplissimas curas tuas , oramus , æqui bonique consulas significationem hanc nostram : quam vt ad te mitteremus , non minus obseruantia Maiestati tuæ debita , dictumque tibi sacramentum , quàm metus , ne silentium nostrum aliquando culpares , si qua fortè calamitas Belgas inuolueret , persuaserunt. Atque in hac verba Regias Manus tuas venerabundi osculamur : precamurque Deum , vt te quàm diutissimè sospitet , ac fortunet. Ex vrbe tua Bruxellis, vndecima die Martij 1563. 1563

Lamoralius Egmontius , Guilelmus
Nassauius, Philippus Momorantius.

Has litteras, subscriptis hoc modo Triumuirûm nominibus, clam in Hispaniam mittit Egmontius ad Carolum Tisnacum, hominem

1563 minem Belgam, regiumque rerum Belgicarum in Hispania Procu- *Hisce de litteris Regē præmonuerat Gubernatrix.*
ratorem. Sed antequàm illæ mitterentur, gnara earum Margarita
9. Mart. Regem præmonuerat. Neque hæc ipsa Gubernatricis præmunitio
eos latuit, qui conspirauerant, culpamque contulit Egmontius in
Comitem Arembergium, quasi diffidentem ab alijs, & Orangio *Ob id inter Egmontiū & Arembergium graue dissidium.*
præcipuè infensum. Quumque is seriò negaret, quidquam ab se
indicatum alicui mortalium: neque opus esse indice earum rerum,
quas ipsi vbique gloriosè iactarent: & quum nihilominus persisteret
Egmontius, adderetque, per certum hominem sibi constare, non
aliunde prodijsse, quàm ab illo; enimuerò iratus Arembergius, *Et
ego*, inquit *ementitum assero, quisquis hoc de me retulit: paratusque hìc
persto, dictum ferro tueri*. Id, quod ad Regem, vti actum erat,
9. Maij. Margarita perscribens, haud prætermisit de Egmontio queri, quòd
is, quem Regi fidum præ ceteris habuerat, eò prouectus esset, vt
alios palàm sollicitaret, hortareturque, consociarent animos operamque,
pro patriæ beneficio, ac libertate. Iamque post tres men- *Responsum Regis ad trinm Procerum litteras.*
ses aduenere ab Hispania Regis litteræ, manu Caroli Tisnaci scriptæ,
quibus ad triumuirûm postulata respondetur ab Rege in hanc
sententiam. *Accepisse se eorum litteras, nec dubitare, quin optimè
animati erga Principem, & Patriam ea significauerint: satis enim
multa extare fidei eorum, atque obsequij testimonia. Sed quum certam
interim causam non expediant, cur amouendus sit è Belgio Granuellanus:
nec sibi mos sit, loco mouere quemquam Ministrorum, indicta
causa; propterea gratum sibi futurum, si eorum aliquis ad se in Hispa-* *Quo inuitatur eorum aliquis in Hispaniam;*
*niam iret, & quidquid illud est, coram edoceret. Quo enim maiori opus
esse remedio ipsi affirmarent, eo minus agitari inter absentes rem tantam
oportere*. Præter hasce litteras, priuatim sua Rex manu scribit Eg- *& peculiaribus litteris Egmontius.*
montio, significatque, libenter se auditurum ab illo, quas litteris
15. Iun. non explicuerant, causas. Simul Margaritam docet, quid tribus
communiter, quid separatim Egmontio respondeat. inuitari ab se
eorum aliquem, vt diuidat: præoptari Egmontium, quòd is seiunctus
ab alijs facilè tractari ac flecti, atque adeo ingenio suo, rationique
reddi queat. Sed neque Egmontius, neque eorum aliquis ad- *Sed omnes subterfugiunt.*
duci tunc potuit ad eam profectionem suscipiendam; siue infra dignitatem
suam rati, si tantum iter ingrederentur ad Granuellanum
accusandum: siue conscientiâ retardati, ne se Hispaniæ committerent.
Quamquam Regi scribentes retulere causam in finitimos *causamque Regi reddunt.*
Gallos, qui pace vtcumque domi composita, an aliò arma conuerterent,
expectandum erat. qua trepidatione nefas esse ducebant,
patriam deserere cuiusquam deferendi gratiâ. Quòd si nihilominus
alio nomine accerserentur à Rege, illico mandata facturos.
Interim non ituros in Senatum, ne cum Granuellano conuenirent:

M 2 ceteris

1563

ceteris in rebus neque Principi, neque patriæ vnquam defuturos. Similia his respondit seorsim Egmontius, actis præterea gratijs ob præcipuam in se Regis voluntatem. Verùm dum hæc agitabantur, nutabat in aula Granuellanus. Etenim DIFFICILE est, in lubrico diu stare, quem plures impellunt, præsertim iniecta Principi suspicione, quasi ipse regendo impar arguatur ex ministri potentia, ac societate. Nec alio sæpius telo à veteranis aulæ magistris, æmulorum gratia iugulata est, apud eos præsertim Principes, qui famam ingenij, seu pares, seu minores, modò auidi, aucupantur. Hac certè machina, paucis post hæc annis, Didacum Cardinalem Spinosam non minus Regi in Hispania, quàm Regis sorori Cardinalem Granuellanum in Belgio percarum, de summo aulæ fastigio deiectum ferunt ab ijs, qui Regem nouerant, hactenus suorum gratiæ tribuentem, dum illi se consiliorum ministros, non authores iactarent. Et iam Gubernatrix mutato in Granuellanum animo videbatur: siue hominem pertæsa, quasi moderatorem sibi adiunctum: siue quòd odij, quo is insanabili laborabat, afflari se contagione videret: siue demum quòd animum eius introspexisset auidum inuidumque, ac simultates inter Principem, ac populos occultè fouentem, vt ipsa Regi pòst aperuit. Quæ postrema (nempe contraria ijs, quæ ad Granuellani commendationem toties illa Regi memorabat) veranè sint, & Margaritæ comperta post diuturnam consuetudinem: an comperta quidem initio, sed vt tunc ob beneuolentiam occultata, ita nunc hominis tædio, metuque impendentium malorum patefacta: an potius falsò Gubernatrici credita, æmulisque compellentibus ad Regem perscripta; equidem affirmare non ausim. Quamobrem Margarita, quod iam decreuerat, Thomam Armenterium, veterem aulicum à secretis in Hispaniam mittit, cum accurato rerum commentario, quas Regi partim legeret, partim si se offerret occasio, inter colloquia insinuaret. Summa capitum fuit, Doceret Principem rerum Belgicarum, finitimarumque statum, & quo se modo ad eum diem Margarita præstiterit in ijs, quæ ad sacram iuxtà, ac ciuilem gubernationem pertinent. Atque vbi de conspiratione Nobilium aduersùs Granuellanum mentionem faciet, sigillatim exponat, ad se venisse Iulio mense Principem Orangium, Marchionem Bergensem, Comites Egmontium, Hornanum, Mansfeldium, atque Meganum: & Orangium quidem post multa, quibus omnium nomine questus est de præsenti rerum statu, de stipendio equitibus peditibusque tamdiu debito, de Quæstoribus regijs alieno ære oppressis, deque mercatorum querimonijs ob eam causam; subiecisse ad extremum, quando ea omnia ex Cardinalis, assectarumque dominatione prouenirent, decreuisse se in posterum

sena-

Granuellanus nutat. — *Aloysius Cabrera l. 9. in vita Phil.* — *mutato Gubernatricis animo,* — *has ob causas.* — *29. Aug.* — *Armenterius in Hispaniā à Gubernatrice mittitur, qui Regi aperiat.* — *12. Aug.* — *inter alia.* — *26. die.* — *certas Nobilium querelas aduersus Granuell.*

1563 ſenatu abſtinere, non quidem Gubernatricis causâ, cuius prudentiam, caritatemque in Belgium prædicaturi ſemper eſſent; ſed ne in parte venirent earum rerum, quæ tanto cum Regis, ac prouinciarum detrimento fiant: ac præterea (quod addidit Egmontius) ne ſenatum frequentando, & tamen patriæ neceſſitatibus non conſulendo, amitterent apud populos beneuolentiam, ac nominis exiſtimationem, eòque modum occaſionemque tuendæ Principis cauſæ. Neque hoc mirum videri poſſe Regi, ſi recordetur, olim Carolo Comite Lalinio ſenatum moderante, in ſenatum venire Granuellanum. tunc Atrebatenſem Epiſcopum noluiſſe, potentiâ Comitis offenſum. Inde acriter in eum inuectos Orangium, & Bergenſem commemoraſſe, quibus ille artibus apud Regem eos inſimularet, vt dubiæ Religionis, nec Principi fidos. Quin ſibi conſtare, Telidanum Louanienſem theologum, vti ipſe iactauerat, ſcripſiſſe Regi, Primores Belgas hæretica omnes labe conſperſos eſſe: quamque occaſionem inimicitiarum cum Cardinali Lotharingo arripuiſſent hæretici per Galliam, eam nunc ſimulationem in Belgio Nobiles induere. Ad hæc, alio die ſeorſim ab alijs Egmontium eaſdem querimonias confirmaſſe, miratum, quòd turbari Prouincias ſineret Rex vnius hominis gratiâ, qui nec Belga eſſet, ideoque fortunas amoreſque extra Belgium haberet: nec Sacramento addictus Regi, ſed partim Cæſari, quippe imperatoria in Vrbe natus, partim Pontifici, à quo purpuram accepiſſet. Hæc vbi Armenterius expoſuerit Regi, ſimul addat, quæ ſigillatim reſponderit ad ea Gubernatrix: quemadmodum in eodem commentario præſcriptum habebat inter alia legationis capita. Poſtremò illud quoque ſuper eâdem re dicere non omittat, Affirmaſſe ſibi nuper Egmontium, ſuâ vnius operâ factum, vt ad eam diem viueret Granuellanus: ſed in poſterum remiſſurum ſe eam curam Gubernatrici, quam diſertè iam monuerat, in horas illum capite periclitari. Quam ob rem quum Rex probè intelligat, quos motus ſecum trahere plerunque ſoleant hæc quum flagitia perpetrantur; pro ſua ſapientia conſideret, quid de Cardinali Granuellano agendum ſit. Hiſce cum man- *& Granuellani periculum.*

13. Septemb. datis, poſt menſem itineri datum, in Hiſpaniam peruênit Armenterius: vtque Regem comperit perquàm auidum noſcendi rerum Belgicarum ſtatum, ita quum primùm admiſſus eſt, quatuor ipſas horas eum tenuit audientem ea, quæ ipſe percurrebat è ſcripto. Quo in congreſſu, vt in alijs non multo breuioribus, & Gubernatricis operam mirificè probauit Regi, & eius animum, propoſiti alioqui tenacem, de Cardinali retinendo ſæpe ſuſpendit, ac poſtremò etiam mutauit. Sed dum Rex deliberationem differt Tarraconenſibus comitijs, quæ tum agitabat, implicitus, ſuper *Auditur prolixè à Rege Armenterius: & Regis animũ ſuſpendit, ac denique mutat.*

inna-

innatam ſuſpicioſo Principi cunctationem: Belgarum Proceres; 1563
Proceres Belgæ ab Aula diſcedunt. perinde quaſi eorum poſtulata negligerentur, ineunte anno ab aula omnes diſceſſere, præter Egmontium: 1564.
qui Gubernatrici affirmauit, eos non antè redituros, quàm inde abiret Granuellanus, cum quo ne iiſdem quidem mœnibus circumſcribi vellent.

DE

DE BELLO BELGICO
LIBER QVARTVS

1564 Madrid. ANTE finem huius anni atrox incertusque rumor Mantuæ Carpetanorum subortus vlteriorem Hispaniam breuì peruasit vniuersam, Philippum Regem sclopeti ictu repentè necatum. Quam ille famam adeo non neglexit, vt homo cetera cunctabundus, priusquàm extra Hispaniam euulgaretur, oppresserit: geminatis terrâ marique in Belgium nuncijs, per quos scriptis manu sua litteris sororem admonuit de sermone à quopiam hæreticorum facilè composito ob occultum aliquod consilium, quod insidiosa hominum natio machinetur. Simul eidem præcipit, vt si quem eius rei aliunde rumusculum præsentiscat, datis illico per Belgium, inde in Galliam, Britanniamque, ac Germaniam litteris, errorem omnibus eximat: non solum quo Cæsarem patruum, & patruelem Romanorum Regem liberet ea sollicitudine; sed motibus etiam anteuertat, ad quos excitandos, huiusmodi sermones seu ficti, seu veri apud homines turbarum cupidos iuxtà valent. Sed Margarita certior facta, eam famam nusquam euulgatam, omisit de illa mentionem facere, ne opinionem insereret, dum conaretur euellere: præsertim quòd domi gliscebant acriores curæ, auersa Nobilitate: legebanturque affixi, aut traditi per manus famosi multorum libelli, quorum difficile remedium semper fuit, siue dissimules, eòque impunitate inuitaueris: siue punias, nec ideo aut memoriam factorum perdideris, aut similia dein ausuros absterrueris. Et Philippus Rex pronior ad seueritatem, iam tunc à Valencenæ tumultu, quum exerceri potissimum cœpit ea libertas, Margaritæ præceperat, eiusmodi probrosa carmina, turbarum plerunque initia, ne pateretur. At illa inquisitione reorum instituta, citò destitit: verita ne authores agnosceret, neue remedia (vt ad Regem scripsit) periculosiùs adhiberet. Sed hoc tempore ad huiusmodi probra, quæ in Religionem, ac Religionis Antistites, ac præcipuè in Granuellanum iactabanrur tanto confidentiùs, quanto Nobilitati gratiora credebantur; addita sunt ambigua Nobilium symbola, magna vtique conspirationis, vt multi rebantur,

Rumor de necato Philippo Rege.

quem ipse sollicitè supprimit.

4. Ian.

Famosi libelli per Belgium.

15. Iul. 1562.

10. Aug. 1562.

SYMBOLA conspirationis nobilium.

tur, argumenta. Rem vti Gubernatrix edocuit Regem, quàm pau- 1564
cissimis memorabo. 29. Mart.

INEVNTE Decembri mense superioris anni, excepti epulo Eg-
in conuiuio decreta montius, Bergensis, Montinius, alijque eius ordinis Proceres ab re-
gio ærarij Quæstore Gaspare Schetzio Grobendonchij Domino,
quum sermo incidisset inter pocula de moderando vestiario famulo-
rum sumptu (fortuitonè id factum, vti affirmat ex illorum dictis Mar-
garita, an meditati sermonem eò inclinauerint, ego quidem in medio
ex Germanorum more traducta; interim pono) laudare Germanorum consuetudinem cœpere, qui-
bus toto anno apparent famuli cum ijsdem coriaceis femoralibus,
ac lanea nigraque penula, seu pallio manicato: nec quidquam splen-
didi gestant, præter manicarum summa segmentis sericis (quæ alas
vocant) circum humeros variata: sumptu ad alendos equos, qui
bello sint vsui, multo sapientiùs traducto. Placet omnibus exem-
plum: statuuntque omittere in posterum sericatam ac sumptuosam
synthesim, omnemque illam famularem pompam versicoloris or-
natus: quin etiam sublata vestium colorumque varietate, quibus
singulorum Procerum familiæ, ac potissimum circumpedes interno-
scuntur, vnum assumere concoloris ornamenti, ac symboli genus,
quo pariter omnium famuli ac stipatores vtantur: sic enim futu-
rum, vt ea mutatio non alicuius auaritiæ præcipuè tribuatur, & si-
militudine vestium consensus appareat animorum. Ergo addubi-
sortitò commissa: tantibus, quinam eorum Insigne coloremque vestium, & tamquam
tesseram præscriberet; visum est sorti rem committere. iactis ita-
famulorum vestibus apposita. que talis, eam prouinciam suscipit Egmontius: amictum imperat
è panno laneo nigroque, atque ad pallij laxas promissasque mani-
cas addit supernè, quas dicebam, holosericas alas: in quibus symbo-
la cernantur, acu picta hominum capita, & versicolores cuculli,
quales apponi solent centonibus fatuorum, scurrarumque. Exem-
plar huiusmodi alarum, ne quid Regem lateret, ad eum Guberna-
trix postea submisit. Iamque phrygionum, sarcinatorumque offici- 29. Mart.
næ plenæ erant ijs vestibus, atque Insignibus, erecto ad noua hæc
vulgo, materiamque sermonis auidè arripiente, neque semper ab-
Eorū in vulgus interpretatio. errante. Namque alij cucullos ad Cardinalem transferebant, qui
more amplissimi ordinis, huiusmodi amiculum capitis gestabat in
humeros reiectum: capita verò dictitabant eiusdem Cardinalis esse
atque ipsius assectarum, inter quos Ducem Areschotum, Comitem
Barlamontium, Præsidemque Viglium numerabant: conficiebant-
que, per eas ambages significare Nobiles Belgas, Non se insana ca-
pita, (vti illos interdum Granuellanus appellauit) sed ipsum Gran-
uellanum, sociosque eo nomine digito monstrandos esse. Alij po-
tiùs opinabantur, ijs capitibus, fatuorumque cucullis, se tantummo-
do Pro-

1564 do Proceres indicare: quasi illud acciperent insani cognomentum: sed intelligeret interea Cardinalis, quàm concors ea esset insania: timeretque proinde, ne ex illo numero Brutus existeret. At Margarita licet id aliquanto mitiùs interpretaretur, tamen verita, ne populus, quem super ea nouitate ancipitem digladiantemque videbat, studio partium foueret augeretque turbas; acriter egit cum Egmontio, alijsque Nobilium, ab incœpto desisterent, omitterentque noua illa factionum irritamenta. Sed quoniam & penularum plurimæ, & supra duo alarum millia perfecta iam erant; satis habuit Gubernatrix, si capita, cucullique (præcipua offensionis materies) tollerentur è manicis. Quibus non nisi ægrè sublatis, aliud eorum loco symbolum, colligatum sagittarum fasciculum, designauit Egmontius: quòd diceret, eam Castellæ regni Notam esse, (quamquam non regni, sed Reginæ Isabellæ catholicæ Insigne fuit; ac postea à fœderatis separatisque à Rege prouincijs Belgarum assumptum est) affirmaretque, à se substitui argumentum illud ad Collegarum concordiam in Regis obsequio contestandam. Non ideo tamen ea res caruit obtrectatione multorum, qui conspirationem non iam cucullis, sed iaculis, & quidem in fascem implexis, eòque non perinde infringendis expositam, haud dubiè funestam Granuellano canebant. Neque his Gubernatrix intentiùs obstabat, sperans EX CONTEMPTV remedium: ac sæpius experta, nonnullorum contumaces animos, & plura, si inhibeantur, ausuros, laxamento aliquo meliùs curari. Ex quo factum, vt mos ille famularium vestimentorum, quæ bis in anno sortiti quoque Nobiles præscribebant, diu pòst tenuerit: donec Philippi Regis mandato, nouisque rebus intercedentibus desitum est.

Demit ex eis aliquid Gubernatrix.

Cuius loco aliud Nobiles supplēt:

Vti Rex Egmontio respondit.

Orangius in Apol. 1581.

non sine plurium offensione.

Rex, & occasio finē eis imponūt.

20. die FEBRVARIO tandem mense ab Hispania reuersus Armenterius Belgicæ aulæ statum immutauit. Etenim inter multa Principis iussa, quæ inde attulit, prima fuit euocatio Granuellani Cardinalis è Belgio: in quam consensit ad extremum Rex, vt hanc quoque Belgis occasionem subtraheret querelarum atque dissidij. Rex enim sicut ex aulicis habuit neminem, à quo regeretur, neque cuiusquam gratiam super authoritatem suam esse vnquam voluit; ita extulit quidem aliquos ac fouit, sed sibi regnisque perutiles expertus: inter quos meritò Granuellanus fuit. Tamen quòd sciret in hisce potissimum regionibus diu non ferri potentiam externorum: eratque in oculis Gallicæ exemplum aulæ; occupandum putauit integra authoritate, quod fortassis indecorè necessitas expressisset: dandumque Belgarum petitioni, quod Prouinciarum securitati dabat. Accedebat mutata seu voluntas, seu consilium Margaritæ, quæ sperabat, illâ publici odij victimâ se multorum gratiæ Procerum litaturam. Et Granuellanus iam præsenserat, reuersoque Armenterio

EVOCATIO Granuellani Card. è Belgio.

Rege cur in eam consentiente:

& Gubernatrice optante.

Granuellanus rē præsensit ex mutato aulæ vultu.

ſtatim obſeruauit aulicorum ora (quæ maximè ſeruire ſolent) non perinde blandientia, rariorem circa ſe comitatum, infrequens limen: amicorum multis inde fugientibus, vbi probari debuerant. 1564

Non deijcitur animo.

Nec tamen is acceptis ea de re litteris à Rege, quidquam obſtitit: quin paratum ſe ſe ad parendum, quòcumque locorum admoueretur, peralacriter oſtendit. Auditusque per eos dies, quum apud amicos quaſi tædio curarum nauſeabundus, de otio, deque auocamen-

Miſſionem cupere videtur.

to à negotijs aliquo philoſopharetur. *Satis ſe aliena curaſſe. Optandum homini laboribus fracto requietem: nec reſpuendam obſeſſo adeuntium multitudine libertatem. præſertim experto, ASSECTANTIVM turbam concurrere, ſicut ad lacum ſolet, quem exhauriunt, & turbant. Aulæ potentiam plus in fronte habere quàm in receſſu. Et HVMANA omnia reperiri plerunque minora dum poſsidentur, quàm dum optata finguntur.* Crederes, hæc illum diſſerere firmato videlicet animo aduersùs pericula ex longo metu periclitandi. Ni potius non conſtantia illa, ſed cura fuit, mærorem adumbratâ lætitiâ conuelandi, quo æmulorum ſaltem oculos cupito illo mærentis aſpectu fraudaret.

Acciri ſe tamen optat in Hiſpaniam.

Certè paucis antè menſibus (quod exitum præuideret prorſus indeclinabilem) per litteras egerat cum Duce Albano vetere amico; petieratque, vt ſi fortè Belgio cedendum eſſet, à Rege in Hiſpaniam

Ambigente primùm Albano Duce:

acciretur. Sed Albanus aliquandiu dubitauit, aduocaret ne in Regiam hominem non incallidum artium aulicarum, & gratiâ fortaſſe præiturum: (quippe NVLLA virtus in aula minus euehitur, quàm quæ maximè timetur) an potius amici acceſſione augeret partes ſuas, ac ſaltem homine Belgis infenſo vteretur (quod Armenterius Gubernatrici ſcripſit ab Hiſpania) ad eos, quos in illis prouincijs Octobr. 1563.

Poſtea amicum adiuuante apud Regem.

ipſe quoque oderat, vlciſcendos. Præpotuit tamen apud Albanum poſterior hæc ratio: vicitque metum ira, nempe acrius tormentum concitandis eorum animis aulicorum, quos longa apud Principem felicitas quantum ſecuros gratiæ, tantum intolerantes iniuriæ facit.

fruſtra:

At Regem fruſtra rogauit Albanus pro Granuellano Cardinali in Hiſpaniam euocando. Rex enim, cui paulo antè perſuaſerat Armenterius, in rem non fore præſentiam eius in aula, cuius odium comprehenſurum corrupturumque eſſet mandata Principis, quæ ſubinde mitterentur in Belgium, quaſi ex conſilio Cardinalis illa

...nam in Burgundiâ deſtinatur.

prouenirent; maluit in Burgundiam, haud procul ab ijs prouincijs, concederet: vnde ſperaret aliquando, eum Belgio reſtituere. Et ille tanto promùs ad id animum appulit, quanto tunc quidem honeſtior ſe ſe ſpecies offerebat Veſontionem in patriam abeundi ad Granuellanam parentem ætate morboque grauem inuiſendam, vnà cum Cantoneto fratre, qui Gallica legatione functus, ob eamdem *Thomas Perenot. Cantoneti Dom.*
cauſam in Burgundiam cogitabat. Ergo non vulgato antè diſceſſu,

quàm

1564 quàm Cantonetus Bruxellas veniret: nempe vt ſponte ſua, initoque
cum fratre conſilio abire in patriam, non Regis Imperio è Belgio
10. Mart. exire videretur, ſexto Idus Martias in Burgundiam, ſparſâ in plu- *Ac tandem abit ſparſa reuerſionis fama.*
res famâ, quaſi inde breuì rediturus, abſcedit. Simul Belgarum
9. Mart. Dynaſtæ acceptis per eos dies à Philippo Rege litteris, iuſſique in
ſenatum redire, ac pluris authoritatem Principis, quàm odia cu-
iuſquam facere; in aulam ſenatumque reuertuntur, magna ferè
omnium ordinum gratulatione plauſuque: niſi quòd imminuit non- *Id lætitiã multorũ imminuit,*
nihil eam multorum lætitiam relicta de reditu Cardinalis opinio.
quam & ſi plures inanem credebant, compoſitamque ab homine,
vt aiebant, ſuperbè miſero, atque indomabili, quique etiam in fu-
ga minaretur; ſecùs tamen ſuſpicabantur alij, ac Margarita in pri- *& Gubernatricẽ angit.*
mis, non ignara quàm ægrè repugnanterque deſcendiſſet ad Gran-
uellani abitum Rex. Cui propterea per litteras aperit, detectam ſi-
29. Mart. bi ab Egmontio, ſed occultatis authoribus, conſpirationem aduersùs *Quæ Regem ad auertẽdum reditum exorat:*
Granuellanum: vt ſi is pedem referat in Belgium, ne diem quidem
victurus ſit. Quin etiam Villettam quemdam Granuellani popu- *propoſito hominis periculo.*
larem flagitio deſtinatum memorant ſcriptores Belgæ ex incertis
hominum rumoribus. Et ego id obiectum Egmontio, atque Hor-
nano tamquam Villettæ conſcijs, legi in quæſtionibus de vtroque
habitis, anno ſexageſimo octauo. Præterea inter arcana, quæ matro-
na non ignobilis e finitimis prouincijs per id tempus in Belgium ſub-
miſit, hoc quoque reperi de nece Cardinalis agitatum. Niſi fortè hæc
omnia ad deterrendam Gubernatricem componebantur.

PROFECTO in Burgundiam Granuellano, alia tum viſa vrbis at- *OB DISCESSVM Granuellani lætitia tũ populi,*
que aulæ facies. Populus, qui tamquam ſolatium anguſtioris fortu-
næ ſuæ, ſpectare auidè ſolet potentiorum caſum, eorum præſertim,
quos in Aula participes arcanorum nouit, eòque illis imputat aſpe-
riora quæque Principis imperia; palàm exultare geſtireque, graui
ſe cenſore liberatum. Sed maximè Primores Belgæ, obuio vti fit *tum Nobilium.*
aulicorum obſequio; eiectum aliquando æmulum gratulari: glo-
riari in libertatem ab ſe vindicatam denique Gubernatricem: ſatis
eam ſub moderatore fuiſſe, ſatis ſe paſſos eſſe noui hominis inſolen-
tiam, qui tamdiu de ſubacto Belgio in Purpura triumphauerit. Ex-
inde Margaritam multo quàm antè officioſius obſeruare, frequen-
tes in ſenatu adeſſe, publica impenſius curare. Margarita ea op- *Quorum alacritas vſui eſt Gubernatrici.*
portunitate vtendum rata, multa ſimul vrgere, ac potiſſimum de
nouennij ſubſidio in triennium prorogando, quod fruſtra ſæpe ten-
tauerat, agitare: Et pleraque procedebant: quum & crebris Car- *Sed opinio reditus Granuellani interturbat.*
dinalis in Belgium litteris, queîs reditum pollicebatur, & valida
Cardinalitiorum factione, (ſic enim Crojum Areſchoti Ducem, &
Comitem Barlamontium, & Præſidem Viglium præcipuè nomi-

N 2 nabant)

nabant) suspiciones in multorum animis renouatæ, ac plurimum 1564
de suscepta iam alacritate remissum. Nam ex vna parte plerique Nobilium vereri sese dictitabant (nisi potius huiusmodi causam occultis consilijs prætexebant) ne, si difficultatibus explicatis ad exitum res ipsi disponerent; interueniens improuisò Granuellanus in successu sese intrepidè misceret. Ex altera parte Cardinalitij hæc ipsa segniùs curabant, vel Margaritæ nonnihil offensi, vel vt absentiam Cardinalis ostentarent, simulque desiderium hominis elicerent. Sed Gubernatrix obstabat, iteratis ad Regem litteris, vitâque Granuellani (credo, vt in illius discessum meritò consensisse videretur) non parcè perstrictâ. Quod fuit causæ, cur à Magistratu in Burgundiam extra ordinem misso, qui Regis nomine de ærarij administratione cognosceret; obliquè in Granuellani facta inquisitum sit. Qua de re certiorem dein Regem factum orat Gubernatrix, vt quoniam multa adhuc agere Granuellanum à Burgundia in propinquum Belgium Nobiles suspicentur: ac dictitent, illius personam abijsse, mentem animumque negotijs interesse, & tamquam vmbram Belgio volitare; liberet eo qualicumque metu prouincias, hominemque Romam, quam ille sibi sedem olim destinauit, abducat. id, quod Granuellani sponte, non iussu Regis postea factum est. 29. Nou.

Ad eam penitus tollendam agit cũ Rege Gubernatrix:

vt hominẽ à Burgundia Romam transferat.

NAMQVE Decembri mense insequentis anni, mortuo Pontifice 1565.
Pio Quarto, ad comitia Romam profectus Granuellanus (iuuat enim de eo quæ secuta sunt, & postrema cognoscere) rursum à Philippo Rege, in cuius gratia speciem non vim amiserat, ad intimaque regni negotia Romæ obeunda, maiori quàm antè beneuolentiæ significatione admouetur. Patuitque, quid intersit inter eos, qui in Principis gratiam incidunt, & qui eam promerentur; siquidem illi semel depositi, perpetuò iacent: hos absentia Principi commendat, necessitas muneribus restituit. Et obuênit apprime tempus homini curarum auido peropportunum: quum de fœdere agitabatur inter Christianos Principes toties incœpto, toties omisso. In quo ipse, vt erat ad subitaria consilia instructo semper animo & commutabili, acceptis à Rege amplissimis mandatis, vt vnà cum Francisco Cardinali Pacceco, ac Ioanne Zuniga legato, quibus videretur conditionibus, fœdus cum Pio Quinto Pontifice, Venetaque Rep. iungeret; sublatis, quæ renascebantur quotidie, controuersijs, impigram ac fidelem erga Hispanum operam nauauit. Inde Regno Neapolitano pro Rege impositus, Ioanni Austriaco 1571.
vexillum sceptrumque, insignia militaris imperij, missa à Pio Pontifice tradidit. Quo Pontifice vitâ functo, Romam ad comitia profectus, opportunitate consiliorum, præter potentiam Hispanarum 1572.

RELIQVVM vita Granuellani.

Romam ad comitia proficiscitur.

In sacrũ Principum Christianorum fœdus incũbit.

Prorex Neap. creatus vexillũ tradit Io: Austr.

1564 rum partium, quas ducebat, author in primis fuit, vt Gregorius Tertius decimus, magno vtique Christianæ rei bono, Pontifex crearetur. Cuius tamen Pontificis animum grauiter offendit, dum reuersus Neapolim, in eius administratione prouinciæ ferri se passus est impotentius aliquanto aduersùs Ecclesiæ iura: contrà quàm de Purpurato Ecclesiæ Antistite Romæ sperabatur: at non contra id, quod fieri à Sacris Infulatisque hominibus non raro videmus, quos longè intentiùs, quàm plerosque Principum administros, propugnare politicas Dominantium causas obseruatum est. siue illos declinandæ suspicionis cura flectat in contrariam partem: siue intima rerum, quæ oppugnari possint, conscientia & æmulatio incitet, nec retardet sacri Ordinis veneratio, quæ erga habita & familiaria plerumque est minor. Extraxerant lictores Granuellani Proregis è custodia Neapolitani Archiepiscopi Marij Carafæ, facinorosum hominem, cuius actionem sui esse fori Granuellanus affirmabat. Quumque ob id ab Antistite Mario Sacris interdictum esset regijs ministris; offensus implacabiliter Granuellanus, iussis in carcerem conijci Archiepiscopi famulis, Præsuli ipsi sacros reditus intersistit. nequidquam obnitente, indignationemque Pontificis interminante Antonio Saulio Pontificis Nuncio. A quo admonitus statim Gregorius, iratusque præter modum, præsertim quòd eodem tempore, quo hæc Neapoli agitabantur à Cardinali Granuellano; Castellæ ab eius consilij Præside Didaco Couaruuia Segouiensi Episcopo similia attentabantur; Saulio mandat, Cardinalem Proregem adeat, ac præcisè denunciet, Nisi quæ in Archiepiscopum, inque familiam eius egit, intra definitos dies corrigat, atque acta rescindat; se, pro tradita sibi à Pontifice potestate, illum Purpuratorum senatu protinus emoturum. Quibus à Saulio (licet ei mitiora mandata suaderent aliqui, veriti credo Proregis iracundiam) vti iniunctum erat, intrepidè peractis, enimuerò exterritus improuisâ denunciatione Granuellanus, eductis tandem vinctis, atque Antistiti quæ debuerat, restitutis: immo reorum vno ex sua in Archiepiscopi custodiam tradito, in eius videlicet noxij locum, qui controuersiæ occasio, properato iam suspendio, pœnas dederat; Pontificia exinde iura maiori vtique studio, ac reuerentia complexus est. Adeo MINÆ si cum vnoquoque adæquentur, vnumquemque demum terrent. Porrò Prouinciam quadriennio quum rexisset, magna quidem prudentiæ laude, minore tamen pudicitiæ cura, quàm senem
1575. sacrâque ornatum Purpurâ condecebat; Romam redijt, placato vtcunque Pontifice. Vnde post annos tres euocatus à Rege in Hispaniam (agebat tunc ætatis annum sexagesimum secundum) consilio rerum Italicarum summa cum authoritate præficitur: aliquibus

In comitijs pro creando Gregorio XIII. laborat.

mox illũ offendit.

ob violatum Ecclesiæ ius,

in controuersia cum Archiepiscopo.

Quod ius Pontifex per Nunciũ suum tuetur.

Et ipse Prorex demum paret.

Consilio rerum Italicarum præficitur in Hispania.

quibus Regni primoribus haud ſanè gratus, quorum in rebus agen- 1564
libertas eius in Proceres. dis iudicia plerunque inania & minora, ipſe vetere ſolidâque mul-
torum experientiâ prægrauabat, atque indignabundus etiam per-
Et in ipsũ Regẽ. ſtringebat. Quin etiam Regem ipſum offendiſſe compertum ha-
beo: dum apud eum Caroli Imperatoris facinora immodicè præ-
dicando, quidue ille in re conſimili egerat, identidem admonen-
do; exigere præſentia videbatur ad ſuperiorum normam, odioſa
Dominantibus libertate, quæque vel primarios olim viros Philippi
Macedonis facta apud Alexandrum filium extollentes afflixit. Sed Q. Curt. l. 8
hominem non latebat, agere ſe apud Principem meritis pridem
captum: cuius gratiam expertus erat aduerſum ſe ceſſare veriùs,
Hiſpaniã moderatur abſente Rege. quàm deeſſe. Habuitque eius rei hoc etiam argumentum: quòd 1580.
proficiſcens ad capeſſendum Luſitanum Regnum Philippus, mo-
derandæ curam Hiſpaniæ Granuellano commiſit. Rediensque è
Honor ei à redeunte Rege habitus. Luſitania, dum Mantuam Carpetanorum ingenti omnium ordi- Madrid.
num frequentia plauſuque intrauit, in eo tamquam triumpho, 1583.
vnum hunc Purpuratum ſenem ſiniſtro lateri adequitantem ha-
buit. Denique tribus poſt hæc annis reuerſus Cæſaraugustâ Granuel-
lanus, qua in vrbe Catharinam Philippi Regis filiam cum Carolo
mors eius. Emmanuele Sabaudiæ Duce matrimonio iunxerat; Mantuæ ſeptua- Madrid.
genarius fato conceſſit, ipſo die, quo ante annos duodetriginta 1586.
Carolus Quintus Imperator obierat: corpore pòſt aliquanto Veſon-
& præcipua laus. tionem translato, ac iuxta Patris oſſa conſepulto. Vir eo maximè
nomine familiaribus & continuis Principum obſeruandus, quòd
abſque adulationis tormento, quadraginta circiter annos incorru-
pta fide arcem obtinuerit principalis aulæ: ex eaque ſemel eiectus, ab
eo caſu, tamquam à quiete repetito ad fauorem curſu, longiùs quàm
antè proceſſerit. quippe nactus Principem, apud quem libertatem, &
gratiam, rara felicitate, ad extremum vſque tenere licuerit. Sed hæc
multo pòſt euenere.

Religio à Gubernatrice procurata. INTEREA Belgij Gubernatrix ad ſtabiliendam Religionem, cu-
ius inclinatio multis locis audiebatur, animum ac vires intendit. Nam
commendata ei à Rege. Rex eam in primis curam per Armenterium imperauerat, alijſque
ſubinde, atque alijs litteris idem vrgebat. Et ſanè non id à Philip-
ſeriò. po Rege in ſpeciem curari, oſtendebant litteræ (quæ apud me ſu-
pra centenas) eiuſdem manu, aut arbitrarijs notis exaratæ ad Mar-
garitam: in quibus nihil ille famæ opinionique dare, ſicut in ijs,
quæ in ſenatu Belgico legebantur; ſed abſque fuco neceſſitates, me-
tuſque, & occulta quæque ſorori aperire conſueuit. Atqui in hiſce
arcanis litteris ita Religionem ſedulò committit commendatque,
et eum cura aduersus hæreticos pene incredibili. vt eius curam eſſe primam ſummamque, ac cetera poſt illam ha-
beri velit: eò progreſſus, vt ſæpenumero Gubernatricem doceret
ratio-

1584 rationem hæreticos intercipiendi: eorum tamquam vestigia & cubilia ipsa mostraret; etiam indices eorumdem contexeret (quos habeo regijs litteris inclusos) eâ diligentiâ confectos, ita cuiusque conditione, viciniâ, ætate, staturâ ad vnguem explicatis; vt mirum profectò sit, Principem in tam multas distractum diuersumque Regnorum curas, huic rei quasi per otium vacasse: inquirendisque hominibus plerunque obscuris, sollicitudine etiam in priuato ciue admiranda, cogitationem manumque flexisse. Quo etiam fiebat, vt quoties de catholicis, qui è Britannia quotidie profugiebant in Belgium, Margarita referret ad Regem; is celeritate homini insolita, præter eos reditus, quos alendis eiusdem insulæ sacerdotibus, Religionis causâ apud Belgas exulantibus attribuerat; diuidi in alios sæpe duo aureorum millia, interdum plura, aliquando pauciora, numquam non aliquid imperaret. Qua liberalitate Principis inuitante, aliqua dein collegia eiusdem nationis in Belgio, Hispaniaque, magno vtique catholicorum bono institui cœpta sunt. Igitur Gubernatrix & sua sponte, & Regis imperio ad tuendam Religionem versa, præsertim quòd nobilitatem ob recens beneficium addictam haberet; scriptis ea super re litteris ad vrbium Episcopos, ac Præfectos, multorum studia mirificè commouit. *nec minima cum liberalitate in Anglos exules.*

IAMQVE hæretici trahebantur ad ergastula, plectebanturque, territis ex eo non paucis, ijsque, qui supplicio afficiebantur, non raro Ecclesiæ restitutis. Et Rupelmundæ quidem sacerdos hæresi imbutus, quum sibi nullum ex arce, qua attinebatur, effugium pateret; facinus sanè desperatissimum aggressus est. Ignem admouere statuit proximo conclaui, vbi commentaria seruabantur, & monumenta prouinciæ: ratus, se in ea trepidatione, sollicitis circa publica militibus, elapsurum. Communicato consilio cum ijs, qui vnà custodiebantur (hi nouem erant) ignem subiecit, ardebatque iam arx, quum subito militum accursu extinctâ flammâ, ipse retractus à fuga, simul cum incendiarijs socijs, sed ijs non paulo felicior, pœnas dedit. Namque hæresim palàm execratus in magna, quæ se ad spectaculum effuderat, multitudine: ac malè Caluino, malè malis omnibus hæresum figulis semel atque iterum precatus; populum admonuit, vt ab ea nouarum opinionum scabie, quam fatigando corrumpendoque humano generi tartareus hostis immiserat, præcauerent. Ita catholicè mori se contestatus, securi percussus est. Quorum nihil omisit, ad Regem scriptâ tunc epistolâ Gubernatrix, haud dubiè gratificatura Principi talium per quàm auido. Verùm Antuerpiæ paulo tumultuosiùs transacta res est. Ducebatur Gregorius Fabricius, qui desertâ Carmelitanâ familiâ, ductaque vxore apud Britannos, hæresi corruperat aliquos ex Antuerpiana plebe.

HAERETICI plectuntur, euentu vario.

Audax hæretici Sacerdotis facinus:

Sed ei ad extremum salutare.

13. Aug.

ex eiusdem litteris, 8. Octobris.

Fabricij Apostatæ supplicium.

Iam-

lamque eum lictor admouebat infelicibus lignis comburendum; quum repentè, dum facem subijcit, iaci hinc atque hinc lapides, (incertum, quorum manibus) incipiunt. lictor prouisu periculi si cunctaretur, simul ne sontem plebi relinqueret, prompto celeriter ferro, semiustulatum occupat, conficitque: inde saltu militibus immistus, præsenti exitio se abducit. Elusi eo facinore, qui tumultum incœperant, destitêre tunc quidem, siue impares armatorum globo qui aderat, siue frustra minaturi, extincto iam reo. Postero tamen die, eorum aliqui mulierem nacti, quæ Fabricium indicasse prima ferebatur; infensi circumstant, ac super contumelias saxa ingerunt: necassentque, ni properè declinantem vicinæ domus latebra texisset. Eodemque die affixum in foro carmen perlectum est sanguine conscriptum in hanc sententiam: *Esse Antuerpiæ, qui Fabricij necem propediem sese vlturos coniurauerint*. Quæ quum Rex postea resciuit, (dubium, an supra verum modumque aucta) sororem peracriter admonuit, ne ea flagitia diù carere pœnâ pateretur. Sed illa, vno ex ijs, qui lapides iactauerant suspenso, nam reliqui, vt erant infimæ sortis, facilè aut fugam arripuerant, aut in ipsa vrbe obscuritate tegebantur; terrore potiùs, quàm supplicijs ciuitatem in præsentia composuerat. At Brugis multo adhuc contumaciùs per eos dies à Senatorio ordine peccatum est, si vera ad Regem scripsit, qui pleraque Brugis clanculum obseruabat, atque in Hispaniam transmittebat, Hispanus monachus. Quum enim caussarum Fidei Quæsitor per Procuratorem suum (nam Prætor vrbis veritus indignationem senatus, auxilium differebat) duci hæreticum in vincula à tribus satellitibus curasset; senatus illico rapi eos satellites iussit, occlusisque carcere ieiunium indixit aqua & pane tamdiu tollerandum, donec cum Gubernatrice transigeret. idque publicari in foro placuit voce præconis, emisso interim hæretico: graui vtique iniuria Religioni, Quæsitorique pariter imposita. Quam profectò iniuriam non satis demissè deprecati sunt Brugenses, qui Gubernatricem properè adiere, vltro etiam questi de tumultu, quem haud dubiè Quæsitor excitasset in ciuitate non passura de priuilegijs suis aliquid carpi, nisi ipsi animaduersione fortasse acri sed salubri, popularium animos opportunè mitigassent. Qua in re quid egerit Gubernatrix, quidue Regi responderit, postquam ab eo Monachi accepit epistolam, compertum non habeo.

[Margin: 1564; *Lictoris animus in eo perimendo.*; *Inde excitata populi seditio;*; 25. Nouẽb.; *& composita.*; *Brugensium facinus in Quæsitorem Fidei.*; 10. Septẽb.; 25. Nou.]

DE TRIDENTINO Concilio.

OB eiusmodi credo facinora Gubernatrix agitare cœpit de ratione, qua Tridentini decreta Concilij aduersùm hæreticos paulo antè illata in Belgium, (quorum aliqua ambigua videbantur) obseruanda essent. Quum enim sæpenumero in eamdem sententiam Rex litteras daret, quibus de hæreticorum audacia, deque Præsulum indul-

[Margin: 1. Iul.; 6. Aug.]

gen-

1564 gentia querebatur: iubebatque propterea restitui Patris edictum,
quod translato ad Ecclesiasticos viros iudicio abolitum erat; Margarita & si peropportunum id fore respondit, quum nouorum Iudi-
29. Aug. cum, Quæsitorumque complures eam potestatem tàm auidè haberent, quàm timidè administrarent; negauit tamen vsurpari edictum posse, si ratio esset habenda Concilij, cuius authoritate ad Ecclesiasticum tribunal huiusmodi causarum cognitio transferebatur.
1564. Accessit, quòd quum Pius Pontifex hoc anno sexagesimo quarto, cuius magnam partem proponendis vsurpandisque Concilij decretis attribuerat, eorum vsum ac patrocinium Christianis Principibus impensè commendaret; visum est Hispaniarum Regi, in ea re ceteris præire: non solum ob insitam homini pietatem, sed etiam *Pij IV. Pont. sollicitudo in eo promulgando. Et Philippi Regis in suscipiendo.*
1536. Paulo III. Pont. quia Concilium à Carolo parente, dum Romæ substiterat, impetratum, hereditario nimirum studio sibi suscipiendum putauit. Dum verò in Hispania primùm incumbit in eam curam, dein in Belgium ad sororem de illius vsurpatione scribit; Romæ interuênit aliquid, ex quo abalienandus à Pontifice animus Regis, eòque Concilij cura in Hispania, Belgioque protinus intermittenda credebatur. *DISSIDIVM inter Pontificem Regemque*

ETENIM excitatâ in Tridentino Concilio controuersiâ de honorificentiore loco inter Oratores Galli, Hispanique Regum: quòd hic superiorem illum pati nollet, ille hunc neque parem: tunc quidem composita vtcumque fuerat, Hispano seorsim ab alijs Oratoribus honestè collocato. Sed dimisso Concilio, controuersiæ definitionem Romæ vrgente Ludouico Requesenio Philippi Regis Oratore, Pius Pontifex in odiosa explicatione tergiuersari primùm, dein Requesenium monere, vt ab ea contentione desisteret: ad extremum vtrique occultè suadere, vt ad sacrum Cardinalium Collegium causam integram remitterent: interea à publicis in Pontificio sacello cærimonijs abstinerent. ratus ea ratione ob diuersa Cardinalium studia producendum infinitè iudicium, se certè à ferendæ sententiæ necessitate, atque adeo ab inuidia subtrahendum. Nempe imitandum Principi Iouem facetè dicebat: qui (vt est vetus Etruscorum disciplinæ commentum) ex duplici fulminum genere, prosperum ipse per se, at infaustum adhibito Deorum consilio contorquere solitus sit. Verùm incitatos semel animos tamquam à cursu retinere difficile tunc erat: & vterque procrastinatione Pontificis offendebatur, Henricus Osellius in primis Caroli Regis Orator, qui ea ipsa ratione se quodammodo exæquari dolebat. præsertim quum timeret, ne sicuti per eos dies in aula Ferdinandi Cæsaris, eadem de loco digniore inter vtriusque Regis Oratores composita lis fuerat, vt alternâ vice apud Cæsarem præirent; (Gallo propterea ab aula digresso) idem fortasse, inualescente exemplo, Romæ

ob honorificentiorem locū Regijs Oratoribus attribuendum.

Tridenti lis primùm excitata, & composita:

Romæ restituitur.

Tergiuersatur in eius definitione Pontifex.

transferre illam cupit ad Cardinales.

Onuph. Panu. in Pio IV. Adriā. l. 18 hist. Thuan. lib. 35. hist.

O statue-

ipse tandem explicat.

Hispano legato indignante,

ac Romam discedente.

Suspensi ob hac multi:

maxime Belgij Gubernatrice;

statueretur. Quamobrem Pius, nequidquam Pontificijs cærimonijs aliquoties intermissis, sacro demum die Pentecostes, post Cæsaris Oratorem, Oratorem Gallum primum obtinere locum voluit, Ex quo incensus irâ Requesenius, post publicam iniuriæ testationem Philippi Regis nomine Pontifici factam, eiusdem Philippi iussu Romam deseruit. Id verò cùm multos expectatione suspensos habuit intentosque; quid exinde Philippus ageret in Concilij præsertim cura, quam tantopere Pontifex vrgebat; tùm præcipuè pupugit Austriacam Belgij Gubernatricem, quòd hæc prouinciam haberet, inter omnia Philippi Regna, hæreticis vndique irrumpentibus obnoxiam, ideoque Concilij sanctiones in ea promulgari vsurparique apprime Pontifex optaret. Itaque sollicita de Regis animo, quid ille præscriberet, expectabat: simulque timidiùs aliquanto in Religionis causa pœnas exigebat. Nec dubitabant aliqui, quin de Tridentino quidem Concilio actum iam esset in Belgio. lætis idcirco hæreticis, irridentibusque Pontificis Romani prudentiam, qui non sanè in tempore irritasset Hispanum: quo Concilium respuente, quæ demum regna superessent Tridentinis legibus obtemperatura? Quamquam alij ex eodem capite contraria ducebant, Pontificis æquitatem nulla spe metuque labefactatam prædicantes: neque de Regis pietate, & constantia dubitandum esse: non recessurum ob priuatam offensionem à Concilij tutela: quam si desereret, non defuturum profectò Gallum, qui eo statim nomine susciperet, quòd ab ea recessisset Hispanus. Quum ecce Philippi Regis perferuntur litteræ, quibus Gubernatricem admonebat de contentionis exitu longè alio, atque ipse deberi aiebat non minus æquitati causæ, quàm suo erga Pium Pontificem amori obseruantiæque: *Ideo reuocasse se ab vrbe, in qua apparere cum dignitate non liceret, Oratorem suum; siquidem nullum interea sibi futurum erat priuatum cum Pontifice negotium: eorum verò, quæ ad publicam Religionis procurationem, aut ad obsequium & obedientiam Pontifici, Sanctaque Romanæ Sedi præstandam pertinent, (à quibus ne latum quidem vnguem res eum vlla dimouerit) se curam demandasse Francisco Cardinali Paceco Hispaniarum apud Pontificem patrono: eum quo ipsa transigat in posterum ea, quæ spectare videbuntur ad sacrorum Antistitum designationem, aliaque firmamenta Religionis. in qua strenuè propugnanda, sicuti etiam in Tridentino Concilio Belgis accuratè proponendo exigendoque, nihil ab ea remitti, quadecumque causa par esse.* Et verò quo ad Concilij curam, perspecto Regis animo, nihil illa remissura erat; nisi in ipsa operis aggressione, & tamquam in limine offendisset. Exquisito enim & Pastorum animarum, & excellentium per Academias virorum super Concilij promulgatione iudicio, audi-

1564

lætis hæreticis, quasi iam actum de Conc. Tridentino in Belgio;

Sed falsò.

Litteræ Regis indignati aduersùs Pontificem;

6. Aug.

non tamen Concilij curâ emissuri.

Gubernatrix dubitat, an excipienda sint aliqua decreta in promulgatione Concilij.

1564 auditis præterea senatorum sententijs: ab his præcipuè reclamatum, suasumque, Ne concilij decreta, quoniam capita continerent aliqua aduersùm Regis iura, prouinciarumque priuilegia; sine eorum capitum exceptione proponerentur in Belgio. Quod isti tanto liberiùs contentiùsque declamabant, quanto gratiorem Regi fore credebant eam confidentiam, quæ libertatis specie, Principis demum commodis inseruiret, simul à culpa Principem absolueret. *Senatores aiunt.*

30. Septébr. Quod tamen Regi, ad quem omnia Margarita referebat, haud 23. Nouébr. probatum est: ideoque responsum, *Sibi non placere, in Concilio populis proponendo, quidquam excipi: ne & Romæ, vrbi sermonum auidæ, materies obtrectandi: & reliquis Christianis Principibus in Hispaniam intentis, occasio imitandi præberetur. Nam quod de Regio, ac prouinciali iure dicebatur, consideratum abunde fuisse, quum de Concilio eodem publicando quæsitum fuit in Hispania, in qua illæ planè difficultates existebant: quarum sicuti nulla tunc ratio habita est, sed Concilium sine vlla exceptione propositum, adhibita tamen perleui moderatione in eius vsu; ita velle in Belgio idem factitari: eòque mitti Hispanicæ promulgationis exemplum, vt parentes imperio suo populi ad vnam vbique normam pariter exigantur.* Hæc autem pro Regis præscripto Gubernatricem agitare nauiter incipientem, atque incœpta patrare per prouincias conantem quàm graues secuti sint populorum motus, in exitu sequentis anni, quum illi in multorum perniciem si- *Rex negat.* *Quod difficile Gubernatrici repertum est.*

1565 mul erupere, opportunè memorabo. Interim Margarita, gliscentibus in dies non minus ærarij, quàm Religionis vbique difficultatibus: quum nec satis præsidij haberet domi, nec à Rege per litteras quidquam exprimeret; optimum factu existimauit, celeberrimi viri legatione Principem adoriri. coniectisque oculis in Egmontium, quòd is præter claritudinem generis, rerumque Belgicarum vsum, magnis apud Regem testatisque meritis impetraturus omnia crederetur, initio anni sexagesimi quinti, consulto ante senatu, hominem in Hispaniam designauit. Et Egmontius prouinciam libentissimè suscepit, quoniam sperabat (vt ipse Gubernatri- *Legatur in Hispaniam Comes Egmontius*

15. Febr. ci aperuit, & hæc Regi) occasione publicæ legationis, de priuatis simul commodis se cum Principe transacturum. Magnis itaque mandatis, quæ Regi exponeret, instructus, summo omnium ordinum consensu ac spe, multisque Nobilium, officij causâ, deducentibus, iter ingressus est, eo ipso die, quo Franciscus Halleuinius Zeueghemi Dominus redijt è Germania, quò illum Margarita legauerat, vt Philippi Regis nomine, eius dolorem ob Ferdinandi Cæsaris, religiosissimi Principis mortem, Maximiliano filio, vxorique, ac reliquis per Germaniam Austriacis Regulis, officiosi solatij loco, testaretur. Id, quod beneuolè factum, acceptumque: eòque à *Legatio ad Maximil. Cæsarē ob mortem Ferdinandi Patris.*

 Maxi-

Maximiliano Cæsare opera est abunde promissa patrueli Regi. 1565

MAVRITIVS Orangio Principi nascitur.

HOC eodem tempore nascitur Orangio ex Anna Saxonica proles altera, inditumque ei ob Septemuirum Annæ parentem, Mauritio nomen. Atque hic ille Mauritius est à nobis sæpe, nec sine fortis & cauti Ducis laude memorandus: quem à coniuratis Prouincijs substitutum in patris interfecti locum, postquàm apud Batauos (qui finis esse plerumque solet diuturni regiminis) alio nomine dominationem propemodum exercuisset, duobus antè annis, dum hæc scriberem, conceptus ex Bredæ ineuitabili obsidione mæror extinxit. Hunc baptismo expiatum orthodoxorum ritu, scribit ad Regem Margarita: rem tamen omnium maximam vitiatam dolet, electis lustrico die susceptoribus infantis, Septemuiro Augusto Saxonum Duce, & Philippo Hassiæ Dynasta, lutherianis Principibus; quorum nomine duo viri nobiles, imbuti eâdem hæresi sponsores fuere. Nempe hîc quoque Orangius, qui numquam vnum hominem ageret, ab hæreticis iuxtà atque catholicis vsurpauit aliquid, quo se vtrisque venditaret, in ancipitem partium fortunam semper intentus.

Catholicè baptizatur, — *15. Feb.*

sed hæreticis susceptoribus. — *Lantgrauius.*

COLLOQVIVM Caroli Regis, ac Reginarum ad Baionam.

IISDEM litteris Margarita Regi significat multorum suspicionem sermonesque ob nuncium, quem ipsa cum senatu communicauit, de congressu colloquioque ad fines Aquitaniæ decreto inter Catharinam Mediceam Caroli Regis matrem, quæ cum illo Galliam obibat, & Isabellam filiam, Hispaniæ Reginam. Scripserat enim Philippus Rex ad sororem, iusseratque, doceret Proceres Belgas, nihil eo congressu aliud parari, quàm vt desiderio Caroli Regis, matrisque, finitima Hispaniæ lustrantium satisfieret. Idque etiam compositis aut ad suos per Europam Oratores, aut ad Principes ipsos litteris admonuerat: nullo in Italia, Hispaniaque Dynasta, aut Ministro regni prætermisso, quem eius colloquij causam, occasionemque sollicitè non docuerit. Nec ideo suspiciones Belgis exemit: quin potiùs ea sollicitudine auxit: tanto proniùs eorum multis, atque hæreticis inprimis, opinantibus, non id à Medicea curari caritate in filiam, sed magni alicuius consilij capessendi gratiâ aduersùs hæresum factiones, ac turbamenta regnorum: præsertim quòd ipse Philippus Rex interfuturus dicebatur. Et sanè rogatum ab Isabella vxore, vt præsentiâ suâ gaudium cumularet, haud alienum se ostendisse certum habeo ex eius litteris ad Gubernatricem. Et quamuis hæc dissuaderet iter: affirmaretque, infra Maiestatem eius videri, si se potestati Gallorum committeret eo tempore, quo partim ob Regis ætatem, partim ob feminæ Reginæ conditionem, magna esset populorum libertas erga Dominantes; respondet tamen, si doceatur ad Religionem pertinere, vt ipse intersit, decretum sibi iam tum esse, pro Dei causâ nullis se se molestijs, periculisue

Eius causâ Rex Hispaniæ reddit Belgij Proceribus, — *3. Febr.*

& reliquis per Europam Principibus.

Suspiciones tamē minime non adimit:

præsertim hæreticis:

& auxit opinio interfuturi Regis;

Cui Gubernatrix dissuadet huiusmodi iter. — *3. Febr.* — *3. Mart.*

sub-

1565 subtrahere. Tamen permissa Regina vxore, additoque ei comite, Ferdinando Toletano Albæ Duce, qui Torquem aurei Velleris, Philippi nomine Carolo deferret, ipse à congressu abstinuit: siue diuersis aliò curis, ob nuncium obsessæ à Turcis Melitæ, vt Margaritæ scripsit; siue EX LONGINQVO meliùs responsa daturus. Quam fuisse causam crediderim, cur vxori potestatem omnem ademerit quidquam deliberandi, se per litteras non antè consulto. Ceterùm in hoc colloquio litteris omnium, etiam poëtarum celebrato, quo ad Baionam Carolus Rex, ac Reginæ, summo apparatu conuenere, adnitentibus Gallis Hispanum fastum maiore fastu posthabere; quid demum actum sit, quanto secretiùs inter eos (Albano tantummodo præsente) agebatur, tanto confidentiùs aliqui scriptores tamquam vacuum locum, ingenio explendum occupant, ac mira imperij arcana inde deducunt. Ego coniecturis omissis, ex litteris manu Philippi Regis ad sororem super hoc colloquio scriptis comperta hæc habeo. Hispaniæ Reginam multis grauissimisque rationibus, haud dubiè à Philippo imperatis, laboranti per Galliam Religioni remedium à Fratre, à Parente, quorum præcipue intererat, efflagitasse: illosque quàm optimè animatos erga ea, quæ agitata sunt, consilia reperisse. præterea de connubijs nonnullis verba facienti Mediceæ Reginæ, consensumque, & operam filiæ perquirenti; ab ea, atque ab Duce Albano ambiguè responsum esse, quo integrum Philippo arbitrium reseruarent. postremò occasione legati eisdem diebus à Solymano missi, vt renouaret amicitiam cum Carolo; sermonem à Gallis illatum de ea amicitia renuncianda, fœdereque cum Philippo, ac Cæsare ineundo, aduersùs communem hostem. Sed neque hoc, quamquam gratum accideret, processisse: Hispaniæ Regina declinante omnia præter causam Religionis: quam quum iterum, Albano suggerente, commendasset, post mutuos amplexus atque oscula, vtrinque discessum esse: trepidis præter modum hæreticis, (quibus aliquid fortè suboluerat) ne ex eo Principum, ceu stellarum parum sibi beneficarum concursu, fœda aliqua procella suo capiti portenderetur. Et verò ingentem illam Hugonotorum cædem, septennio pôst actam Parisijs, in hoc decretam esse conuentu multi sentiunt. id quod mihi neque abnuere, neque affirmare promptum fuerit. potius inclinat animus, vt credam, & mutua Gallorum in Belgium, atque hinc in Galliam aduersùm Religionis Principumque rebelles auxilia, quæ sæpius submissa deinde vidimus: & Caroli Regis cum Elisabetha Maximiliani Imp. filia matrimonium quinto pôst anno celebratum, ab eo colloquio prouenisse. Nam Philippus illâ, quam dicebam, epistolâ innuit aliquid de huiusmodi subsidijs ad profligandam hæresim mutuò in-

poste-

Margin notes: 27. Sept. — *Cur nõ interfuit Rex Hisp.* — *Varia huius colloquij fama.* — *Quid in eo actũ sit.* — 25. Sept. — *Hæreticorum inde metus.* — *Thuanus lib. 36. hist. Ant. Herrera l. 12. c. 3. vitæ Philip. 2. & alij.* — *Et multorũ opinio de cæde Hugonotorum ibi decreta.*

posterum submittendis: apertè docet, matrimonium non planè reiectum fuisse ab Hispaniæ Regina sed relictas, vt ipse loquitur, patentes in aliud tempus consultationi fores, quandoquidem tenera eorum, de quibus agebatur, ætas (quippe Carolus annorum quindecim, vndecim Elisabetha tunc erant) moram adhuc nupturis otiumque permittebat. 1565

EGMONTIVS in Hispaniam venit.

SVB initium Martij mensis Mantuam Carpetanorum aduênit *Madrid.*
Egmontius, præter opinionem mandatumque Regis, qui differri eius *19. Febr.*
aduentum cupiebat. credo, quòd accepisset à Gubernatrice eum libenter iter in Hispaniam ingredi priuatæ vtilitatis spe. Excepit tamen illum perhumaniter, vti addecebat virum primarium, multarumque palmarum Ducem: audiuitque sæpius magna approbatione de publicis Belgij necessitatibus disserentem: immo ad priuata deinde commoda transeunti in omnibus ferè, quæ poposcit, indulsit. postremò responsa, quæ Gubernatrici referret, amplissimè litteris instruxit. *2. April.*

Responsa, & mandata Regis.

prius cum Theologis consultata.

Ea, certiùs vt destinaret, exploranda sibi duxerat, in ijs præsertim quæ ad Religionem pertinent, ex Theologorum, quos ob eam causam coëgerat, placitis monitisque. In quo doctorum hominum senatu admirationi fuisse pietatem Regis, vnum eorum, qui interfuere, memorantem audiui. Euocati enim ad se primores quique Diuinæ facultatis interpretes, consultique, quid de Religionis libertate, quam enixè postulauerant Belgarum ciuitatum aliquæ, ipsi sentirent. quum plerique, perspecto earum prouinciarum statu, affirmarent, auertendo grauiori malo, quod vtique timeretur ex ciuitatum defectione, iacturaque obedientiæ erga Principem, erga orthodoxam Ecclesiam; posse Maiestatem eius absque Dei offensa in libero rerum sacrarum cultu populis indulgere. negauit accitos à se illos fuisse, vt docerent, an permittere id posset: sed an sibi necessariò permittendum præscriberent. Illis necessitatem videri nullam asseuerantibus, tum Rex in eorum conspectu, humi positus ante Christi Domini simulacrum, *Ego verò*, inquit, *Diuinam Maiestatem tuam oro quæsoque, Rex omnium Deus, hanc vt mihi mentem perpetuam velis, ne illorum, qui te Dominum respuerint, vspiam esse me, aut dici Dominum acquiescam.* Atque in hanc sententiam firmatus, suum de Religione consilium aperuit, in ijs quas dicebam litteris, Egmontio Comiti tradendis. *(in hunc modum.)*

Rex de symbolis in Granuellanũ vsurpatis reprehendit Egmontium.

Cui antequàm illas traderet, hominemque dimitteret, non dissimulandum putauit, offensum se non parum fuisse nouissima Nobilium conspiratione, ac vestium symbolis in Cardinalem Granuellanum expositis: in eoque Egmontij in primis, qui author habebatur, si non fidem, prudentiam quidem certè desiderasse. At Egmontius omni asseueratione quum affirmasset, ludicram illam, ac planè puerilem fuisse super mensam hilaritatem: immo

Qui se purgat.

1565 mo insanorum, scurrarumque pileolos idcirco à se præscriptos, vt scurrile quid ac mera compotantium insania derediculo, non metui cuiquam foret; non omisit Cardinalem huius culpæ principem nominare, quippe cœtus amicorum quotidie cogentem contra Nobilitatem, eòque meritum, qui à Nobilitate paria experiretur. ceterùm in huiusmodi congressibus (idque iureiurando sæpius interposito testatus est) nihil se aduersùs sincerum Maiestatis eius obsequium meditatos. quin etiam, si in aliquo eorum contrariam Regi mentem deprehendisset, futurum se fuisse profectò primum, qui eum, vel si frater esset, stricto pugione confoderet. Hisce cum Egmontio Comite peractis (quorum singula priuatis litteris Gubernatricem Rex docuit) Comiti tradidit legationis suæ commentarium ita inscriptum. *Instructio earum rerum, quas tu, Princeps Gauræ, Comes Egmontij, patruelis meus, meique de imperij iure consilij, exponere nomine meo debes Duci Parmensi, sorori meæ.* At commentarij amplissimè instructi summa hæc fuit. Reuersus in Belgium Egmontius, post salutatam Regis nomine Gubernatricem, actasque gratias ob sollicitudinem in administranda prouincia, legandoque in Hispaniam viro Belgarum necessitatibus vnicè accommodato; hæc ei ab Rege respondeat. Principio se dolore incredibili perculsum, audito hæreticorum progressu: certumque ac fixum animo manere, idque testatum omnibus velle, Nullam suis in regnis mutationem Religionis se esse passurum, licet eà gratià sibi millies occumbendum foret. Proinde optare, vt Gubernatrix senatum extra ordinem cogat, in quem aliquot Episcopi, ac Rythouius in primis Iprensis Antistes, totidemque Theologi, atque ex consiliarijs ij, qui Religionis, quique patriæ amantiores sunt, aduocentur, specie quidem de Tridentino Concilio disserendi, re autem ipsa, vt rationem commostrent, qua populi in auita Religione strenuè contineri, qua pueri sincerè in scholis erudiri, qua in plectendis hæreticis alia iniri via sine offensione queat. non vt ob eorum supplicijs quidquam cessetur, (id enim sibi consilium non esse, neque existimare, gratum id futurum Deo, aut Religioni salutare) sed vt, in eos dum animaduertitur, spes omnis gloriolæ, pro qua se impiè deuouent, præcludatur. Præterea quod attinet ad Senatus ita ordinandos, vt is, in quo expenditur ius imperij, duobus reliquis imponatur, hoc est ijs, qui iuridicundo, quique publico ærario præsunt; nolle se quidquam certi antè statuere, quàm consilia rationesque Gubernatricis intelligat. Sic ille quidem in hisce litteris Egmontio traditis: at verò seorsim ad Margaritam scribens: negat placere sibi eam augeri senatus, (in quo præcipui Belgarum erant) authoritatem, quæ & potestati Gubernatricis officiat, & principibus viris

& culpam in Granuel. reijcit.

8. April.

Instructio à Rege tradita Egmontio.

Mi primo, honoraria appellatio ab Hispanis Regibus tribus solita Magnatibus.

De religione seruanda,

& de plectendis hæreticis.

& de senatibus ordinandis.

Consilium status.

8. April.

ærario auctis ad res nouas fortè moliendas (quod aliunde significa- 1565
& de pecunia quam mittit. tum erat) viam sternat. Ad hæc Gubernatrici testetur Egmontius, curæ sibi esse necessitates, quibus Belgium premi illa toties lamentatur: ideoque mittere partim in numerato, partim per syngrapham sexaginta nummûm aureorum millia in milites ordinarios, ducenta millia in præsidiarios diuidenda: pro administratione verò prouinciarum, Magistratuumque mercede, centum quinquaginta millia. Plura missurum fuisse pro muniendis vrbibus, proque dissoluendis nominibus, nisi aduersùs Turcarum classem multis in locis prouidendum esset. Huius tamen pecuniæ pars impetrari non potuit ab argentarijs, quòd in Hispania satisfactum non esset. Postremò commendata iudiciorum, ac tribunalium integri-
& de aduentu suo. tate, spem Gubernatrici, populisque Belgarum faciat, se ad audienda prouinciarum vota, ijsque præsentiâ suâ consulendum, profectionem adornare. Compositas in hanc ferme sententiam litteras
Alex. Farnesius à Rege traditur Egmontio in Belgium deducendus. quo die Rex Egmontio tradidit, accito Alexandro Octauij Farnesij, & Margaritæ Austriacæ Parmæ, ac Placentiæ Ducum filio, *Inter alia*, inquit, *quæ Gubernatrici perferes, hunc quoque adolescentem fidei tuæ committo. Tu illi præstabis operam, quam meretur sororis meæ, & Gubernatricis vestræ filius.* Egmontius osculatus hoc quoque nomine Regis manum, eo lætior abscessit, quo magis Margaritæ gaudium ob legationem prosperè obitam, accessione filij iam pridem
Gubernatricis gaudium eo viso. exoptati cumulaturus erat. Et profectò cumulauit: viso enim Alexandro tam bene habito, aspectu alacri viuidoque, temperato tamen ea grauitate, quæ decebat sub Philippo auunculo nutritum in regnatrice aula; gauisa præter modum mater, præsertim quòd vnà
et nuncio matrimonij accepto. cum filio, eiusdem etiam matrimonij tandem ab Rege decreti nuncium attulerat Egmontius; misso in Hispaniam domus suæ præfecto 30. Apr.
Theuloiæ Domino, egit quàm maximas Regi gratias ob collocatum in se, Octauiumque virum suum grande beneficium, tali vxore filio prouisa.

De CONIVGIO Alex. Farnesij. COEPTVM erat, quadriennio ante hoc tempus, agi cum Philippo Rege, de coniugio Alexandri. Et Octauij quidem Patris senten-
Dux Octauius inclinat in sororem Ferrariæ Ducis. tia primò inclinauerat in Alphonsi Ferrariæ Ducis sororem, parentibus Hercule Secundo genitam, & Renatâ Ludouici Duodecimi Gallorum Regis filiâ: quod existimaret, INGENS potentiæ firma-
Quâ ob causam. mentum, vicinorum Principum amicitiam. diceretque, (id, quod à Carolo Cæsare, opinor, inaudierat) Quemadmodum in terræ, ac maris orbem luna plus agit, quàm pleræque stellarum, non quia ijs potentior, sed quia vicinior; ita de finitimorum vi censendum esse. Differebatque, vti suspicor, in eam sententiam copiosiùs ob intentatam sibi per eos dies controuersiam à Pio Quarto, super Camer-

1565 mertium Principatu, quo Federicum Borromeum sororis filium, tradita ei vxore Virginia Ruuerea Varana, Pontifex augere decreuerat. Ideoque Octauius apud se reputans, si quam fortè armorum occasionem lis ea gigneret, quanti referret Ducis Ferrariæ necessitudo; eam nexu affinitatis adstringere opportunum ducebat. Nec dissentiebat ab eo consilio Margarita, ideoque & mariti nomine, & suo, super eo connubio scripserat ad Regem. Sed is, vel quòd illam affinitatem cum Duce Gallicarum partium non probaret: vel quòd aliam animo destinasset, iamque mouere aliquid cœpisset; Margaritæ respondit in hæc verba. *Dux Illustrissima: Iam pridem est, quum agere institui de tuo meoque Alexandro (nam habeo filij loco) cum Ferdinandi Imperatoris patrui nostri filia coniungendo; ratus id tibi, mea germana, id Octauio Duci perquàm gratum. Neque sententiam mutaui acceptis litteris tuis, aut audito Ardinghello de Ferrariensi matrimonio. Quam ipse designo, & Cæsaris proles, & nostri sanguinis est: Ferrariensis Ducis soror, ac Princeps Alexander ætate vsque adeo discrepant, vt malè conuenire possint. Laudo equidem Octauium Ducem, finitimorum amicitias in hisce affinitatibus sequentem; sed considerare quoque debet, quamdiu ille me fratrem ac patronum habuerit, neminem profectò ausurum ei quidquam negotij facessere. sicuti superioribus diebus obseruare potuit in ea rerum mutatione, qua Pius Pontifex ab incœpto destitit. Postquam enim Sanctitati eius significandum curaui consilium, obligationemque, qua domui Ducis prospicere partes meæ sunt, eruntque semper; respondit, se non modo molestiæ nihil allaturum Duci, sed eius familiam non minore quàm ipse contenderem, patrocinio complexurum. Id autem, quamuis Duci per Ardinghellum renunciari iusserim, communicare tamen tecum ipse fraternè volui, satis vt facerem germanitati nostræ, teque simul rogarem, vt sententiam hanc meam tuis quoque litteris Viro significes, atque ad me quamprimùm, quid vterque decreueritis, referatis.* Verùm dum vterque in hisce affinitatibus optandis hærent; quòd splendidiorem ducerent alteram, alteram opportuniorem; Rex nouo consilio ad Mariam Lusitanam, Eduardi Principis & Isabellæ Brigantiæ filiam, Regisque Emmanuelis neptem animum adiecit: exploratoque per litteras animo Margaritæ, Octauijque; coniugium simul ab Rege propositum, simul ab omnibus probatum est. Etenim Lusitanorum nomen ea tempestate inclytum erat, magna terrarum orbis parte illorum armis iuxtà pijs, ac fortibus patefacta. Et Philippus Rex non modo trahebat inde maternum genus, quippe Isabellæ filius, atque adeo Emmanuelis nepos; sed inde quoque ante annos ferme viginti coniugem duxerat Mariam Ioannis Tertij filiam, Emmanuelis nepotem. Quamobrem Farnesiæ genti perhonorificum videri potuit, alteram Emmanuelis

Idem sentit Gubernatrix.

6. Octobris 1560.

Rex dissentit:

atque aliam designat.

9. Decembris 1560.

Epistola Regis

Rex nouo consilio Mariam Lusitanam proponit.

Eduardus Ioannis Tertij frater. Emmanuelis filius.

Illico acceptatur.

Eius nobilitas à genere tum paterno.

neptem Philippo Hiſpaniarum Regi, alteram Alexandro Parmenſi Principi collocatam. præſertim quod hæc, & Philippus ex germanis fratre ac ſorore nati erant, eodemque gradu Philippum, & Philippi vxorem Maria Luſitana contingebat. Accedebat ex materno genere, Brigantiorum nobilitas, Luſitanorum Regum ſanguini ſæpius immiſta, & ſplendore aulæ Regi non impar. Sed multo adhuc magis eam affinitatem Alexandro Principi optabilem, Mariæ, quàm Maiorum eius claritudo faciebat. 1565

rum materno.

MARIAE propria laudes

Ingenium eius, & notitia litterarum.

Vita ſanctimonia.

Puellaria eius opera.

Pudicitiæ ſtudiũ,

& cautio in ea ſeruanda.

CELEBRI fama per Hiſpaniam puella volitabat, & par erat ſuæ famæ: prædicabaturque vna ingenio omnia comprehendere. latinâ linguâ expeditè, ac perbene loqui: græcas litteras proximè callere: philoſophiam non ignorare: Mathematicorum diſciplinas apprime noſſe: diuina vtriuſque Teſtamenti oracula in promptu habere. Sed ſuper hæc, innocentia morum, ac ſanctitas erat. Nihil ei ſuauius, & (quo ad licebat) etiam crebrius rerum contemplatione diuinarum; habebatque familiares aliquot ex ſacris litteris, ac Patribus ſententiolas, quibus interdiu vel in ipſo puellari opere ſubtractum humanis rebus animum, Deo quàm dulciſſimè repræſentabat. Et operi quidem nulli ſiue textili, ſiue ſutili admouit aliquando manum aliâ gratiâ, quàm vt Sacroſanctæ Euchariſtiæ cultui, aut pauperum vſui deſeruiret, hoc eſt ipſum Chriſtum Dominum vtrobique contegeret. At verò pudicitiæ curam non habuit modò, ſed etiam prætulit: dicebatque, RELIQVAS virtutes vtcumque diſſimulari feminis poſſe, Caſtimoniâ gloriandum. Itaque contra omnes ſpectaculorum illecebras, quantum impetrare poterat à parentibus, patruoque Rege, ſepſerat ſeſe. Nec minus in Poëtis voluntandis, (quamuis hiſce ingenioſis voluminibus mirificè caperetur) ne fortè in aliquid amatoriè ſcriptum incideret, animi ſuſpenſa pergebat: quumque Franciſcum Petrarcham in manus aliquando ſumpſiſſet, lectis paucis verſiculis, illico abſtinuit. Et eamdem ob cauſam adduci non potuit, vt cuiuſquam aulicorum bracchio, humeroue niteretur: id, quod nobilibus feminis ſiue ad inanem ſpeciem, ſiue ad firmanda veſtigia operosè ac ſublatè gradientium ſolenne eſt.

Claſſis è Belgio mittitur ad ſponſam deducendã.

His ergo atque alijs virtutibus commendabatur Mariæ Luſitanæ coniugium: eoque nihil morata Belgij Gubernatrix Margarita, quum iam apud ſe Alexandrum haberet; ad ſponſam ex Luſitania deducendam regiè claſſem adornat, militibus abunde inſtruit, ac Petrum Erneſtum Comitem Mansfeldium, clarum bello ducem claſſi præficit, addito nobilium feminarum, virorumque quàm maximo lectiſſimoque comitatu. Mansfeldius vnà cum coniuge Maria Momorantia Comitis Hornani ſorore, ac filio Carolo Mansfeldio ſoluens à Fliſſingano portu, Auguſto menſe; ſub initium Septembris 14. die.

1565 *Lisbonæ. 21. Sept.*

bris, appulit Vlisipponem. Neque pòst multo sponsa, comitantibus è Lusitana nobilitate quàm plurimis, classem conscendit; non tamen antè vela fieri voluit, quàm in portu aduocatis ad se in nauem prætoriam Lusitanis, Sacerdotem è Societate Iesu, quo ad sacras conciones, atque ad expiandas animi noxas vtebatur, oraret, vt se comitesque in prouincias ituros hæresum peste afflatas, præmuniret aliquot monitis, tamquam antidotis, quibus sese integros à contagione præstarent. Quod vbi ab homine eloquente iuxtà, ac pio peractum est, secunda è portu nauigatione discedunt. Sed non multum inde processerant, quum subito exasperatis cæca vi fluctibus, volui cœptum est mare: ventoque increbrescente, nauibus alijs aliò dispulsis, vna in prætoriam, qua Maria vehebatur, incurrit, multisque locis aperta, miserando sanè spectaculo, non longè à prætoria mergebatur. Enimuerò Maria miserorum discrimine vociferantium, manusque protendentium commota, aduocare properè Mansfeldium classis præfectum, atque orare, vt admoueret illuc prætoriam, acciperetque quos posset viros feminasque, antequàm dehiscente nauigio tam multi mortales in eius conspectu fluctibus haurirentur. Præfectus negare id absque eius Celsitudinis, aliorumque periculo attentari posse. idem affirmare nautæ, ac Nauarchus in primis maritimarum rerum prudens, ignarus tamen eius nauigandi artis, quam Diuina spes dirigit. Tunc illa, *At ego*, inquit, *videte quid animus præsagit, si ad opem socijs afferendam strenuè contenderimus, spero id Deo gratum adeo futurum, vt propterea ad afferendam nobis omnibus opem, eius bonitas prouocetur.* Id autem eo sensu pietatis, gratoque aspectu oris elocuta est, nihil vt Præfectus aduersari ausus, illuc obuerti prætoriam statim iusserit: quæ per vndarum globos eluctata, tandemque periclitantibus admota, properato scapharum traiectu, opportunum miseris perfugium fuit: ipsa verò nauis obsecuta iam Regiæ Principis voto non pòst multo in omnium oculis, vno ex omnibus desiderato, superante mari, depressa est. Quin etiam eâdem horâ (quòd Maria Deo freta sperare quoque se dixerat) ventorum truculentia remittere, quæque disiecta erat classis vndique conuenire cœpit. Quamquam paucis pòst diebus inhorrescente iterum mari, atque in læuas Britanniæ oras tempestate delati, recipere se in eius insulæ portum coacti sunt. In quo dum nauigandi opportunitatem opperiuntur, condecere Mansfeldius rebatur, à Maria mitti Nobilem aliquem, qui officij causâ Angliæ Reginam, cuius in regnum concesserant, salutaret. Sed abnuebat illa, quòd diceret, Nolle sibi quidquam commercij cum Ecclesiæ hostibus intercedere. & quamuis obsistentem fatigarent alij, affirmarentque, per eam occasionem tutò posse transmitti com-

Quæ discedit magno comitatu è Lusitania.

Sebastianus Morales, qui postea Iaponiæ Episcopus.

Tempestate vexatur.

Mariæ commiseratio, & tutela aduersùs periclitantes.

Alia tempestate in Angliam defertur.

Angliæ Reginam salutatum mittere renuit.

communia illa verborum officia, in ſententia tamen perſtitit, addens, Id verò eſſe & ſibi tutius, & ceteris ad exemplum ſalutarius. 1565
Præter opinionem tamen iiſdem diebus perquàm blandam ſe præbuit matronæ nobili hæreticæque, quæ in portum viſendæ claſſis cauſâ, in magna hominum frequentia deſcenderat. Hanc Maria inter alios conſpicata, geminos formâ pulcherrimâ filiolos præ ſe agentem, inuitauit vltro ad ſe perhumaniter, interque colloquendum, quum audiſſet, plurium adhuc eſſe liberorum matrem, rogauit, vt ſibi par illud infantium dono daret, pollicita ſe illis loco parentis non pœnitendæ futuram. Quod eò agebat, (quemadmodum ipſa narrauit) quoniam ſuſtinere non poterat, eos innocenti puraque ætatula pueros, qui Cælitum ſpeciem illa oris ſuauitate referrent, hæretica parentum lue conſpurcatos inter informia dæmonum mancipia æternis ſupplicijs addicta computari. Et Maria quidem quos tum optauit pueros, à matre non impetrauit: ſed paucis pòſt annis totidem maribus liberis à Deo donata eſt. Vt non abſurdum ſit credere, conatum illum Deo alendæ ſobolis alienæ, fuiſſe à Deo ſobole dein propria liberaliter compenſatum. Nec illud omiſerim, quod in eodem portu contigit memoratu dignum. Fortè excitato igne ardere prætoria nauis cœperat non procul à puppi, vbi Maria degebat: illucque contendentibus ad opem alijs, alijs conſulentibus ſibi, & pretioſa quæque ſecum aſportantibus; illa è cubiculo proſiliens ad proram abibat; quum paulum ſubſiſtens, At, inquit, meâ ego thecâ ſacris reliquijs inſigni carebo? ſtatimque micantibus iuxtà flammis, ingenti animo regreſſa thecam è ſcrinio abſtulit: gemmarum, quas magni pretij intus habebat, aut immemor, aut contemptrix. Redeunti celeriter è cubiculo (namque ignis nihil remittebat) inter alios, qui accurrerant, vnus propius accedens, arreptoque reuerenter eius bracchio, ſollicitus hortabatur, vt feſtinaret, dum per incendium liceret. At illa ſeuero hominem vultu contuita, Tu verò inquit, manum actutum abſtine. quaſi non minus ab huius, quàm à flammarum tactu timeret ſibi: ac nullo innixa perrexit ad proram: reſtinctoque mox igne, è portu ſoluentes in Belgium tranſmiſere. Sub initium Nouembris Fliſſingam appulſa eſt claſſis: ibique 3. die.
excepta deductaque Maria ab ijs, quos audito aduentu confeſtim miſerat Gubernatrix, inter equitum peditumque copias, aucto per ſingulas vrbes comitatu, Bruxellas aduenit: eo maiore omnium gratulatione, quo pluribus perfunctam periculis audiuere. Ergo quum iam ex Italia, paucis antè diebus, Octauius Parmæ Dux ad 8. Octob.
filij nuptias aduenisset; proximis Diui Andreæ ſolennijs à Philippo Burgundiæ Regulo olim inſtitutis, quum ab ſe conditum aurei Velleris ordinem, Apoſtoli tutelæ commendauit, ideoque ab vniuerſa Equi-

Matronam hæreticam ad ſe inuitat:

ac geminos ab ea filios dono expoſcit.

Incendiũ in eius naui.

Sacrarum reliquiarum cura maior, quàm gemmarum:

Et animi, quàm corporis maior.

Belgiũ appellit.

Bruxellas deducitur.

Celebrantur nuptiæ anniuerſario die inſtitutionis Aurei Velleris.

Philippus Dux Burgundiæ. 1430.

1565 Equitum familia quotannis splendidè celebrari solitis; nuptiæ Bruxellis actæ sunt, eâ quidem magnificentiâ, quæ Emmanuelis Lusitaniæ Regis neptem, Carolique Cæsaris nepotem condecebat: sed ea simul christiana pietate, quam de religiosissima Principe iam præcepta opinio, & præsentia omni maior opinione præscribebat. Fecit in aulæ sacello Coniugale sacrum Maximilianus à Bergis Archiepiscopus Cameracensis. Interfuit Philippi Regis nomine eius Orator apud Angliæ Reginam Didacus Gusmanus à Silua, huc propterea transire iussus à Rege: interfuere à finitimis Principibus, officij causâ legati: præter ipsam totius Belgij nobilitatem, & maximè Procerum aurei Velleris, qui equestris ordinis sui primordia, ante annos centum ac triginta quatuor, in Philippi Ducis, atque Isabellæ Lusitanæ nuptijs instituti, consimili tunc Lusitanæ Principis coniugio, magna lætitiæ significatione, omnique spectaculorum genere certatim recolebant: planè vt obliti querelarum ac partium viderentur. Vsque adeo in ludos ac pompas effusa Belgarum nobilitas est.

Emmanuel Rex auus paternus Mariæ. Carolus Cæsar auus maternus Alexādri.

Eius ordinis equitum lætitia.

VERVM post hilaritatem nuptialium dierum sponsis è Belgio digressis, quasi cessantibus inducijs ad dissidia rediere. A quibus ego dissidijs, ac tristium narratione stilum parumper abstinebo, dum de Maria Lusitana strictim aliqua subiungam, quæ per se se illustria, in regio sanguine plus claritudinis habent: & quia cum viro Alexandro, eiusque prole coniuncta sunt, de quibus multa in tempore memoranda; idcirco persequi illa hoc loco, historiæ nonnihil intererit. Igitur vbi Maria venit in Italiam, insolito excepta est occursu gratulantium. Nam Parmam accedenti bina agmina processere obuiam regali apparatu, nobilium virorum vnum, alterum æquè illustrium feminarum; illud Alexandro sponso, hoc sponsi Amita Victoria Farnesia Vrbinatium Ducis coniuge ductoribus; tanta hinc equorum, inde rhedarum, vtrinque stipatorum pompâ concertantibus, rarò vt ijs in locis quidquam magnificentius splendidiusque spectatum sit. At illa post repetitam nuptiarum gratulationem, animo ad seria conuerso, Parmensi ciuitati post paucos menses, aliam exemplo operâque suâ faciem induxit. Poposcerat aliquoties à Deo propagandæ stirpi marem filium, quum fortè ea spes animum inuasit, si quem ex derelictis atque expositìtijs infantibus alendum Dei causâ suscepisset, haud dubiè futuram se voti compotem. domi suscepit, aluitque: ac nono postquàm id egerat mense, Ranucium peperit. Enimuerò Maria non minus spe, quàm filio aucta, statuit & alterum à Deo precibus contendere, quo pluribus munimentis constabiliret domum. Quum propterea Dei Genitricem in eius æde, cui nomen à Scala, precaretur: ac fortè eò superuenisset Princeps Alexander, conuersa ad illum; *Age*, inquit,

DISCEDIT à Belgio sponsa.

In Italia occurritur ei regia cū pompa.

Parmæ mores corrigit.

Piùm munerum impetrādi à Deo filium.

Ranucius Parmæ, & Plac. Dux an. 1569.

Impetrat & alterum.

Domine

Domine consociatis precibus Deum obsecremus, vti pro suo in Virginem 1565
Matrem obsequio, volens propitiusque filio nobis altero indulgeat. Con-
Alexandri erga illã veneratio. iunxere magna spe vota: nec mensis ab eo die nonus effluxit, quum
Odoardum mater enixa est: Alexandri non maiore lætitia, quàm Odoard. S. R. E. Card.
admiratione, reuerentiaque aduersùs coniugem, qua precatrice
vtrumque à Deo pignus accepisset. Inde magis magisque cœpit
venerari sanctimoniam eius: adeo, vt quum in nauali ad Echina-
das pugna, fortiùs aliquanto quàm cautiùs in hostem ferretur, ad-
monitus ab Ioanne Austriaco Duce; responderit, Habere se domi
confidentiæ suæ causam, simul & patrocinium. Et sanè illa totum
id belli tempus inter preces, ac supplicia pro viro transegerat. Libe-
Educatio filiorũ, ros verò, quod intelligeret singulari à Deo benignitate concessos,
præcipuo studio, quoad vixit, imbuere diuinis præceptionibus co-
nata est: & morti vicina nihil accuratiùs, quàm illorum educatio-
quam moriens viro cõmẽdauit, nem viro mandauit, ijs ad Deum vocibus vsa, quas Galliæ Regi- Blãca Reg.
nam Diui Ludouici parentem vsurpasse legerat, *Ego in hoc articulo*
pulcherrimo; voto. *temporis, quod mihi supremum est, te Parens omnium oro quæsoque, vt,*
si liberi mei grauius in te crimen admissuri sunt, tu festinata illorum mor-
te, tuæ Maiestatis iniuriæ anteuertas. Dignum profectò Regijs ma-
tribus votum, quæ sibi filios esse nolint illos, à quibus Rex omnium
Deus, patris loco non habeatur. Et Maria quidem vndecimo post-
quam nupserat anno sublata est, claro non minus exitu, quàm vi- 1577.
Tolerantia eius in morte. tâ: vt enim hanc agendo fortiter, ita illum sustinendo constanter
(quod vnum morientibus superest) illustrauit. Tolerantiam eius,
aggressionesque Dæmonum acerrimas litteris mandarunt, qui in-
Commentariolũ quotidianæ exercitationis eius ab ipsa conscriptum. terfuerunt. Repertum, paulo post eius obitum, in secretiore scri-
nio, commentariolum perbreue & capitale earum rerum, quas in
quotidiana vita, perque horas ferè singulas, ipsa sibi accuratè, hau-
staque diuinitus luce perscripserat. In quibus videre licet, (nam
hoc quoque cum eius vita editum est) quale illius fuerit de Christiana
perfectione iudicium, & qualem se ad eam perfectionis normam con-
formaret. talem profectò, cuius pulcherrima imagine, Lusitana, ac
Farnesia domus abunde gloriari: & Mariæ Parmensis Principis exem-
plum Regijs puellis, nuptisque proponi meritò possit.

IAM verò, vt Belgica persequamur, cœperat Gubernatrix animum
& operam adijcere ad ea Regis mandata, quæ attulerat Egmontius
Res Belgicæ turbantur. ab Hispania. Sed nouis repentè litteris Vallisoleti ab Rege scriptis, 2. Iun.
in quibus contraria ijs, quæ per Egmontium mandata erant, præci-
pi videbantur, & Gubernatrix inops consilij retardata est, & Eg-
Egmontij querela. montius turbato præter modum animo querebatur, *Authoritatem,*
existimationemque apud æmulos suos ademptam sibi esse à Rege, ea con-
siliorum mutatione: quasi alia ipse retulisset, alia Princeps imperasset.

Iniisse

1565 *Iniisse videlicet eam viam Regis consiliarios, qua si porrò pergerent, haud dubiè adacturos esse Prouincias, vt quemcumque rerum statum, quàm præsentem malint: atque in Germanorum, Gallorumue, aut etiam inferni, si libet, hostis potestatem citiùs adigantur. Sibi quidem certum esse, si rata nolit ea Rex, quæ in Hispania decreuerit; relicta Flandriæ præfectura, domum concedere, atque absentia sua testatum omnibus facere, Egmontium in hac rerum perturbatione sese opera, & culpa sub-*
22. Iul. *traxisse*. Hæc vti audierat ab Egmontio quum scripsisset ad Regem Gubernatrix, tribus pòst mensibus litteras Regis accepit Segouiæ
22. Octobr. scriptas in hanc sententiam. *Falsò queri eos, qui affirment aliud se cum Egmontio transegisse, aliud per litteras Vallisoleti nuper imperasse.* Regis litteræ.
Itaque, vt quid ipse velit, explicatè pronunciet, Principio in plectendis Anabaptistis, aliisque hæreticis, quarum illi cumque familiarum sint, nolle quidquam aut remitti, aut differri: quum satis constet experientia, præceps volaticumque malum cessatione, atque indulgentia imperitè curari. de supplicijs hæreticorum:
Dein præcipere, vt Quæsitores causarum Fidei (neque nouum in Belgio tribunal, neque non summopere necessarium) vbique persanctè retineantur, omnique ope à Gubernatrice, ac reliquis Prouinciarum Præfectis adiuuentur. de Inquisitoribus.
Postremò, quoniam Concilium Tridentinum iam Belgis imperatum erat, superesse vt eius decretis, simulque edictis tàm Imperatorijs quàm Regijs pareatur. Orare proinde Gubernatricem, vt in ijs procurandis industriam sedulitatemque, quantam potest maximam impendat: quum nihil aut sibi gratius, aut Prouincijs opportunius effici à quoquam mortalium possit. ac de Concilio Tridentino.
Hæc summa earum litterarum, quibus omnem Belgij calamitatem Orangius, alijque acceptam referre consueuerunt. Et Gubernatrix quamuis moliri vno impetu tam multa, Ex quibus edictum componit Gubernatrix:
9. Nouemb. plenum periculi opus existimaret: idque iteratis ad Regem litteris deprecaretur; rem tamen aggressa est, compositoque ad prouincias
18. Decemb. edicto, quid Rex vellet iuberetque, earum Præfectos admonuit in hæc verba, vti ex edicto ad Ernestum Comitem Mansfeldium Lucemburgi Præfectum maturè transmisso cognoscitur, nam eodem exemplo scripta sunt omnia. Atque ad præfectos prouinciarũ transmittit.
Edicti exemplar.
Quum nihil Regi carius tranquillitate sit harum prouinciarum, velitque obuiam ire summis malis, quibus populos sanè complures mutata semel Religione miserè afflictatos videmus; idcirco Maiestas eius præcipit, vt edicta tùm Caroli patris, tùm sua: vt decreta Tridentini Concilij, ac prouincialium Synodorum integrè seruentur: vt sacris Quæsitoribus fauor omnis atque auxilium impendatur, relicta apud eos hæresum cognitione, quemadmodum humano diuinoque iure ad illos pertinet. Hæc Regis in Dei cultum, Belgijque commoda intendentis voluntas est: de qua admonitum te volumus, vt eam sine vlla exceptione complectaris ipse, tuæque prouinciæ Magistratibus statim promulges: ac strenuè cures, ne quid in ea seruanda ab aliquo quadecumque

causa

causa prætereatur: proposito contra violatores metu pœnarum, quas in 1565
litteris edicto subiectis recensemus. Vt verò hæc faciliùs exequaris, deliges è senatu isto certum hominem, cuius sit prouinciam lustrare, seduloque dispicere, an ea, quæ edicto iubentur, à Magistratibus, populoque rectè atque ordine fiant. Tuque, delectusque abs te senator, tertio quoque mense ad nos accuratè omnia referetis. Ac nostrum erit, operam hac in re nostram omni ope ac studio promouere. Atque hæc demum partim edictorum, partim earum, quas supra memoraui, nuptiarum curæ clausere annum, qui felici ad eam diem Belgarum nationi tranquillitatis suæ supremus fuit.

DE

DE

BELLO BELGICO

LIBER QVINTVS

1566 ANNVM aggredior aperta conſpiratione Nobilium, ſecuta vulgi ſeditione, turbidis optimatum conſilijs, furiali hæreticorum incurſu, templorum violatione, Religionis clade memorabilem, & ipſis, qui ea patrauere, pudendum. Edictum à Gubernatrice conceptum, tranſmiſſumque, Regis nomine promulgauere prouincijs Præfecti: ſed queſti prius eorum nonnulli apud Gubernatricem, profeſſique, continendis illa edicti ſeueritate populis impares ſeſe eſſe. Quin addidere aliqui, nolle ſe in id operam conferre, vt quinquaginta aut ſexaginta hominum millia, ſe prouincias adminiſtrantibus, igni concrementur. Id, quod Regem Gubernatrix admonuit, teſtata quam prouideret animo tempeſtatem. Et prima quidem ſigna tempeſtatis à Brabantia micuere. Etenim Regis edictum Brabantinis quum propoſuiſſet prouinciæ Cancellarius, (neque enim Brabantia Præfectum habet alium præter eum, qui toti Belgio præeſt) illico ciuitates, quæ dicuntur Prouinciæ capita, Louanium, Bruxellæ, Antuerpia, & Buſcoducum, coacto ſenatu, compoſitoque ad Cancellarium libello, vehementer iracundèque flagitant, vt ſuorum ratio priuilegiorum habeatur, quibus ea Quæſitorum iudicia, Cæſariſque Placita quum repugnent, non debuiſſe edictum Regis à Cancellario tam facilè proponi, à ſe certè admitti non poſſe. Admonita ea de re Gubernatrix iuſſit afferri ad ſe libellum, recitatoque in ſenatu, & ſi audax poſtulatum pleriſque viſum, voluit tamen annales perquiri, ac monumenta Brabantiæ, præcipuèque commentarios Franciſci Hulſtij Senatoris Brabantini, qui primus Quæſitoris in ea prouincia munus obierat. Quibus inſpectis, reſponſum eſt, Quoniam ab anno milleſimo, quingenteſimo, quinquageſimoque, ea inquirendi ratio vſurpata non fuerat in Brabantia: affirmabatque Rex, conſilium non eſſe, decernere quidquam noui; ideo placere, ne quid immutaretur ea ſuper re, ſed tantummodo Cæſaris Placita, quamdiu de ijs Rex aliud ſtatueret, ſeruarentur. Qua reſponſi mediocritate nec Brabantinis ſatisfactum, omnia ſibi polli-

Præfectorũ prouinciarum ſententia de propoſito Edicto.

9. Ian.

Brabantia parere Edicto prima recuſat.

Baldui.

Eique ſatisfactũ ex parte.

citis: & Flandrenses excitati, vt paria à Gubernatrice contenderent. Sed illam trepidus repentè nuncius curis sanè maioribus implicuit. Certior enim fit ab homine non antea noto, sed Christophori Assonuillij egregij Senatoris operâ ad colloquium clam admisso, multos in Brabantia Nobiles, ictò inter se fœdere decreuisse, si Rex induceret in illorum prouinciam sacros Quæsitores vi vellet, se sumptis armis contra vim ituros. Eam confidentiam occulta niti conspiratione, quam cum aliquibus externis, præcipuè cum Gaspare Colinio Gallici maris Præfecto conflauissent. Non dissimilia his ad Gubernatricem Lugduno Batauorum pòst paulo scripsit Orangius. idemque aperuerant Comites Egmontius, & Meganus; addiderantque, Centuriones ac Tribunos à fœderatis clam designatos, ijsque milites supra viginti millia, si res postularet, præsto futuros. Verùm quæ conspiratio hæc fuerit, quæue eius origo, euoluam ipse in præsentia ex ea, quæ apud me est, aliquorum narratione, qui rebus hisce cognoscendis per eam occasionem impositi sunt. Nam quum à Gubernatrice, secuto post hunc anno, iussu Regis missi essent, qui per singulas prouincias cursim in eos inquirerent, qui tumultum huius anni aut excitassent, aut fouissent; in arcanas inuasere multorum epistolas, codicillos, ac memoriales libellos: queîs in commentarium transmissis, eius coniurationis exordia, processusque Gubernatricem, ac Regem docuere. Ego, quæ mei operis sunt, partim inde, partim ex reliquo tabulario mutuatus, rem totam paucis expediam.

Rumor conspirationis Nobilium aduersùs edictū. 1566

Leydæ. 19. Mart.

MVLTO ante cladem huius anni sexagesimi sexti, nobiles aliquot Belgæ, plerunque iuuenes, quos nominare præter Ludouicum Nassauium Principis Orangij fratrem, in promptu non habeo: Geneuæ, alijsque in vrbibus aliquandiu versati, facilè in hæreticorum fraudes inciderant. quippe auitæ dogmata Religionis hactenus edocti, quoad satis haberent, vt catholicè domi viuerent, non autem vt foris, si fortè circumuenirentur, discrimen veri falsiue dignoscerent. Et sanè cum hominibus pestilenti lue contactis agere deberet nemo, cui paratum non esset ab antidoto remedium. Hi ergo hæreticorum disciplinâ imbuti quum peregrinas religiones, libertatemque viuendi sæpenumero in patria collaudarent; animaduertêre, se apud attentos & cupidos illa commemorare: nec alia esse complurium vota mercatorum, quibus eâdem hæresi pridem occupatis grata erat huiusmodi libertas, qua dum nemini fraudi esset, quid quisque crederet, nemo à commercio, causâ religionis arceretur. Cum his collato demum consilio agitare clam occœpere, plurium exemplo, de excutiendo paulatim à patriæ ceruicibus iugo catholicæ Religionis, quæ sola in ciuitatibus dominari velit. Id autem,

ORIGO primæ conspirationis Belgarum. 1559.

Nobiles aliquot iuuenes hæresim apud exteros edocti.

libertatem conscientiæ expetūt in Belgio.

Paria mercatorum vota.

Vtrorumque consilia.

1566 autem, vti conijcio, cœptum est ab anno huius sæculi quinquagesimo nono, cum profecturus in Hispaniam Philippus Rex, edicta Patris ac sua serio seruari (quod inter arma minus licuerat) imperauit. Quod quia incidit in illud tempus, quo consilium iniit Orangius de Hispanis militibus Belgio pellendis, ne eorum auxilio Quæ- *tunc inita, quò Hispanos milites Belgio pellere conatus Orangius.*
1581. sitores sacri in eas prouincias inferrentur; (vt ipse editâ ab se Apologiâ testatum reliquit) haud absurdum est opinari, conscium earum rerum, quæ tunc agitarentur, Orangium fuisse. Tamen haud crediderim inter prima illa Nobilium, mercatorumque colloquia certi aliquid constitutum, aut formam fœderis aliquam fuisse conceptam. Neque enim verisimile est, plurium conspirationem per annos omnino sex occultari potuisse: sed sparsa tunc aliqua coniu- *Diu quiescunt.*
1564. rationis veluti semina, quæ postea anno sexagesimo quarto, profecto in Burgundiam Granuellano Cardinali, reuixisse per occasionem Tridentini Concilij, certum habeo, ex illo, quem dixi, commentario. Quin etiam eo anno sexagesimo quarto, qui Nobiles, quique mercatores vnà conuenerant, haud ignari tantam molem absque armis sustineri non posse; explorandos sibi hæreticorum Germaniæ Principum animos duxerunt: à quibus aut opem proximè caperent, aut eorum saltem nomina prætexerent ad metum Gubernatrici, ac partibus inijciendum. Eam ob causam agebant in Germania Belgarum aliqui, ac secreta colloquia cum Palatino Septemuiro miscebant, referebantque omnia ad Ægidium Clerum causidicum Tornacensem, præcipuum Ludouici Nassauij administrum, Augustæ in hanc ipsam curam vnicè intentum, vt ex quamplurimis eius chirographis, ac libellis compertum est. Ex quibus etiam *occasione Concilij Tridentini resurgunt, & primùm conspirant. Et animos hæreticorum Principum Germaniæ explorant.*
Sub initiũ 1565. deprehensum, eodem tempore Ludouicum ipsum in Germania fuisse, vt eumdem lapidem moueret. Hæc autem & si ad finem vsque anni sexagesimi quinti, miro silentio agitata sunt, initio tamen sexagesimi sexti, promulgatis quæ dicebam edictis de sacris Quæsitoribus, de Caroli Quinti Placitis, de Tridentini Concilij decretis, excitatisque ob eam causam multorum querelis; tunc enimuerò qui *Promulgatione Edictis tumultuantur:*
coniurationem moliebantur, nacti speciem tuendæ patriæ libertatis, sparsis incredibili celeritate per prouincias libellis, (eos ad
3. April. quinque millia fuisse scripsit ad Regem postea Gubernatrix) Hispanicam inquirendi de Religione censuram ludibrijs, execrationibus, maledictis omnibus lacerare: monere populos, *Ne ei se se tyrannidi supponerent, cui vbique gentium, ac veluti quodam consensu generis humani repugnatum sit. ne Romæ quidem sine tumultu initia eius extitisse: quid agendum esse Belgio tot priuilegijs aduersùs noua hæc omnia communito?* Auxit hominum suspicionem fama bellicorum apparatuum, quos in Hispania Rex, & stipendia Regis facere solitus Ericus Dux *Atque editis libellis aduersùs Inquisitionẽ populos sollicitãt. Nouis armorum suspicionibus agitantur.*

Q 2 Brun-

Brunſuicenſis apud Batauos feſtinabant, ad ſtabiliendum, vt vulgò ferebatur: nouum in Belgio tribunal. quum tamen hic (quod poſtea compertum eſt) ad ſui dominatus oppida tuenda inter eos, qui timebantur, Belgarum tumultus: ille ad augenda Melitæ præſidia, Turcarumque alibi conatibus occurrendum, milites conſcriberent. Quod tamen perſuadere multitudini fruſtra conata eſt Gubernatrix: contrà differentibus hæreticis, affirmantibuſque, conſuetam illam eſſe ludificationem armorum, quæ OSTENDVNTVR aliò, aliò inferuntur. Inde hominum voces palàm dictitantium, Vendituros ſe domos ac prædia, amiſſamque patriæ libertatem apud exteras gentes quæſituros. Auditique præterea, qui in fabulantium cœtibus ac circulis (ij paſſim in foro compitiſque viſebantur) haud timidè dicerent, Aduersùs eam edicti ſeueritatem, Ducem ſibi tantummodò deeſſe: quem ſi nanciſcerentur, profectò adacturos ſe Regem, vt Belgarum priuilegia imminutum non iret. Ergo turbata in hunc modum multitudine, ambiguis nutantibuſque Procerum pleriſque, ſtimulantibus, qui edicto petebantur, hæreticis: maturata coniuratio eſt.

1566 — *Brunſuicēſis.* — *Rex.* — *Malta.*

Et in edictū minaciter inuehūtur.

Inde coniuratione maturata,

FOEDVS conſcribitūr. — *Gubernatrix Regē, 25. Mart.*

NOVEM homines è Nobilitate, qui nullum in Rep. munus obtinebant, Bredæ in vrbe Principis Orangij fœdus conſcribunt, quod ceteris proponerent, dictante Philippo Marnixio Sanctæ Aldegundis Domino, caluiniana pridem hæreſi corrupto pariter & corruptore. In eo exorſi ab Inquiſitionis execratione, quæ diuinis humaniſque legibus aduerſa barbariem longè ſuperet omnium retrò tyrannorum; *Commotos ſe ſe* affirmant *ea indignitate Nobiles, ad quos priuilegio nobilitatis pertinet huiuſmodi cura, ſocietatem iniiſſe, qua obuiàm irent nefarijs illorum conatibus, qui per hæc iudicia, proſcriptioneſque, ac cædes, in optimorum ciuium fortunas intenderent. Quamobrem perſanctè iurare, Inquiſitionem ſe nullo modo in Belgio paſſuros: iratumque ſibi Deum, iratos homines precari, ſi aut à fœdere diſcederent, aut ſocijs ob eam cauſam laborantibus ope operaque deeſſent. Ad extremum Superos teſtari, ſe nihil eo conſenſu moliri, præter Dei honorem, Regis amplitudinem, Patriæ tranquillitatem.* Atque hæc eſt ſumma verborum coniurationis, quæ ſiue à mutuis, ſiue à multorum promiſſis, vulgò Compromiſſum appellata eſt: ac varijs dein linguis, quo vbique vulgaretur, prodijt in lucem, cum hac inſcriptione, vt Britannicè quidem edita præferebat: *Exemplar fœderis à Proceribus, Nobilibuſque inferioris Germaniæ percuſſi, ob Hiſpanicam Inquiſitionem, hiſce prouintijs intentatam.* Inde miſſi per ſingulas prouincias, qui communicato conſilio ſollicitarent animos popularium: haud irrito conatu, quippe aggregatis quamplurimis, tantâ aliquorum confidentiâ, vt auditâ Hiſpanicâ cenſurâ, ignari quid vltrà pararetur, nomina certatim darent.

Summa verborū fœderis,

Quod Compromiſſum appellatum,

cuius hæc inſcriptio.

Aggregantur ad illud complures.

1566 darent. Primi omnium fuere Nicolaus Hames equitum aurei Velleris fæcialis, vulgò Tosondorus appellatus, præcipuum coniurationis instrumentum, Baronnius, Ghibercius, Lesdalius aulicus Egmontij, Ioannes Marnixius Tolosæ Dominus, Ghisella, Meinserius, & Olhainius, vti ad Gubernatricem scripsit Anderlechius Megani Comitis œconomus. Aliorum numerus, conditioque haud facilè teneri omnium potuit: variantibus, qui libello excipiebant nomina, prout famam augere, aut facinus extenuare opportunum erat. Et Hames quidem habere se indicem Nobilium supra duo millia gloriatus est apud Anderlechium, quem in societatem eo numero pertrahere conatus est. Sed ille auersatus animo eiusmodi cœtus, non modò ad numerum adscribi noluit, sed etiam duxit ciuis esse boni, Margaritam condocefacere, quidquid ageretur. Quam & si reperit multorum non ignaram, ac nullius incuriosam; aperuit tamen aliqua, quæ ipse, vt erat partium familiaris, clam inaudierat. Inter alia, Adnumerari ab ijs inter fœderatos Cliuiæ Ducem, Saxones Principes, Comitem Suartzemburgium, Gasparem Colinium, aliosque, præter Abbates aliquot in Belgio, Proceresque nonnullos ex aurei Velleris Collegio. Quæ an ex vano iactata ad colligendam factioni famam, incompertum mihi est. Certè de Cliuiæ Duce, breuì rumor euanuit, de Velleris aurei sodalibus creuit: affirmauitque clàm Gubernatrici ipse eiusdem ordinis eques Meganus, collegas duos cum ceteris Nobilibus conspirasse, sibi tamen ignotos. Sed de altero difficilè non erat suspicari: sensitque Orangius hanc de se hominum opinionem, quum in senatu haberi se vulgò in numero fœderatorum conquestus est: alterum aut Comitem Hornanum Præfectum Belgici maris, aut Antonium Lalinium Comitem Hochstratæ designabat illorum viuendi ratio; ex qua plerunque homines coniecturas trahunt. Nec ego dubitauerim, multos esse habitos coniurationis participes (vt præter iam memoratos, etiam de Elisabetha Angliæ Regina addubitatum est) non alio argumento, quàm quia credebatur, eorum interesse, si res Belgica turbaretur. Nempe valet apud omnes Cassianum illud: vt CVI bono aliquid vertitur, in eum rectà collineet suspicantis animus. Sed superuacaneum sit dubios quærere, aut occultos, quum sat multi palàm agerent, neque pauciores quadrigentis ex nobilitate nomina dedisse constet. ex quibus hæreticos ferè centum Gubernatricem docuit Meganus, præter mercatores, aliosque de plebe haud satis constante numero. Horum omnium duces habebantur Henricus Brederodius, Ludouicus Nassauius Principis Orangij frater, Florentius Pallantius Comes Culemburgi, quod est Hollandiæ oppidum, ipse à Sequanis oriundus, & Gulielmus Bergensis Bergæ, quæ est

Atque hi primi.

24. Mart.

Quamplurimi ostentati.

Occulti, dubijue nonnulli.

Inter hos Princeps Orang.

& Comes Hornanus, aut Comes Hochstrata.

& Angliæ Regina.

Certi tamen non pauciores quadringentis ex nobilitate.

Quorum Duces quatuor.

Burgūdia.

est in Geldria, Comes. omnes pari propemodum & iuuentæ, & animi vigore magna moliturі: præſertim Brederodius, cui primæ in ea coniuratione partes delatæ ſunt, ſiue excellentiâ Belgicæ nobilitatis è priſcis Batauorum Comitibus deductæ, ſiue ob iuuenis ingenium peracre, atque LICENTIVS aduersùs dominantes, eòque multitudini gratum, ac tumultuantibus opportunum. Porro Nobilium, aliorumque qui ſe aggregauerant, non eadem mens ac finis, vti ferme accidit in cœtu plurimorum. Namque alij ſatis habebant, ſi Pontificij Quæſitores arcerentur, minuerenturque Edictorum pœnæ: alij ſuper hæc in libertatem Religionis intendebant: multos nulla Religionis Edictorumue cura, ſed cupido agebat prædæ ac rapinarum: denique nonnulli maius interim opus mouebant, ac per eas turbas excuſſo veteri Domino, nouum meditabantur. Omnes tamen præſeferebant, poſcebantque ceſſationem Inquiſitionis, atque aliquod edictorum Cæſaris aduersùs hæreticos temperamentum: in eamque ſententiam ſupplicem libellum, quem Gubernatrici offerrent, omnium nomine compoſuere. Ita conſilia coniuratorum tum aperta, tum occulta ad Regem per litteras detulit Gubernatrix. Quin etiam ſicuti nihil horum, quæ deſtinabantur, eam latebat: (quippe vagi per vrbes, ac domorum intima EXPLORATORES, ideſt aures oculique dominantium; ſingula excipiebant, reddebantque) ita diſſimulato vbique metu, intendendas ſibi vires putauit, in tantarum expectatione rerum. Itaque populum edicto, Magiſtratum priuatis litteris, muneris ſui admonere: arces vrbiumque mœnia per homines fidos occultè luſtrare; rumores de aduentu Regis in vulgus augere, ſimul Hiſpanos Oratores, qui apud Cæſarem, Regemque Galliæ, ac Reginam Angliæ agebant, properatis nuncijs condocere, quæ coniuratiò in Belgio pararetur, Germanorum, Anglorumque, & Gallorum, vt ferebatur auxilio: denique nihil prætcrire, quo ſe & gnaram eorum, quæ agitabantur, & validam eiuſdem propulſandis oſtentaret. Quum certior eodem tempore fit à Comite Megano, Bruxellas aduenturos ſub initium Aprilis, Nobiles circiter quingentos, ſupplicemque libellum aduersùs Quæſitores, atque edicta Cæſaris oblaturos. Addidere aliqui (vt ferme veris falſa permiſcentur) decreuiſſe coniuratos, niſi audiantur, illato in vrbem milite Gubernatricem abducere Viluordiam, eòque carcere tamdiu clauſam habere, donec impetrent, quæ volent. Quod & ſi primo illa irriſit, dein tamen dubitaſſe, an relicta vrbe in arcem tutiorem ſeſe reciperet, ex eius litteris deprehendi. Interea conuentum ſolito celebriorem apud ſe indicit ad VI. Kal. Aprilis, non tam ſententias aliquorum, quàm affectus exploratura; ſimul ne aduerſarios haberet, quos conſcios noluiſſet. In-

Finis coniuratis non omnibus vnus.

Diligentia Gubernatricis aduersùs coniuratos. 25. Mart.

Nouus rumor de eorum aduentu Bruxellas.

Territa ob id Gubernatrix.

Senatū indicit. 27. Mart.

de

1566 de repetitis in Hispaniam litteris, quo loco Belgica res esset exponit: queriturque, quòd, quum hæc toties prædixerit, audita non sit.

25. Mart. 3. April.

SENTENTIAE senatorũ exquiruntur, An admittendi fœderati.

ET IAM, qui sollicitè euocati fuerant prouinciarum Præfecti, atque aurei Velleris equites, senatoresque priuati concilij, frequentes aderant ad præscriptum diem. posteroque Senatum ingressis, recitatisque à Philiberto Bruxellio senatore multorum litteris, in queîs Nobilium coniuratio, hæreticorumque consilia seu vera, seu credita nunciabantur; Margarita Gubernatrix paucis præfata, euocatum ab se amplissimum senatum, vt impendentibus malis illorum consilio atque operâ mederetur; rogauit primùm, Admittendinè viderentur, qui venturi Bruxellas propediem ferebantur, ductore Henrico Brederodio? Deinde quid eorum postulatis (quorum pleraque vulgauerat iam fama) respondendum? Postremò qua ratione dissolui ea conspiratio, nouique turbidorum hominum motus componi tunc possent? Varios illuc animos attulerant Proceres. plerisque inuisum erat Inquisitionis nomen: aliqui occulta consilia secum agitabant: ante priuatam causam pauci publicam habebant. Philippus Croius Areschoti Dux, & Carolus Comes Barlamontius negabant admittendos esse intra vrbem ea multitudine coniuratos: *Quid enim opus esse quingentis hominibus, vt libellus vnus offeratur? Non sibi videri eam speciem suppliciter postulantium. mitterent cum mandatis egregium ex suo numero aliquem, minore pompa, atque inuidia. denique aut portas occludendas, quod potius videbatur: aut, quod proximum, admissos intentis multorum oculis obseruandos, deque ijs, qui fortè licentius quid agerent, supplicium illico sumendum.* Contra Princeps Orangius, qui vtrumque tamquam Cardinalitios auersabatur, & præcipue Areschoto infensus erat, ob vetus inter Croios, & Nassauios de familiæ dignitate dissidium; vanos eos timores affirmabat aduersùs homines sibi non ignotos, & multos amicitiâ, nonnullos etiam sanguine coniunctos. grauem autem futuram eam iniuriam, si nobilibus viris non permitteretur, quod LICET miserrimo cuique, rogare. Similia his de securitate memorabat Egmontius: præsertim quòd, si vi atque armis agendum esset, non videret, quo apparatu tunc quidem occurri posset hominibus iam pridem armatis, & eâ repulsâ irritandis: TVTVM non esse, eos lædere, quos perdere non possis. At verò Mansfeldius, & si Pontificios in Belgio Quæsitores haud probabat, negauit tamen rectè fieri ab ijs, qui per huiusmodi coniurationes, ac turbas, contumaciùs agerent, quàm vt rogare viderentur. Addiditque, increpitum à se paracriter Carolum filium, quem coniuratis immistum inaudisset. Et sanè est apud

16. Mart. me eius epistola, qua filio, nisi quàmprimum ab illorum se societate subdu-

Sententia Ducis Areschoti & Cõ. Barlamontij: cõtra fœderatos.

Principis Orãgij pro fœderatis.

& Com. Egmontij pro ijsdem.

Com. Mansfeldij cõtra fœderatos.

ſubducat, iram denunciat ſuam, iubetque ſpem omnem abijcere 1566
paternæ vnquam gratiæ recuperandæ. Sed hæc monita minæque adoleſcentem natura ferociorem (an quia credidit, in ſpeciem à patre illa dici?) non ſtatim à coniuratis abſtraxere.

& Comitū Arembergij. & Megani contra eosdē.

Neque aliter eas conſpirationes ac fœdera interpretabantur Arembergius, & Meganus; quaſi, qui illa oſtentatione virium obſecrarent, coacturi Principem, non obſecraturi venirent. concludebantque, reijciendam huiuſmodi legationem, aut mitiore vocabulo differendam. neque enim, ſi paulum temporis intercedat, duraturam ſubitariæ ſocietati conſtantiam: quum NIHIL diu conſiſtat tumultuario opere compoſitum.

Reliquorum ſententia.

Reliqui ferè omnes ambiguè, aut modicè de coniuratis: acerbè, ac palàm contra nouum inquirendi de Religione tribunal: eadem ſed obſcuriùs remiſſiùſque contra ſeueritatem edictorum Cæſaris diſſeruere.

Querela aliquorum contra Regem.

Inde gradus ad querimonias factus aduerſùm Regem, quas tanto confidentiùs ingerebant, quanto magis opus tunc eſſe ſuâ ipſorum operâ non ignorabant.

Orangij in primis:

Et habere ſe, quas apponeret ad veteres querimonias, aiebat Orangius: (niſi fortè nouas offenſiones metuſque fingebat, quò honeſtiùs Regis cauſam deſereret, ſuam ageret) quòd nuper accepiſſet, homines genti Naſſauiæ infenſiſſimos de nece ipſius, deque fortunarum omnium publicatione agitauiſſe cum Rege, Regemque tempus opperiri, quo facinus imperaret.

cuius hæc verba.

Hæc nè laborum eſſe præmia, quos in ſuperioribus bellis, pro aſſerendis Regi Prouincijs Belgarum Proceres exantlaſſent? Quamquam expertos iam eſſe ſe, non eo loco Belgium haberi apud Philippum, quo pridem apud Carolum parentem. Nuper miſiſſe Regem quadraginta nummum aureorum millia Reginæ Scotorum ad militum ſtipendia: Belgium in ſumma ærarij difficultate præteriri. Non accuſari à ſe aut importunitatem ſubſidij, aut infelicitatem ſucceſſus. at timendum fuiſſe, ne Angli, in quorum capita ſuppeditari ea pecunia ferebatur, odia furoremque in Belgas effunderent: præſertim quum ſumma illa in manus Angliæ Reginæ deuenerit, naui ob tempeſtatem in eius portum delata.

Nam peritura pecunia, vt dicebatur.

Quem placare nititur Gubernatrix:

Super hæc addere parantem Margarita interpellauit: admonuitque, Abſtineret interim à priuatis querelis, vbi res publica vrgeret: neue tantam iniuriam inferret prudentiæ ſuæ, vt ea ſibi perſuaderi pateretur de Rege omnium clementiſſimo. certò autem conſtaret ſibi, quod de pecunia dicebatur, commentum eſſe hominum ſeditioſorum, qui per huiuſmodi artes creare inuidiam Regi apud Belgas ſuos, externoſque apud Principes molirentur.

frustra pertendens

Sed non ille propterea mitigari viſus eſt, quamuis alioqui diſſimulator, ac ſui potens. Sed fortaſſe perſeuerandum putauit, ne cœpiſſe videretur ſine cauſa: quaſi ſit ARGVMENTVM iuſtæ iracundiæ, ſi non citò deponatur. Eodemque modo neque Comes Hornanus, alijque nonnulli deſtitere,

1566 tere, quin ipsi querelas quoque suas exprimerent. Quos tamen verbis interea mollibus opportunisque vtcumque placatos, atque ad spem regiæ benignitatis erectos, ad consultationem iterum Margarita reuocauit: superantibusque suffragijs decretum est, fœderati admitterentur omnes, modò inermes, compositique ad modestiam. In quam sententiam vt ad eos scriberent, negotium datum est nonnullis ex ijs, qui aderant, Præfectis prouinciarum, per quas illi iter Bruxellas facturi credebantur. Præterea portis adderentur custodes, vrbemque vigiles obirent, ac turri maximæ imponerentur excubiæ, ne quid fortè suspensa ciuitate turbaretur. Reliquorum consultatio, abeunte iam die, in sequentem dilata est. Quo die coactis in eumdem locum Dynastis, ac Senatoribus, verita Gubernatrix, ne aliquorum fraude, iterum per dissidia & querimonias, deliberandi occasio corrumperetur; occupauit ad eos in hunc planè modum loqui, sicuti locutam se in senatu, ad regem ipsa perscribit. *Si malis ingruentibus afferre medicinam dolendo querendoque possemus, non erat quòd ego vos hodie repetito consultandi labore fatigarem: quum satis querelarum fuerit hesterno die, nec ferè quidquam præter priuatas offensiones à plerisque vestrum in commune collatum sit. Sed AEQVAE licet querimoniæ, amittunt, si importunæ sint, æquitatis partem. certè auertunt aliò consultantium mentes, agitatisque tamquam à fundo eorum animis, veri conspectum interturbant. Postulaturus est à me, sociorum nomine Brederodius, vt Inquisitionis tribunal amoueatur, ac pœnæ pro Religionis causa edicto propositæ mitigentur. Ego, quid responsi dandum sit, aueo nunc audire de vobis, quorum fidem, ac prudentiam sæpe sum experta. Sed ante sententias vestras, præfari me pauca, neque molestum vobis, neque alienum à causa duxerim. Audio esse non paucos, qui Imperatoris Caroli parentis Dominique mei edicta (nam de Inquisitione mox subiungam) carpere palàm audeant, vti inclementia, barbara, populis non ferenda. Profectò qui sic obloquuntur, non modò iniuriam faciunt sapientissimo Principi, patriæque amantissimo; sed vestro, Equites, collegio, sed Senatorum concilio, immo totius Belgij Ordinibus, quorum omnium iudicio consensuque Cæsarem tulisse eas leges haud dubiè recordantur aliqui vestrum: & legere omnes liquidò queunt in anni millesimi quingentesimi trigesimi primi edicto, in quo cetera eius Placita Principis innituntur. Cur ergo in præsentia seueritatem Cæsaris accusant? cur ea nunc damnant, quæ antè aut ipsi probauerant, aut omnium probata suffragijs non ignorant? An, quia hoc tempore se morbus intendit, idcirco remittenda est cura? & quæ ratio persuadebit, vt exedente nouas quotidie Reip. partes hæresum contagione, nos ignem ferrumque mollius tractemus? Neque aliò spectat Ecclesiastica aduersùs hæreticos inquirendi potestas, nisi vt per eam impiorum hominum auda-*

[Margin notes: *postea cum alijs vtcumque mitigatur;* — *ac restituta consultatione de fœderatis admittendis decernitur.* — *Noua consultatio.* — 3 Apr. — *in qua verba facit Gubernatrix in hunc modum.* — *De Imperatorijs edictis.* — *De inquisitione*]

R cia

cia aut metu retardetur, aut supplicio puniatur. Scio aduersùs hoc tribunal effusè ferri omnium odia: quæ redarguere & contrà tendere consilium mihi non est in præsentia. Quamquam hoc tribunal non est in Belgio nouitium inuentum, vti scitis: & iam sexdecim sunt anni, quum illud in hisce prouincijs statuit Pater meus. Sed quid, oro, seueritatis habet hæc Quæsitorum censura, quod edicta Cæsaris non habeant? immo si rectè vobiscum reputatis, multo hæc, quàm illa, seueriora sunt. Vt meritò Rex in ijs, quas tribus antè annis hìc ego perlegi litteris, multis vestrum audientibus miraretur, cur tantopere ab Hispanica Inquisitione timerent Belgæ, qui in eisdem Religionis causis, pœnas longè plures ac maiores in edictis Caroli comprehensas haberent. Quod si ea edicta sapienter à Principe lata, consensuque Ordinum excepta sunt: non video, cur aduersùs Inquisitionem, quæ eòdem pertinet, & mitiùs agit; tam acerbè impotenterque homines inuehantur. Hæc porrò non ideo à me dicta sunt, quasi vobis præripere voluerim deliberandi iudicia: libera illa per me fuere, eruntque semper. Vos, ne libertatem vobis adimat aut ira, aut studium, pro vestra sapientia curabitis. 1566

quam nec esse nouum inuentum;

nec seueriorem edictis ostendit.

Inde rogatis sententijs multi censuere, Ne quid mutaretur ex Imperatorijs edictis: *LEGES antequam ferantur, expendendas: vbi latæ fuerint, tolerandas. nec alia re magis labefactari statum ciuitatis, quàm crebrâ legum mutatione. præsertim quòd famæ intersit, in ea congressione nihil cedere postulatis hæreticorum, qui, SI PRIMA obuenerint, finem postulandi facturi non sint.*

Post hæc rogatis sententijs,

Probant aliqui edicta, mutariq; nolunt leges.

Acriùs incitatiùsque plerique contrà differebant: ostendebantque, *Per illa Imperatoris edicta neque Religioni, cuius sensim cultus decresceret: neque ciuitatum securitati, quas eo ipso nomine turbatas toto Belgio intuerentur; satis consultum videri. Et tamen leges ob Religionem tranquillitatemque ciuium conditas esse: neutrum verò ab hisce Imperatorijs edictis planè præstari. Cur ergo nefas putarent, demptis inde, aut potiùs mutatis aliquot pœnis, eas mitiores, eòque obedientiæ populorum aptiores efficere? Profectò MAIVS famæ periculum subire Principem, si manere velit legem, cui multitudo non pareat, quàm si eàdem ad vsum accommodatæ, populos in obsequio contineat. Quod verò ad Inquisitionem attinet, satis apparere, eam nulli hominum ordini acceptam esse, adeo vt Antuerpiæ nemo sit tam tenuis fortunæ, qui sclopum aut hastile aliquod non ostentet, mineturque, illo se telo vsurum in eos, qui Hispanicam Inquisitionem inferre in vrbem connitantur. Immo & Episcopos non leui affectos iniuria videri, dum Religionis causæ, quarum cognitio ad ipsos iure pertinet, ad posterius hoc Quæsitorum tribunal transferuntur. Sed hæc frustra ad disputationes reuocari, vbi sint ad portas coniurati. quorum antequam postulata reijciantur, considerandum esse etiam atque etiam, an si illi, stimulantibus hæreticis, vim fortè pararent, tantum sit domi præsidium, quo subitæ irruptioni popularium ac finitimorum,*

Plures improbant, ac mutari pro re nata volunt.

In Inquisitionē securiùs inuehuntur.

publicum nempe odium,

& Episcoporum offensam.

Addunt & metum à coniuratis.

qui

1566 *qui se adfœdus aggregauerint, obsisti queat*. Atque horum denique sententia & numero, & quadam concitatione præpotuit. Licet *& præualeat.*
enim non defuerint, qui quod obtendebatur pro animarum Pastoribus, facilè refutauerint; vix tamen fuit in eo senatu, qui opportunum tempori existimauerit eiusmodi tribunal. Quamobrem post multas altercationes, in hunc modum composita res est. Quandoquidem Cæsaris, ac Regis consilium non aliò spectauerit *De vtraque re decretum;*
per eas de Fide Quæstiones atque edicta, nisi vt vetus Religio integrè seruaretur; hactenus vsurpanda esse illa remedia, quoad huius incolumitati caueatur. Porrò duplex esse genus Inquisitionis, al- *In quo et Inquisitio re tollitur.*
terum muneri Episcoporum adiunctum, alterum certis iudicibus à Pontifice Maximo impositum. Querelas atque odia populorum esse dumtaxat in hosce Pontificios Quæsitores: quos licet Carolus Cæsar inuexerit in Belgium, id tamen coactum fecisse Pastorum inopiâ negligentiâque. quæ ratio quum in præsentia cesset, simulque tantopere mortales abhorreant ab externæ huius Inquisitionis nomine; non debere aduersantibus populis tam violentum intempestiuumque remedium obtrudi. Quare sine vlla Religionis iactura condonari aliquid posse coniuratorum petitioni. Sed ne quid hæreticis ea in re cedere, aut quidquam illorum gratiæ dare viderentur; ita respondendum coniuratis. *Non esse, quòd de Inquisitione la-* *verbo intermittitur.*
borarent: eius vsum intermittendum, quum ipsi Quæsitores detrectent
Pius V. *exercere ius suum, non petita ab nouo Pontifice potestate: quam petere vt munus suum cautiùs obeant consueuere. Quod verò ad pœnas atti-* *& edicta Cæs. mitigantur.*
net Imperatorijs edictis comprehensas aduersùs hæreticos, non eas tollendas, sed quum capitis ferè sint omnes, salubri aliquo temperamento mitigandas. Sic Episcopos, sic iuris humani diuinique peritos, sic ipsos Quæsitores sentire, ac dicere: immo sic Cæsarem Carolum facturum fuisse, si viueret; quando ipse ob similes difficultates, anno millesimo quingentesimo quinquagesimoque, postulante Maria Hungariæ Regina eius sorore, easdem pœnas, quas antè statuerat, emendare ac lenire non inutile aut indecorum arbitratus est. Atque in hunc modum coniuratis blandiùs acceptis in præsentia, dissolutum iri eorum cœtus, (quod plurimum referret,) ac tempus interim capi posse, quo absque huiusmodi turbis, ideoque maiore cum imperio publica hæc negotia administrentur. Gubernatrix & si meliora desiderabat, probauit *Decretū cur acceptis potiùs quàm probet Gubernatrix.*
tamen quæ offerebantur: quòd intelligeret, in eo rerum articulo aut condonandum aliquid coniuratis, aut eos vi armisque repellendos. hoc verò posterius attentari haud posse non satis prompto armorum duce. quum nec Orangio fideret, & interrogatus Egmontius negasset se aduersùs aliquem mortalium pro Inquisitione edictisue pugnaturum: in reliquis autem Proceribus aut non multo

plus fidei, aut longè minus præsidij erat. Itaque vsuram se eorum consilio dixit: ac Brederodio socijsque ita responsuram, vt simul eis satisfaceret, simul integrum Regi iudicium, quo inconsulto nihil confici in re tanta poterat, reseruaret. 1566

De FOEDERATORVM aduentu. Bruxellas intrant.

HÆC PORRO singula per celeres nuncios dum Gubernatrix Regem docet, rogatque, vt quid definiendum sit, quamprimùm aperiat; eo ipso die sub vesperam coniurati Bruxellas aduenere. Erant illi in equis omnino ducenti, forensi veste ornati, gestabantque singuli bina ante ephippium sclopeta. præibat ductor Brederodius, iuxtàque Ludouicus Nassauius. nam Comites Culemburgius, & Bergensis nonnisi tertio pòst die superuenerunt. Retulit Gubernatrici aulicus Mansfeldij non ignobilis Franciscus Verdugus, in ingressu vrbis hæc Brederodium iactasse. *Opinabantur enimuero aliqui, non ausurum me Bruxellas accedere: en vrbi succedo, eamque sed alia ratione mox reuisam*. Inde ad Orangij Principis ædes Ludouicus frater, ac Brederodius diuerterunt: quò se officij causa Mansfeldius, ac Hornanus antè contulerant. Ea nocte, remotis omnibus præter Mansfeldium, multis Hornanus egit cum Orangio de remittendo in Hispaniam aurei Velleris torque: eamque ob rem iussus est Verdugus libellum afferre legum eius ordinis, vt inspicerent, quatenus Regi, quippe supremo sodalitij Magistro, fidem eà causâ obligatam haberent. Sed intercedente Mansfeldio nihil decretum est. Id verò aliàs ab ijsdem agitatum, Gubernatrici aperuit Anderlechius. 3. Apr.

Brederodio duce, — *Henricus Brederod.* — *& iactabundo.* — *Diuertunt ad Orãgij domum: in qua cum alijs Proceribus turbida consilia miscent.*

Postero in ædes Culemburg.ij cõiuratos aduocat Brederodius:

Postero die Brederodius, dum Culemburgium & Bergensem opperitur, in Culemburgij, quæ Bruxellis erat, domum socios conuocat, in suscepto consilio firmaturus. Primùm epistolam illis ostendit Hispanicè scriptam, sibi recèns traditam, vt aiebat ab Hispania: nisi fortè homo non incallidus simulauerat, quemadmodum suspicatur is, qui hæc omnia arcanis occulta notis ad Gubernatricem submittebat. qua epistola narrabatur, Moronem, hominem in Belgio notum, lento igne viuum in Hispania fuisse combustum. quod plurimùm valuit ad animos sociorum incendendos contra eiusmodi censuræ feueritatem. Inde in rem feliciter ingressus Brederodius, quasi aciem lustraturus, coniuratorum chirographa manu attollit, recitatque vnà cum Nassauio: singulis adesse se, atque in sententia manere profitentibus. Pro ijs, qui aberant (fuere ad ducentos) præsentes, qui fermè totidem erant, spoponderunt. Ad hæc postulat, vt ad stabiliendam conspirationem scripto iterum nomine, animos consocient. quod singuli fecerunt, ac renouato sacramento confirmarunt. Iurisiurandi formula erat. *Si fœderatorum aliquis ob Religionis aut fœderis causam conijceretur in carcerem, illico reliquos posthabitis rebus omnibus, acturos cum ambobus ijs, alterove eorum, qui per singu-*

& nouo iterum iureiurando coniungit. — *tali formula.*

1566 *singulas prouincias fœdus procurabant, vt confestim vniuersi, sumptis, si opus sit, armis, socio auxilium ferrent.* Atque in hunc modum animatos alacresque dimisit, adituros sequenti die Gubernatricem.
5. die. Quo die, qui fuit Nonis Aprilis, coacti rursum in Culemburgij domum Nobiles fœderati paulum supra ducentos, inde in curiam viâ publicâ ire instituunt, tota ad spectaculum effusa suspensaque ciuitate: plerisque non satis expedientibus, quo nomine haberent nouum illud legationis genus. Nam nec supplices videbantur, qui tam confidenter imperioseque supplicatum venissent, ducibus præsertim Brederodio ac Nassauio, rogare haud magnopere assuetis: nec tamen factionem, aut vim præseferebant: illa simplicitatis specie ingredientes, atque ipsa sacrorum ordinum agmina imitantes. Bini fermè procedebant, ætate plerunque compositi, claudebantque agmen Brederodius atque Nassauius. Obseruatum, alterum eorum, qui ordinem ducebat, claudum esse: idque cum omine malo, nec sine risu exceptum. Aulam ingressi Margaritam inueniunt, dimisso tunc senatu, cum nonnullis Proceribus agentem: cui propius factus Brederodius, post officia venerationesque in hunc modum elocutus est. *Nobiles Belgæ, quos hic coram Celsitudine tua vides, alijsque eiusdem ordinis, qui propediem aderunt sanè complures, ideo mecum vnà conuenere, vt quanto studio à te aliqua petant, ex hac ipsa celebritate cognoscas. Hæc porrò quæ sint, dum supplici hoc libello perleges, ego te omnium nomine oro, vt in animum inducas tuum, nihil aliud honestis hisce viris propositum fuisse, nisi Regis obsequium, amplitudinemque, ac patriæ salutem.* Hæc fatus libellum obtulit: addiditque, habere se præterea nonnulla, quæ cum eius Celsitudine conferret, eorumdem sociorum nomine; ne tamen à proposita sibi sententia fortè aberraret: se libenter illa è scripto, nisi onerosum ei esset, in præsentia recitaturum. Annuente Margarita, recitauit. Summa hæc erat: *Plurimùm dolere Nobiles, quòd Gubernatrix ad prouincias scripsisset de hoc fœdere tamquam ope ac societate Gallorum Germanorumque composito, specie quidem patriæ salutis, re autem vera spe populationis ac predæ. Id autem quemadmodum graui cum iniuria Belgicæ nobilitatis Gubernatrici delatum erat, ita Nobiles enixè eam rogare, vt proferat nomina eorum, qui hoc detulere: cogatque illos accusationem legitimè ac palàm adornare: quo aut fœderati, si criminis conuincantur: aut accusatores, si crimen falsò intenderint, pari supplicio castigentur.* Ad ea Gubernatrix, curas indignationemque animo vtcumque premens, accepto non grauatè in speciem libello, quo Inquisitionis abolitio, ac veterum abrogatio edictorum, nouorumque ab Ordinibus Belgicis institutio poscebatur; *Consideraturam se illorum postulata* respondit: *& quando nonnisi Regis dignitatem, patriæque salutem spectabant; haud*

Inde ordinatim procedunt in curiam.

eorùmque nomine sic Gubernatricē Brederodius alloquitur.

& libellum triū petitionū tradit.

hisce querelis à scripto superadditis.

Ad quarū partē respondit Gubernatrix.

haud dubiè postulatis satisfacturam. Ceterùm, quòd de litteris querebantur ad prouincias datis, non iure illos queri. fecisse se quod muneris sui ratio postulabat, vt quoniam à multis certior fiebat de fœdere nescio quo cum externis inito, Praefectos ac Magistratus commonefaceret, ne per eam occasionem, non tàm à Belgis, quippe quos Regi fidos experta semper erat, quàm à finitimis, quos aggregauerant, aliquid in prouincijs turbaretur. Nec pluribus elocuta Nobiles ab se dimisit, nulla de delatoribus facta mentione, quod tamen coniurati magnopere flagitauerant. siue per speciem obliuionis transmittere voluit eiusmodi quaestiones, quae plerunque exitus habent inexplicabiles: siue potius offensa, tamquam ab se arcana imperij poscerentur. Immo in vespertino eiusdem diei senatu, suadenti non nemini, vt nomina delatorum coniuratis aperiret; iratior aliquanto respondit, Mirari se, quòd quum ipse recusasset indicare de authore, ex quo resciuerat ea, quae paulo antè detexerat; nunc contrarium, non sine multorum discrimine, suaderet. In eo senatu Gubernatrix recitato Brederodij libello rogauit, num de illo, noui aliquid censerent. Sed quum iam super ea re consultatum esset, caedem alijs verbis sententiae dictae sunt. In eo disceptatum, An requirendum esset à coniuratis, vt quoniam in supplice libello generatim subscripserant, Nos humillimi Maiestatis Regiae subditi; adiungerent suum singuli nomen: vt in quos beneficium Rex conferret (an potiùs in quos vltionem adornaret?) nominatim sciret. Sed pluribus contrarium placuit, ne per occasionem exigendi ab absentibus nomina, circumlato per vrbes libello, plures sollicitarentur. Postridie reuersis numero adhuc maiore Fœderatis, (nam Comites Culemburgius, & Bergensis citatis equis in tempore superuenerant) Gubernatrix libellum reddidit, quem ab ijs acceperat hesterno die, adiecta ad marginem responsione, qua intermittendae Inquisitionis, edictorumque moderandorum spem, sed Rege antè consulto, faciebat. Id verò quia non perinde omnibus probatum est, à conclaui in aulam deliberabundi recipiunt sese: collatisque sententijs, ad Margaritam redeunt: atque omnium nomine Eustachius Fiennius Esquerdae Dominus (nam Brederodius in publico verba facere, nisi meditatus, aut ex scripto non audebat,) officiosè actis pro ea responsione gratijs; orat, ne grauetur testatum facere, quidquid ab eo Nobilium conuentu factum esset, pro Regis obsequio vtilitateque fuisse. Sed negante id extemplo Margarita, atque affirmante, tempus eorumque facta satis hoc omnibus testatura; discessere.

1566

Partem omittit.

Dubitat an nomina subscribere sua debeant coniurati.

Contrarium senatui visum.

Libellum cum responsione adiecta reddit coniuratis.

Florentius Pallantius C. Culemburg. Gulielmus C. Bergen.

EXCEPIT eo die Brederodius in Culemburgianis aedibus coniuratos peramplo sanè conuiuio, sed infausto vel ipsis parietibus hoc postea nomine solo aequatis: fuere conuiuae circiter trecenti, ideoque

CONVIVIVM, quo coniurati excipiuntur à Brederodio.

con-

1566 confidentiores præfertim fuper menfam. Inter alia actum de ea focietate nominanda: placuitque imponere illi nomen, *Nobilis concordiæ*, Ducem verò, *Inftauratorem amiffæ libertatis* appellare. quæ tamen nomina numquam poft conuiuium audita. fiue fobrijs alia mens fuit, appellationesque inuidiæ & offenfioni proximas reiecerunt: fiue potiùs ex noua fortuitaque voce excepta maiori fucceffu, priora illa cognomina facilè obliterata funt. Narrauit enim Culemburgio atque Bergenfi Brederodius, quid ipfe, alijque audierant, qui propiùs ad Gubernatricem accefferant, hefterno die; nempe à Carolo Comite Barlamontio vniuerfam illam nobilium virorum coronam, voce Gallica, *Gheufios* contemptim appellatos. Illum quidem, vt Gubernatricis animum firmaret, ita locutum, quafi nihil ei à mendicis ac nebulonibus pertimefcendum effet. fe verò libenter appellationem illam, quæ eacumque effet, accipere: ac Regis patriæque causâ, Gheufios fe mendicofque re ipfa futuros. Mouit ftomachum ea res Culemburgio, alijfque, qui aut non interfuerant, aut Barlamontij vocem non exaudierant. Placet tamen nomen illud facere factioni proprium, atque ex eo petere Infignia firmatæ confpirationis. Itaque compotantes (& aderat forte illac præteriens Comes Hochftratanus) inuitare fefe peralacriter, & Gheufios inuicem compellare: tum vniuerfi fumptis maioribus poculis, Gheufio nomini falutique faufte ac feliciter comprecati, Viuant Gheufij, plaufu ingenti ftrepituque conclamare. Denique Brederodius fub finem conuiuij, manticâ, quæ forte domi reperta eft, ad collum more emendicantium fufpensâ, ligneoque poculo vini pleno manu elato, conuiuis fimul omnibus propinat: agitque gratias, quòd fe ad eam diem tanta animorum confenfione comitati effent: eòque fperare, conferuaturos in pofterum idem voluntatis propofitum, ftudiumque: fibi eamdem profectò mentem perpetuò futuramquin etiam polliceri, fe pro ea focietate, proque fingulis fociorum, mortem, fi opus fit, libentiffimè fubiturum. Ad ea verba magnis clamoribus ingeminatum, Viuant Gheufij. Inde Brederodius vino prægustato, cyathum, ac manticam propè affidenti tradit: à quo in alios atque in alios poculo illo, atque facculo circumlatis, quum finguli, refalutato Brederodio, inter bibendum eodem ferme carmine pro fociorum falute caput deuouerent fuum, è menfa confurrexere. Ac Brederodio ligneum vafculum, & manticam (nam ad illum redierant) parieti affigente, fequuntur ceteri exemplum: & fuum quique clauum parieti pangentes, ex vno in alium locum Infignia illa tranfmouent, deridiculis fanè cærimonijs initiati. Quo tempore fuperuenientibus à Mansfeldij domo, vbi pranfi erant, Orangio, Egmontio, atque Hornano, repotatio reftituta eft, hofpi-

Inter pocula quæritur cõiurationi, et duci eius nomen:

Gheufium nomẽ exponitur.

& magna compotantium hilaritate fufcipitur.

Addunt & infignia factioni cõgruentia:

& deuotiones mutuas:

& repotationẽ.

ſpitibuſque bibentibus, eadem pro Gheuſijs vota, permagnis acclamationibus, renouata. Hæc mihi comperta de hoc conuiuio ſunt ex arcanis epiſtolis & codicillis per eam occaſionem clàm feſtinanterque ſubmiſſis ad Gubernatricem ab ijs, qui pleraque à Sernapulio ſororis Brederodij marito audiuere. Addunt aliqui, conuiuas iam madidos ſeſe vino indecorè perfudiſſe, galeros permutaſſe, inuerſos capitibus impoſuiſſe, (mente nimirum de ſtatu iam verſa) atque alijs id genus intemperijs animum laxaſſe, quæ de multitudine & numero & mero corrupta haud difficile eſt credere. Hæc origo nominis Gheuſij fuit: quod nomen per contemptum à Barlamontio ſupplicantibus accommodatum tamquam catervæ ex decoctoribus mendiculiſque collectæ: ab ipſis in conuiuio temulentis agnitum, acceptumque, ac factioni ſuæ impoſitum, inter inconditas vociferationes, deuotioneſque vel pueris pudendas: poſtea à factione ad hæreſim, vicina ſcilicet cognatione, tranſmiſſum, hæreticorum rebelliumque Belgarum ita proprium manſit, vt quemadmodum Hugonoti per Galliam, ita Gheuſij per Belgium dicantur hæretici. Neque verò intra hæc ſtetit prolapſa ſemel hominum licentia. Etenim non ſolum ſub veſperam eius diei, cenantibus apud Orangium Ludouico fratre, Brederodio, alijſque compluribus fœderatis, vnàque Hornano Comite, qui apud Orangium diuerſabatur, eadem pro Gheuſijs vota, perſonante toto conuiuio repetita ſunt, vt biennio pòſt Hornanus ipſe in quæſtione ab Duce Albano habita confeſſus eſt: ſed inde confidentiores effecti, ſtatuunt priuatos extra parietes non ſine pompa Gheuſium nomen efferre, atque ex nouitate etiam plauſum populi explorare: ſiue quòd animaduerterent, Procerum nonnullis ea probari: ſiue quòd ſperarent, quidquid clàm fecerant, excuſari, aut etiam laudi poſſe verti, ſi palàm, inſertoque Regis nomine facerent. Ergo per dies inſequentes tota vrbe apparent coniurati veſtibus è panno cineracei coloris induti: alij ligneas lagunculas, ſcutellaſque, & caliculos (quæ pauperum ſupellex eſſe ſolet) pileis affigunt: plerique nummum primò exculptum è cera, vel è ligno, poſtea excuſum ex auro argentoue inſtar bullæ ſuſpendunt è collo, in cuius altera parte Philippi Regis cælata erat effigies, hiſce cum verbis, ſed Gallicè circumſcriptis, *Fideles Regi*: in altera viſebatur mantica duarum complexu manuum intercepta, circùmque hæc verba legebantur, *Vſque ad manticam*. Poſtremò genas ac mentum raſitare incipiunt, relictis in ſuperiore tantum labro intortis vtrinque productiſque barbulis, Turcarum more. credo vt vilem eam mendicantium ſpeciem ferocitate oris attollerent: ſeque ſimul ſupplices, ſimul metuendos oſtenderent. Suſpenſa interea ciuitas erat, ac ſermonum plena: pleriſque inualeſcente

Marginal notes:

1566

& temulentiæ laxamenta.

Inter quæ natũ Gheuſium nomẽ Belgis hæreticis proprium.

1568.

In lucẽ prodeunt Gheuſij.

cum ornatu, & ſupellectili mendicantium:

** ſed inſigni cum bulla.*

Fideles au Roy.

& raſi Turcarũ more.

Iuſque à la beſace.

Arnol. Hauen l. 1. de nouis epiſcop. & Franc. Aruus in An. Belg. et Annales Soc. Ieſu in Borg.

Variè circa hæc affecta ciuitate.

1566 scente coniuratione lætis, sperantibusque per eas turbas conatumque Nobilium, se ab Inquisitionis metu liberatum iri: multis ad ea spectacula tantum intentis, ac præsenti theatro gestientibus, sine cura reliquorum: paucis, quæ inde secutura essent mala, reputantibus.

VNVM ex hac coniuratione prouenisse sub hoc tempus inuenio Christianæ rei emolumentum, quod in præsentia paucis euoluere locus admonet. Hallis, Hannoniæ in oppido, inclytum est multâ per Belgium famâ, cælitum Reginæ simulacrum. Illuc religionis causâ profectus Areschoti Dux Philippus Croyus, pro ea, quam à Maioribus hæreditariam habebat, in Hallensem Virginem pietate, (nam sacrum illud signum genti Croyæ acceptum referunt annales Belgij) eius Diuæ imaginem filium Iesum complexu fouentis exprimendam argenteis aliquot numismatis curauit: atque illa, vt se recenti Gheusiorum factioni opponeret, ipse, quique cum eo erant Nobiles complures, in galeri spiram eleganter inseruere, ceu symbolum & piæ peregrinationis, & catholicæ nobilitatis. Quumque Bruxellis, vbi primùm eo cum ornatu Areschotus apparuit, multi Nobilium seu pietate in Dei matrem, seu potentiorum imitatione (vti plerunque fit) in cultu vestium, huiusmodi capitis insignia iam præferrent; gauisam eo maxime studio Gubernatricem, inter alia, quæ subinde Pio Quinto summo Pontifici scribebat, aiunt hanc Belgarum pietatem illo præsertim rerum articulo summopere commendasse: Piumque, cui perquàm grata res accidit, ad augendam Belgarum religionem, Numismata illa rite consecrasse: atque (vt Gubernatrici respondit) ijs, qui sacros eiusmodi nummos Cœlitum imaginibus notatos piè gestarent, pro Pontificia potestate, noxarum animæ veniam impunitatemque dilargitum esse. Inde factum memorant, vt aucta per Belgium rei veneratione, ac Belgarum exemplo vbique terrarum per Orthodoxorum prouincias certatim excepto; sacrorum ex metallo numismatum Religio, per eam quam retuli occasionem, aut originem duxerit, aut certè suam tunc primùm celebritatem deriuauerit. Quod si ita se res habuit, hoc quoque adscribi fastis Belgicæ nobilitatis, interque præcipua gentis Croyæ decora non sileri par fuit. At Brederodius ante discessum ex vrbe, postulata firmaturus ad Gubernatricem redijt, biduo post vltimum congressum: aderant cum illo Bergensis, Nassauius, & Culemburgius, summates Gheusianæ factionis; oblatoque nouo libello, vetera postulauit. vnum addidit, Moram illam expectandi ab Hispania Regij decreti, concitatis furentibusque populorum animis importunam esse. se quidem pro ea, quam patriæ deberent, caritate, Gubernatrici aperuisse Belgarum vota in seditiones absque

[*Boni aliquid ex hoc malo.*]
[*Areschotus adoratu Hallensi Virgine.*]
[*I. Lips. in D. Virg. Hall.*]
[*eius, & filij effigiem nummo expressam galero apponit.*]
[*Ponl. Haer. de init. l. 2. & Mich. ab Isselt in hist. sui temp.*]
[*Excipitur imitatione multorum:*]
[*& commendatur à Gubernatrice apud Pontificem Romanum.*]
[*I. Ant. Gabut. in vit. Pij l. 6. c. 2.*]
[*qui nummos huiusmodi gestantibus indulgentias impertitur.*]
[*Atq; hinc sacrorum metallorum origo, seu celebritas per Orthodoxos omnes:*]
[*magna Belgarũ, & Croyæ gentis laude.*]
[*8. Apr.*]
[*Gheusij nouũ libellũ porrigunt:*]
[*et moras Gubernatricis incusãt.*]

S dubio

dubio eruptura. Si nihilominus præcipiti malo remedia tam lenta & longinqua petere obfirmato animo sederet; testari se Deum hominesque, quidquid aduersi contigerit, Belgicam nobilitatem vacuam à culpa futuram. Sed nihil his mota Gubernatrix in se recipit, præcisuram tum moras omnes, festinatis in Hispaniam nuncijs: tum occasionem tumultuandi, admonitis Quæsitoribus, vrbiumque Magistratibus, vt rem mitiùs procurent. Vnum se ab illis cum cura & serio flagitare, vt quando satis muneri suo factum putent, noua super hæc moliri, alios fœderi adscribere, priuatos conuentus agere desistant: alioqui se omnino facturam, quod asserendæ in hisce prouincijs veteri Religioni, regiæque authoritati conuenire muneris sui ratio persuadebit. Atque in hæc verba à Gubernatrice, paulo pòst ab vrbe, plerique coniuratorum discessere: relictis, qui clàm in omnia intenti, quidquid Bruxellis agitaretur, socios per prouincias edocerent. Brederodius, Culemburgius, & Bergensis simul abeuntes cum centum quinquaginta equitum comitatu, explosis ante portas vrbis militari gratulatione sclopetis, primus quidem Antuerpiam, reliqui duo in Geldriam secessere, præmisso à Margarita celeri nuncio, qui de aduentu Brederodij doceret Antuerpiæ Magistratum, consiliaque & facta eius obseruaret. Qui Magistratus & si modestè agere Brederodium retulit ad Margaritam, hæc tamen postea Regi scribens (facta nempe certior aliunde) narrat, ex Antuerpiana plebe supra quatuor hominum millia fuisse, qui ad cauponam, quò Brederodius vrbem ingressus cum quadraginta tribus equitibus diuerterat, accurrerunt: ipsumque, vbi eam frequentiam affusam hospitio audiuit, à prandio surrexisse, atque ingenti cum patera è fenestra conspicuum, subiectam in impluuio multitudinem ita allocutum esse. *Antuerpiani, adsum hic ego, vt vos vel cum fortunarum mearum, vitæque discrimine tegam, liberosque afferam ab Inquisitionis edictorumque tyrannide: Vos si mecum in hoc præclaro opere consentitis; agite, & qui vestrum saluam libertatem, me duce volent, propinatum hoc sibi poculum, beneuolentiæ meæ significationem genialiter accipiant, idque manus indicio contestentur.* His dictis, haustâque paterá, ipsum ante alios manum extulisse, statimque illorum plerosque idem factitasse, elataque manu, atque incerto murmure accipere sese illud amoris argumentum significauisse: atq; vrbe postea excedentem eâdem frequentiá comitatos esse.

VIX IN vrbes alij alias coniurati redierant, quum (ne frustra suscepisse legationem viderentur) rumorem per prouincias serunt rei ab se bene gestæ: in eamque sententiam libellum, Equitum aurei Velleris nomine, mentiuntur: siue vt suam apud eum ordinem gratiam potentiamque populis venditarent, siue vt Equitum

Margin notes (left): *Sed illa blandis verbis exceptos,* / *& sui muneris admonitos dimittit.* / *Brederodius Antuerpiam abit.* / *Vbi à magna hominum frequentia conuenitur.* / *Quibus iste se ducem offert:* / *& accipitur.* / *FRAVS Geusiorum,* / *mentientiū patrocinium Equitū aurei Velleris.*

Margin notes (right): 1566 / 10. April. / 14. Maij.

tum

1566 tum fidem Gubernatrici suspectandam obijcerent. Libelli verba hæc fuere: *Fides publica Fœderatis Nobilibus data Bruxellis ab aurei* *edito libello.*
5. die. *Velleris Equitibus, septimo Idus Aprilis, anni millesimi quingentesimi sexagesimi sexti. Proceres quotquot hic sumus, iurati per equestris ordinis nomen, viris à Nobilium cœtu delectis, ac iure legitimèque in hanc vrbem missis pollicemur, Ecclesiasticos Quæsitores, ac reliquos Magistratus ex hoc die non carcere, non exilio, non proscriptionibus in quemquam animaduersuros, ob Religionis caussam; nisi ea cum populari seditione, publicique boni iactura coniuncta sit. cuius tamen criminis non alij, præter Fœderatos, vindices sunto. Id verò permissum eis volumus, donec aliter à Rege, assentientibus totius Belgij Ordinibus, decernatur.*

Enimuerò perculit Gubernatricis animum huius libelli primùm fama, mox libellus ipse properè conquisitus, allatusque. Nam & si *Trepidat primò Gubernatrix ad huiusmodi dolos.*
13. April. coniuratorum id esse impudens commentum non temere suspicabatur, tamen summopere metuebat, ne pronis animis in eam fraudem sese induerent populi: qui facilè credunt quod exoptant: aut *qui, antequam conuincatur, iam vulnus infixere.* CREDERE se simulant, quo securiùs excusationem erratis obtendant. Certè intelligebat, anteaquàm dolus detegeretur, multa committi posse aduersùs Religionem, authoritatemque Regis, quæ postea reuocari, aut corrigi cuiusquam industriâ nequirent. Et sanè non ea spe plerique concinnant eiusmodi mendacia, quasi diù fidem habitura: *& hac mente spargantur.* sed satis curant, si tamdiu arripiantur, quamdiu homines in errorem inducti conuellere statum ciuitatis semel incipiant: ex quo fiat, vt temeritate de in agnita, simul desperatâ veniâ, simul gliscente licentia ac libidine peccandi, tumultum ex tumultu serant, feroces, timidique: atque IMMINENTIVM periculorum remedium, ipsa pericula arbitrantes. Nimirum vt ligneis fulturis armamentisque parietum, sic mendacijs aliqui vtuntur. *temporarijs parietum fulturis similes.* Vt enim illa suspendendis fornicibus vsui sunt: vbi superaggestum ædificium stetit, abijciuntur; ita hæc dolosi homines comminiscuntur non aliâ gratiâ, nisi fraudis, quam architectantur, aliquandiu sustinendæ. si machinatio coaluit constititque, facilè patiuntur figmenta sua non esse diuturna, sed tamquam subijces atque armamenta, stante iam opere, deponi ac reijci. Et Margarita quidem nihil cunctandum rata, accitis ad se, quos tum commodè poterat, sodalibus aurei Velleris (nam plerique eorum ob Sanctioris hebdomadæ ferias expiaturi conscientiam ad cœnobia, in sua quisque oppida, nobilium more, secesserant) libellum ostendit, quo inspecto persanctè affirmarunt *Deinde negantibus aliquot Proceribus id factũ à suo ordine;* Egmontius, & Mansfeldius, qui primi aduenerant, ab sodalium ordine nihil eorum scriptum, dictumue. Ideoque statuitur, celeritate vtendum, quum multitudo errore leuiter aspersa mendacium nondum penitus exsorbuerit: nec expectandum, vt lana atramento

infecta nouo inde colori accipiendo impar fiat. edocendos ea de re quamprimùm prouinciarum Præfectos, ac singularum ciuitatum, pagorumque Magistratus, misso ad eosdem libelli, quem fœderati obtulerant, exemplo, cum adscripta ad marginem Gubernatricis 1566

frandis admonet prouincias quàm celeriter. responsione: simulque admonendos, vt si quid præterea vulgaretur à quopiam, commentum esse seditiosorum hominum pro certo habeant, & tamquam initia domesticorum tumultuum pro ea, quam à lege ac Principe habent, potestate coërceant. Hæ quam-

nec tamen vbiq; in tempore. quam extemplo missæ prouinciatim litteræ, non ideo tamen anteuerterunt auditæ multis in locis creditæque iam fraudi, magnâ vtique iniuriâ, vti mox dicam, & auitæ Religionis & publicæ quietis. 25. April

Hinc legationem in Hispaniã maturat: Quæ res impulit Gubernatricem, vt decretam paulo antè ex Senatus consulto legationem in Hispaniam maturaret. Destinatus muneri erat Ioannes Glimæus Marchio Bergensis, Hannoniæ Præfectus.

nominatis Bergensi, Sed is, siue refugiente conscientia conspectum Regis, siue itineris molestiam Gubernatrici ostentaturus; onus primùm recusauerat,

atque Montinio. dein admisit, modò solus non legaretur. Additus itaque collega est, qui aliàs id muneris obierat, Tornaci Gubernator Florentius Mo-

Qui an grati futuri sint Regi dubitant. morantius Montinij Dominus. Vterque, quoniam ambigebant, an cordi futura esset Regi ea legatio, cum Gubernatrice transigunt, vt ipsâ nuncio in Hispaniam festinato, Principem occupet, doceatque de illorum aduentu: se interim ita moderaturos iter, donec idem nuncius ab Hispania reuertens occurrat in via cum regijs litteris, quibus significetur, susceptæ profectionis laborem Principi non ingratum esse. Et tamen hisce cautionibus, quas veluti præsa-

seu præsagi malorum. ga mali mente, securitati veriùs, quàm honori poscebant, non effugerunt, quo minus in ea legatione vitam vterque reliquerit. Sed aliunde significata est improspera legatio. Etenim biduo ante di- 28. April

Bergensis casu sauciatus differt abitum. scessum, Marchio Bergensis in area Gubernatricis ædium inambulans, casu impactâ in tibiam ligneâ pilâ ab ludentibus ex aduerso, ictu non leui sauciatur, affixusque lecto profectionem differre coactus est. Crederes id ab illius accidisse genio, qui non contentus admonendo aurem ei vellicasse, nunc quasi compedibus iniectis, ne infaustum iter ingrederetur, attineret pedes. Sed QVÆ vnumquemque manent, præsentire, quàm vitare, facilius est. Interim,

Discedit Montinius. Gubernatrix, quando in celeritate tantum momenti erat, alterum legatorum quamuis recusantem denique perpulit, vt secuturo, vbi conualuisset, Bergensi præiret ipse, doceretque Regem rerum Belgicarum statum, præsertim post Nobilium postulata. Ob eam rem præter litteras, ac monita, reliquumque legationis instrumentum, libellum ei tradidit decem & octo capitibus complectentem præcipuas quasque res hoc anno gestas, quas ita Principi considerandas relin-

1566 relinquat; vt ad extremum concludat, vnâ Regis præſentiâ quàm minimo impendio componi Belgium poſſe. Ante huius tamen diſceſſum præmiſit Gubernatrix (vti cum ambobus legatis conuenerat) Fabium Lembum Neapolitanum, veterem aulicum fidumque, cum ſecretis mandatis, compoſitoque commentario, in quo multa ex ijs, quæ Montinio commiſerat, interpretatur. Præterea exemplar edictorum Caroli Cæſaris mittit, pœnis aduersùs hæreticos ex Senatorum ac Theologorum ſententia paulum mitigatis: docetque temperamentum illud prouinciarum Ordinibus ob eam cauſam ſigillatim coactis oſtenſum, earumque pleriſque probatum eſſe: non tamen euulgandum à ſe, proponendumque populis, abſque iuſſu Regis. vt verò iubeat, ac ſimul Pontificios Quæſitores ſtatuendi conſilium differat, impensè precatur. Ita inſtructum præmiſſumque ſextodecimo Kal. Iunias Fabium Lembum, ſecutus eſt decimo pòſt die Montinius, & quintodecimo Kal. Iulias Mantuæ Carpetanorum exceptus quidem humaniter à Rege, audituſque ſæpius; pro rerum tamen definitione expectare Bergenſem collegam iuſſus eſt. introſpecto iam tum Principis animo ea legatione haud facilè permouendo. Et verò ne Belgarum poſtulatis accommodaret animum, Rex ſatis ex ſe Religionis ac ſententiæ tenacem; non parum contulit Pij Quinti Pontificis authoritas: qui per Internuncium ſuum Petrum Camaianum Aſculanorum Antiſtitem, in eam Belgarum legationem intentum, aſſiduè monebat, ne pateretur in Belgio quidquam imminui de catholica Religione, ſed turbulentorum hominum perfidiam præſens ipſe, atque armatus vltum iret. Ob eamque cauſam Iulium Paueſium Surrentinorum Archiepiſcopum, quem Maximiliano Cæſari Nuncium allegabat, iuſſit in Belgium diuertere, ac ſuo nomine Margaritam Auſtriacam Parmenſem Ducem pro Religionis ſtudio in Belgarum prouincijs moderandis prolixè laudare, animareque: atque in eam rem pecuniam, atque adiumenta omnia polliceri. verti enim eiuſmodi cauſam, pro qua Tiaram ipſam non dubitaret exponere. Præterea cum eadem Gubernatrice deliberare de litteris Comiti Culemburgio, & Orangio Principi tradendis: quorum alterum Pontifex hortabatur, vt deſertis, in quas tranſiſſe ferebatur, hæreticorum partibus, auitæ Religioni reſtitueret ſe: admonebat alterum, ne in ſuo Arauſienſi Principatu tam multa ab hæreticis impune peccari, magna cum ciuitatum, ac præcipue Auenionenſis pernicie regionis ſuſtineret. Sed Gubernatrix, cuius ſequi conſilium iuſſus erat à Pontifice Nuncius, haud probauit, Culemburgio litteras Apoſtolicas committi; ne fortè, vt erat iuuenis ingenio impotenti varioque, eas indecorè ſuſciperet, haberetque. minore periculo agi poſſe cum Orangio:

[Margin notes:]
quem præierat nuncius ſecreta perferens.
17. Maij
27. Iun. Madrid.
Legati poſtulatis non ſatis acquieſcit Rex.
animatus ad vlciſcēdas Religionis iniurias à Rom. Pont.
qui etiam Internunciū ſuum ad Gubernatricem dirigit;
laudans illam et adiumenta offerens.
& per eū litteras mittens Culemburgio, atque Orangio.
Culburg.
Orang.
Gubernatrici tamen haud viſū ſtudere illi;
Sed huic,

præ-

1566

præsertim quòd ea super re à Pio Quarto admonitus olim fuerat non sine metu amittendi Principatus. se nihilominus occupaturam eius animum, ne imparatum Nuncius offenderet. Ceterùm quod ad opem spectat Pontificis nomine liberaliter oblatam, agnoscere se Pastoris vigilantissimi caritatem, eâque gratiâ cupere se ad eius repræsentari pedes, ac venerabundam osculari. Ea tamen subsidia admitti à se, nisi factâ ab Rege potestate non posse. Pro certo autem Sanctitati eius polliceri, Religionis causam sibi perpetuò futuram, vti ad eum diem profectò fuerat, vitâ ipsâ cariorem. Denique de Episcoporum studio atque industria (hoc enim quoque ab ea Nuncius exquisierat) scitè partitèque disseruit, singulorum mores ac vitam, quique obiurgatione ac stimulis, quique laude, aut commiseratione digni essent, appositè aperiens. Quæ quum vera esse, simulque congressum Orangij procliuiorem (nempe ex Gubernatricis anticipatione) Nuncius comperisset, admiratus feminæ solertiam, pietatemque, pollicitus est, palàm relaturum se Pontifici, Romanæque Aulæ, Religionem, cuius timeri casus quotidie posset in Belgio, Margaritæ vigilantiâ prudentiâque perstare. Sed non ideo factiones, ac turbæ remittebant. Etenim reuersis, vti suprà memoraui, suas in prouincias coniuratis, euulgatâque famâ impunitatis ac fidei publicæ ab Equitibus aurei Velleris propositæ; redire passim è finitimis locis, qui hæresis causâ eiecti fuerant: quique clàm in Belgio delitescebant, apparere: excipere laudibus Gheusium nomen, illos appellare vindices libertatis, illis patrocinium sui commendare. Inde fœderatorum numerus præsertim Antuerpiæ augeri, & Gheusiorum ornatus, atque Insignia etiam à mercatoribus vsurpari cœpta. Quin & noua tunc conspiratio popularium apparuit præferentium in galeris, præter manticam nummis insculptam, tornata viatorum bacilla in crucem commissa: quo crederent significarent, abituros sese à patria peregrinabundos, ac libertatem alibi quæsituros. Quas coniuratorum alias ex alijs familias, sobolem esse eius conspirationis, quam Dynastæ duobus antè annis aduersùs Granuellanum Cardinalem cucullis primùm, dein iaculis inierunt, scribit ad Regem Gubernatrix. Sed quæ tunc aulæ priuata dissensio, atque ambitio paucorum fuit, postea in publicum prouinciarum dissidium versa est. Adeo PRINCIPES viri numquam soli peccant: & VITIA dum transferuntur, quasi contractis per manus sordibus, ingrauescunt. Neque magnopere proficiebant aut Gubernatricis litteræ ad Magistratus, de confictô Procerum nominibus libello: aut Regis ad Gubernatricem, ac prouincias per eos dies acceptæ: quibus litteris Rex pollicebatur, securum iam se ab Turcarum, ac Maurorum armis, iter adornaturum ad Belgas, seue-

Marginal notes (left): *quem ipsa antè disponit.* — *Interim pecuniā à Pontifice oblatā non admittit.* — *Suas erga Religionem curas.* — *& Episcoporum mores Nuncio demonstrat.* — *pietatem eius & prudentiam admirantis.* — *Gheusiorum crescit audacia ex opinione impunitatis.* — *Noua illorū conspiratio.* — *& ornatus.* — *Vnde exemplum sumpserint hæ factiones.* — *Quibus parum medetur aut Gubernatricis sollicitudo, aut Regis Litteræ blandæ quidem,*

Marginal dates (right): 15. Dec. 1565. — 17. Maij. — 6. Maij. — 21. Maij.

1566 seueritatemque, si qua esset, edictorum Patris, coràm emolliturum. interea ne quid turbaretur, Procerum virtuti confidere, qua innixus sicuti neque Parens Cæsar, neque ipse Rex vllos vmquam hostes formidauerit; ita nunc eorumdem operâ, seditionem paucorum hominum facilè compositurum. Veniam tamen, securitatemque, *Sed veniam importunè differentes.*
15. Mart. quam Gubernatrix nonnullis antea per litteras flagitauerat, constantiùs fortasse, quàm opportuniùs distulit in aliud tempus: quo
1570. tempore ingrauescentibus malis, & tamquam corrupta remediorum tempestiuitate, perdidit ipse beneficium suum.

ET SANE mala non sigillatim, aut per interualla, sed nexa inter se se, atque impetu crescebant. *IRRVPTIO hæreticorum vndique in Belgium.* Quippe finitimis è locis intenti hæreticorum magistri in Belgarum discordias, atque adeo in opportunitatem extrudendæ peregrinæ mercis, nouique Euangelij venditandi, certatim effusi è Gallia, Germaniaque, ex illa Caluiniani, ex hac Anabaptistæ, ac Lutheriani, proximas quique sedes inuadunt. Ac primùm in agris nocturnos conuentus agitare: *clàm primùm.* deinde successu blandiente, simul metu ne fortè compositis controuersijs amitterent ipsi rei bene gerendæ occasionem, anticipandum rati, luce palàm ostendere sese, atque ad accurrentem è pagis oppidisque multitudinem de Hispanorum tyrannide, de corrupta à *mox apertè concionabundi.* Pontificijs religione, de puro sinceroque Euangelio confidentissimè
Caluiniani. concionari. Augebat impudentiam æmulatio, quòd Caluiniani *Tres eorum classes.* maiore quidem, quàm ceteri concursu plausuque, sed quàm Luthe-
Anabaptistæ. riani minore assectarum potentia frequentarentur: Anabaptistæ Lutherianis numero superiores à Caluinianis vincerentur: vtrosque
Lutheriani. verò sectatorum nobilitate Lutheriani superarent. Ex quo fiebat, vt ardenti animorum concertatione per oppida vrbesque, tamquam vacuam possessionem ingituri festinarent, familiæ quique suæ inten-
Catholicis ti, vni infensi omnes. Qua tempestate Belgium multò maximè visum est miserum, ac luctuosum: quum eius complures nobilioresque prouinciæ hinc atque hinc momento interceptæ, in alios atque in alios errores factionesque distraherentur, lacerarenturque: quum homines impuri, fideique humanæ iuxtà ac diuinæ desertores: quum postremi quique apud suos, ac Germaniæ Galliæque eiectamenta, regnum sibi nescio quod in Belgio pollicentes, per agros, *eorum nota,* per oppida tamquam emissæ ex Inferis Furiæ cursitarent, turbulentis concionibus, famosis carminibus, spe, metu, suspicionibus omnia complerent: quum ad hosce noui Euangelij præcones audiendos *Mira ad eos audiendos frequentia.* tanta vicanorum præcipuè, paganorumque, dein oppidanorum etiam multitudo, auiditate incredibili conuolaret; vt semel in agro Tornacensi facilè superauerint octo hominum millia, frequentiore
Lilla. adhuc concione prope Insulas confluxerint, ad Antuerpiam verò

vna

vna die tredecim, altera quatuordecim, neque pòst multo, sexdecim millia excesserint: quum denique grassante licentia, multis in locis, præsertim apud Valencenam, atque in Flandriæ limite, matrimonia in campis celebrarentur, infantesque baptismo lustrarentur caluiniano ritu: idque vt tutò peragerent, ad hosce conuentus concionesque armati ac minitabundi conuenirent. 1566

& ad sacramenta ritu haretico celebranda.

Vnde tanta concionum sitis?

Scio non mediocriter admiraturos, qui hæc legent, nam & dum eadem gererentur, obstupuisse Belgas ipsos accepi; vnde populis tantus concionum audiendarum subitò iniectus ardor, vt neque edictis Magistratuum neque immissis lictoribus, neque vllo respectu legum contineri possent, quin relictis oppidis raptim in agros ad huiusmodi cœtus cum paruis liberis viri mulieresque properarent.

Aliquos studiũ hæresis trahebat.

Sed, vt in multitudine, non idem omnibus incitamentum. Etenim multi iampridem abiecta ex animo catholica Religione, ad accipienda hæreticorum placita, exercendaque eorum sacra peralacriter exibant, secumque eodem impetu auocabant alios quò porrò pergerent ignaros, ac propè inuitos, sed qui occursu multitudinis abrepti, ceu fluminibus innantes non tam ibant, quàm ferebantur.

Multos nouitas:

Plures trahebat nouitas rerum, & cupido noscendi, quid tandem religionis externi homines afferrent è Saxonia, aut Geneua, quibus è sedibus tam multa eos patrauisse per reliquas prouincias ac regna, rumor antè pertulerat.

Alios psalmorũ cantilena.

Nec paucos alliciebant cantilenæ, quibus Dauidis psalmi Gallicis metris ac numeris illigati à Maroto, ac Beza, vt olim memorauimus, magnis per agros agminibus canebantur Geneuatum ritu. 1562.

plurimos ex obtrectationibus irrisionibusq; voluptas.

Sed longè plurimos obtrectationes irrisionesque rapiebant concionalium ministrorum: inter quos, vt quisque litteris illitteratioribus instructus, dummodo ad audendum proiectior, & captare plausus circulatorium in morem doctior, ita grandioribus figmentis ac nugis Romanum Pontificem, Tridentinos Patres, Ecclesiasticos Quæsitores, sanctissima quæque enormiter immodicèque, sed accommodatè ad animos imperitæ multitudinis vellicabant: applaudentibus tamquam in theatro vniuersis, & ea quæ dicebantur, non æstimatione recti, sed aurium voluptate metientibus. vt quamuis paulo prudentiores intelligerent, inania sibi venditari, ac meras fabulas; gauderent tamen decipi, decepturi ipsi mox alios, eademque ceu comperta narraturi. Vsque adeo CALVMNIÆ ac maledicta sine vllo veri falsiue discrimine auidè accipiuntur, auidè communicantur.

& augebatur frequentia æmulatione nationũ.

Accedebant postremò factiones, in quas distractis ciuitatibus, dum quæ Gallis finitimæ Caluinum, quæ Germanis Lutherum enixè fouent, conciones ab rerum etiam talium incuriosis, solo nationum certamine frequentabantur. Neque Gubernatrix interea quidquam omittebat, si qua

via

1566 via posset ingruentibus vndique malis occurrere. Marchionem Bergensem, recuperata vtcumque valetudine, in Hispaniam sollicitè dimittit, qui quæ oculis spectauerit ipse, subijciat Regis animo: suadeatque, vt Inquisitionis cogitationem intermittat, & seueritatem edictorum mitigatam velit: idque quàm celerrimè, ne dum consulitur in Hispania, Belgium penitus pessum eat. Quod vero Bergensis iterum morbo implicitus subsisteret apud Pictonas in Gallia, monuit illum, præmitteret interea fidum aliquem aulicorum, qui commissas sic litteras ac mandata Regi exponeret, quod ab eius Oeconomo factum est octauo Kal. Augusti. Præterea quum rescisset à Magistratu Antuerpiano, externis hominibus vrbem quotidie compleri; eos edicto ex Senatorum sententia composito abire iussit. Quin etiam suadentibus eorum multis, vt pœnas per eam occasionem renouaret in exules, qui Belgium repeterent, in famosorum carminum scriptores, recitatoresque, in omnes qui hæreticorum conuentus & conciones adirent; quamquam illa diù dubitauit: quod ex vna parte intelligeret, insanæ multitudinis contumaciam nequaquam posse coërceri absque milite, cuius tunc cogendi facultas non erat: ideoque SAPIENTIVS esse abstinere à ferendis legibus, quarum iniuriam vlcisci non possis: ex altera tamen parte ne sedendo, cessandoque indormire tantis malis, eòque turbas alere peruicacium videretur; vetera edicta instaurauit, auxitque. sed incassum pleraque. Conciones certè nihil propterea intermissæ: immo quia prohibitæ, flagrantiori studio quæri cœptæ. VITIO generis humani maiora omnia concipientis, dum vetantur: Antuerpiæ potissimùm contumacia grassabatur: quippe in vrbe Gallos inter Germanosque media, ideoque factionibus obnoxia. Ex qua paucis diebus post edictum, quum ad solitos agrarios cætus egressi essent hinc Lutheri, inde Caluini fautores; quumque hi non pauciores quindecim millibus conuenissent, auctâ ex numero confidentiâ sub concionis finem, ipsum caluinianì Euangelij buccinatorem equo imponunt, & tamquam in triumpho, magno equitum peditumque comitatu in vrbem referunt. Magistratus nihil tunc ausus contra repentinum malum satis habuit Margaritam properè commonere, ac rogare; vt quoniam plerique verebantur, ne per eas turbas aliquo demum tumultu inuolueretur Vrbs, præsentiâ suâ Antuerpiæ auxilium ferre ne grauaretur. Et ipsa quasi iam iam itura Carolum Brimæum Comitem Meganum, fidum fortemque Ducem Antuerpiam præcedere, quantumque opis ac fidei foret in ciuibus ad coërcendas huiusmodi seditiones, explorare iussit: ne presens videre cogeretur ea, quæ minore periculo authoritatis audiuntur è longinquo. Verùm viso Comite, tumultuari ciuitas cœpit, voci-

Marginalia: *qua necessitate Gubernatrix Bergensem in Hispaniam impellit.* — *Pictauiu.* — *preq; illo in morbum relapso.* — *25. Iul.* — *Oeconomũ eius.* — *Aduenas edicto eijcit.* — *De concionibus quid præcipuè statuat, addubitat.* — *Renouat contra eas edicta.* — *& crescunt prohibita.* — *Antuerpiæ præsertim:* — *quò inuocata Gubernatrix.* — *præmittit Com. Meganum.* — *Sed aduersùs illum tumultuãte plebe:*

ferante passim plebe, Meganum infenso Gheusijs animo venisse, secuturum paulo pòst cum duodecim Vexillis Comitem Arembergium, tum verò Gubernatricem occupatâ militibus Antuerpiâ, superuenturam, ac pro arbitratu Pontificium tribunal erecturam Hispanica seueritate, arcemque valido cum præsidio imposituram vrbi. quo iugo demum accepto, Brabantinos ea imperia passuros, quibus per Italiam Mediolanenses, ac Neapolitani premuntur, simili artificio capti. Hoc autem vulgi tumultu in dies crebrescente, Gubernatix Meganum inde amouit, quasi Geldriæ, præfecturæ suæ, pernecessarium. Quumque Magistratus vrbis, repetitis nuncijs, exposceret à Gubernatrice Orangium, efflagitante illum populo, nec alium facilè passuro: & Orangius ipse suam in eo munere fidem operamque amplissimè promitteret, Margarita inops consilij, quum intuta omnia videret, tandem ne diffidere eius virtuti, promissisque videretur, atque adeo ne in eo rerum articulo tantum virum insigni offensum repulsâ penitus abalienaret, Antuerpiæ motus componendos Orangio commisit. Eunti progressus est obuiàm ad mille passus, magno ab Antuerpia comitatu Brederodius, explosisque vtrinque militari salutatione sclopetis, coniunctо agmine processere, tantâ mortalium frequentiâ partim occursantium per vias, partim prospectantium è tumulis tectisque villarum, vt deserta à ciuibus Antuerpia credi posset: Orangio nihil propterea in speciem elato. seu pertinere id ad magnitudinem animi existimauit: seu potiùs timuit, ne apud Dominantes officeret sibi immodicus populorum plausus. Itaque hominum cateruam circa ipsum occinere incipientium Gallica Dauidis carmina, extemplo silere iussit. alijs subinde, atque alijs quamplurimis conclamantibus, Viuant Gheusij, silentium manu sæpius indixit. immo confertam pro mœnibus vrbis hominum multitudinem eadem pro Gheusijs vota maiori quàm vsquam plausu geminantium, quum frustra nutibus inhiberet, aliquanto commotior addidit, Viderent, per Deum, quid agerent: ne, si pergerent, eos aliquando pœniteret. Sed nihil contumacius, quàm quum Antuerpiam ingresso, perque vrbem equitante, multis in locis acclamatum est in hunc modum, *En qui nobis libertatem affert: en qui confessionem Augustanam affert. Non iam opus fœderatis Nobilibus habemus: hunc in posterum consectabimur: huic supplices libellos offeremus.* At ille offendi se ijs vocibus, præsente maximè Brederodio testatus, in curiam descendit; eaque nocte cum Magistratu agere instituit de populo ad obsequium reuerentiamque pristinam reuocando: de mercatoribus à discessu, quem meditabantur, abstrahendis: de turbulentis hæreticorum concionibus dissipandis. his enim cum mandatis venerat à Gubernatrice.

Sed

Margin notes: 1566 — *Trāsfertur aliò.* — *Atque à populo efflagitatur Orāgius,* — *daturque,* — *Aduentanti occurrit magna mortaliū multitudo.* — *Querit plausus, & hæreticorum acclamationes ipse cohibet.* — *Deque mali remedijs agitat.*

1566 Sed dum remedia in Senatu quæruntur, foris per eadem incrementa vigebat morbus: concionesque numquam infrequentiores quatuor hominum millibus habebantur, magno vtrique Gubernatricis mœrore, quæ crebris propterea litteris modò Senatum populumque promissionis admonebat, qua se Regi obstrinxerant, quum (ne Episcopum acciperet Antuerpia) Religionis curam se se habituros supra omnem Episcopi sedulitatem, spoponderunt: modò Orangium ob ea quibus ipse occurrerat, mala collaudabat, animabatque: simul in mentem ei reuocabat munus suum, fidem Regi, ipsique Gubernatrici in hac expeditione obligatam, aduersam de illo suspicionem multorum, cuius aut alendæ, aut profligandæ in manu esset occasio. Quum ecce nouus repente motus auocat aliò Gubernatricis animum.

nihil remittentibus per agros cōcionibus.

ob quæ Senatum Antuerp meritò increpat Gubernatrix:

& Orangiũ variè aggreditur.

NVNCIATVR Gheusios fœderatos noua moliri, eosque (circiter duo millia) conuenturos Trudonopolim, in eaque Leodiensis Episcopi vrbe deliberaturos, an arma suscepturi sint, animato vbique populo. De armis falsò nunciatum: consilium conueniendi certum erat, scripserantque ad prouincias ea de re litteras, exeunte Iunio, Brederodius, ac reliqui coniurationis Duces, conuentu ad pridie Idus Iulias indicto. Susceperat partes rei conficiendæ cum Episcopo Ludouicus Nassauius, misso ad eum Villerij Domino, vno ex fœderatis, qui & Ludouici, & sociorum nomine Trudonopolim habendo conuentui impetraret. Leodiensis, excusatis Cæsareis legibus, quibus huiusmodi cœtus per vrbes Imperij vetantur, rem totam Margaritæ significat secretis litterarum notis occultatam: simul oppidi Præfecto mandat, ne venientes admittat. Sed oppidani, metu ne illi, si prohiberentur, infensi messem corrumperent, & villas & casas per agros incenderent; Brederodium, ac reliquos sine contentione oppido accipiunt. In hoc conuentu qui medio Iulio mense cœptus, extremo absolutus est, duo agitata. Primùm, qua securitate cauere sibi deberent, si fortè Rex vlcisci quemquam eorum vellet? deinde petendum nè aliud quid esset ab Rege præter id, quod super Inquisitione, atque Edictis postulauerant Aprili mense? Et securitatem quidem postulandam esse à Margarita censuere omnes, in altero dissensere: quum alij affirmarent, nihil vltrà moliendum, impetratis ijs, quorum causâ conspirauerant: alij, quando prima succedebant, porrò pergendum, postulandumque, Ne certa populis Religio præscriberetur, sed liberum cuique foret, quam vellet, sequi. Verùm multis turpi illa sententia vehementer offensis, eòque paulatim abeuntibus à fœdere, (inter quos Carolum Mansfeldium Ernesti filium fuisse comperio) nihil certi definitum est. An verò inter hæreticos ipsos, clam ceteris, agitatum sit de ea,

CONVENTVS Gheusiorũ Trudonopoli.

SanTrudo. siue Centron.

14. Iul.

Gerardus Groisbeckius Ep. Leodien.

eã vrbem à Leodiensi Episc. petunt.

qui negat,

sed oppidanis admittentibus,

conuentus in ea cogitur.

In quo de securitate postulanda cōsensere omnes.

De libertate religionis dissensere.

Difturbandis cœtibus mittitur à Gubernatrice Orangius, & Egmontius:

quæ per Belgium fecuta eft, violatione facrarum Imaginum; à nobis in loco memorabitur. Dum hæc agebantur, Orangium atque Egmontium, qui coniuratos ab huiufmodi cœtibus absterrerent, miferat Gubernatrix: non quòd ignoraret, quantum vtrique credere deberet, fed vt ea fignificatione fiduciæ, rerumque communicatione, fibi eos deuinciret, ijfque occafionem præberet rei bene gerendæ, ideoque promerendæ Regis gratiæ. Illi Brederodium, ac Fœderatorum præcipuos ad colloquium euocant in pagum Antuerpiæ vicinum, Dufflam appellant: atque inter alia, Gubernatricis nomine eos hortantur, Ne per huiufmodi cœtus aliquid noui agitent, dum fuper ea re integrum Regis iudicium expectatur: quin potius populum in dies contumaciorem, ipfi (vti fpoponderant) pro fua apud multitudinem authoritate coërceant. Brederodius eius colloquij capita, nouem erant, litteris commiffa Trudonopolim ad focios defert: vifumque omnibus, Ludouicum Naffauium cum duodecim Nobilium comitatu mittere ad Gubernatricem, eique libellum nouem quoque capitibus conftantem offerre: quo partim fe perpurgabant adeò non timidè, vt obliuionem præteritorum, quam Gubernatrix polliceri videbatur, omnino refpuerent, dicerentque, quæ ipfi perpetraffent, prædicatione quàm taciturnitate digniora effe: partim expofcebant, vt Gubernatrix publicis litteris tum fuis, tum Procerum aurei Velleris, fecuros eos à vi armifque redderet, quæ contra eorum focietatem parari vulgò dicebantur: præterea vt Orangium, Egmontium, atque Hornanum fumma cum authoritate præficeret curandis Fœderatorum rebus, componendifque cum Rege: vt denique generalis Belgicorum Ordinum conuentus indiceretur. fic enim reftitutum iri priftinam Patriæ tranquillitatem certò fpondebant, alioqui externa remedia quamuis inuitos poftremò quæfituros. Gubernatrix perlectis in fenatu litteris, auditifque eorum, qui aderant fententijs, Ludouico focijfque (qui vulgari ioco duodecim Apoftoli dicebantur) refpondet, Septimo Kal. Septembris, Bruxellas adfuturos Equites aurei Velleris, atque vnà cum illis fuper ea re confilium inituram. Inter hæc Antuerpiam reuerfus Orangius, quum remedij nihil ea vrbs admitteret, Gubernatricem monet, follicitari fe à ciuibus, vt vrbis adminiftrationem capefferet, ad eiufque fecuritatem præfidiarios milites pro imperio adhiberet. Annuente Gubernatrice, non modò milites fcribit, fed etiam corporis cuftodes ab eadem poftulare aufus, impetrat: vrbifque Gubernatorem lætus agit, mox & Principem acturus. nimiâ profectò Margaritæ indulgentiâ, dum per hæc benefacta ftudet Orangium aut efficere, aut faltem credi Regiarum partium. Sed auxilij tamdiu ab Hifpania flagitati defperatio vt metum, ita indulgen-

Margin notes (right): 1566 — *Non multo poft.* — *SanTrud.* — *26. Aug.*

Margin notes (left): *Qui fœderatos fponfionis fuæ admonent.* — *Sed illi noua legatione à Gubernatrice multa flagitant.* — *Ipfa refponfionem differt.* — *Coërcendæ Antuerpiæ Gubernatorê fe nominari cupit Orangius.* — *& nominatur:* — *impetratis etiã corporis cuftodibus.* — *non fine concedentis culpa.*

1566 dulgentiam Gubernatricis intendebat. Quum tandem, Montinij operâ apud Regem agentis, litteræ ab Hispania perferuntur, quibus quæ tria toties popoſcerat Margarita, ea Rex omnia, ſed certis conditionibus, dabat. Nam Eccleſiaſticos Quæſitores remoueri permittebat, modò Epiſcopis in ſuas ſedes antè inductis: certum enim ſibi fixumque, Religionem nudare illorum præſidio nolle, qui eius cauſas cognoſcerent, iniurias vindicarent. Edictis Imperatorijs adhiberi placebat modum aliquem à Belgico ſenatu, ſed ab Hiſpano cognoſcendum probandumque prius, quàm prouincijs promulgaretur. Denique aiebat concedi veniam poſſe coniuratis aliiſque, ſed poſt illa duo in tuto poſita. Verùm hæc remedia ſerò proueniebant ab Hiſpania, quum iam in Belgio, mutata rerum facie, hæreticorum ac popularium furori in templa & ſacra omnia palàm inuadentium, aliâ nempe viâ occurrendum erat. *Regis litteræ annuentis petitionibus Gubernatricis; à conditionibus ingratæ; & à mora inutiles.*

ET EA quidem clades (qua profectò ſi quis repentinam Religionis iniuriam, ſi feſtinantium rabiem, ſi eorumdem paucitatem obſcuritatemque conſideret, haud facilè vllam legerit aliquando funeſtiorem) quibus è locis, quorumue conſilio importata ſit in Belgium, non aliter, quàm de cauſis principijſque exortæ ſubitò peſtilentiæ dubitatum eſt. Ego ex multorum litteris, propius vero crediderim, id malum ab Caluinianis Geneuatibus illatum eſſe è propinqua Gallia digreſſis, an vltrò immiſſis? ſic enim Petrus Erneſtus Mansfeldius Gubernatricem docuit, hæc Regem. ſic eamdem clàm admonuit Petrus Ceballius Hiſpanus vetus Centurio, Condæum Principem, treſque Colinios fratres Hugonotorum Duces, vt dominante per Belgium hæreſi, firmarent ipſi in Gallia partes ſuas; per emiſſarios quotidie ſollicitare in hiſce prouincijs hæreticos ad audendum, militemque eis & arma abunde polliceri: ac ſimilia Angliæ Reginam oſtentare Belgis. Idque cum eo congruit, quod ab Hæreticis decretum ferunt in conuentu Trudonopoli habito à Gheuſijs fœderatis, quorum in numero quum Præfectus Gallici maris, alijque ex eo regno cenſerentur, facilè inter illos de turbando per eam occaſionem Belgio conuenire potuit. Verùm ad hæc arcana accedebant alia, quæ cernebantur palàm. Namque populus partim hæreſi corruptus, partim Inquiſitionis metu anxius effuſè fauebat hæreticis, qui illud tribunal euerſum ibant. Multitudinis patrocinium libentiſſimè ſuſceperant Gheuſij coniurati, quòd eâdem labe affecti eſſent eorum multi, omnes verò eſſe ſe populi arbitros gauderent. Dynaſtæ, ac Proceres alij aliò trahebant. quæ pars Religioni ac Regi fida, ea infirmior: quæ validior, ea turbarum palàm conſcia, clàm adiutrix habebatur. Quin etiam conſtare iam ſibi ſcripſit ad Regem Gubernatrix, Orangij conſilium eſſe inter

De TEMPLORVM depopulatione. Vnde ea clades immiſſa in Belgium: Quorum externorum inſtigatione: & Belgæ cur eâ adiuuerint.

Margin: 18. Aug. (beside "dem clàm admonuit"); SanTrud. (beside "quod ab Hæreticis"); 18. Aug. (beside "re iam ſibi ſcripſit").

inter eos tumultus, Belgij dominatum inuadere, ac ſocios, inter 1566
Dies Iconomachiæ decretus. quos id conuenerat, in partem aſciſcere. Ergo peruigilio magnæ Dei Matris cælo illatæ, templorum depopulatio in Belgio cœpta
Locus. eſt, initio ſumpto ab inferiore Flandria, quæ intra Liſam fluuium,
Conditio iconomachorum. & occiduum mare protenditur. Hic homines pauci ex infima hæreticorum plebe, quibus ſe prædonum manus immiſcuerat, ad decretum facinori diem, bellum Superis moturi, non alio quàm impie-
Arma. tatis ſuæ ductu, conueniunt. Arma illis baculi, ſecures, mallei, ſcalæ, funes, demoliendo quàm pugnando aptiora: pauci ſclopis, gladijſ-
A pagis cladem ordiuntur. que muniti. Hoc apparatu tamquam emiſſæ ab Orco Furiæ, in pagos vicoſque circa Audomaropolim irrumpunt: ſacrarum ædium, *Sant Omer.*
ac cœnobiorum aditus, ſi quos reperiunt occluſos, illicò frangunt: cultores ſubita vi conſternatos fugant: aras euertunt, Cælitum ſigna deturbant, ſacras Imagines diſcerpunt: quidquid Deo, Diuiſque dicatum vident, diſijciunt, proculcant, comminuunt. inſtantibus à tergo hæreticorum anteſignanis, atque vt ſtrenuè pergerent, ac vires omnes aduersùs idola profunderent, adhortantibus. Illi ſucceſſu læti, & quoniam velitatio per agros prima ſucceſſerat, proripiunt inde ſeſe, atque vnanimi conſenſu Ipras conclamant. Nem-
Inde in vrbes. pe vrbem Caluinianis non infrequentem, & in quam, præter patrocinij ſpem, attrahebat illos odium aduersùs Epiſcopum Martinum Rithouium, virum egregiè pium doctumque, ijſque virtutibus iram hæreticorum promeritum. Quare rapido illuc curſu contendunt, aggregante paſſim ſeſe in ſpem rapinarum egentiſſimo quoque. Atque vt niuium globus è montis faſtigio præceps augeſcit nouo ſemper acceſſu niuium, inter quas deuoluitur inuoluiturque; ſic iſti nouis prædæ ſocijs ſe per viam addentibus, quo latiùs procedunt, eo maiori minaciorique agmine debacchantur. Quum-
Ipras intrant. que circum Ipras, per aliquot minores pagos volitaſſent, ipſo Aſſumptæ Virginis die, apertis ab Iprenſi populo portis, vrbem ingrediuntur, rectàque ad templum maximum, curſum intendentes,
Aedem principē depopulantur. diuiſis operis, alij ſcalis admonitis pictos templi parietes ac tabulas malleis baculiſque corrumpunt: alij cancellos, ſubſellia, ſuggeſtum ſecuribus perfringunt: alij prægrandes Chriſti Domini Sanctorumque ſtatuas proiectis funibus è ſuis loculamentis affligunt ad terram; ſacra alij vaſa diripiunt, ſacros codices comburunt, ſacris veſtibus aras denudant; idque tanta ſecuritate, tam nullo Magiſtratuum Sacerdotumque reſpectu, vt miſſi illuc publico nomine,
Bibliothecam incendunt. ac ciuitatis ære conducti viderentur. Quin etiam eodem furore ſuccenſâ Iprenſis Epiſcopi bibliothecâ, ad reliqua procurrunt vrbis templa, atque cœnobia, repetuntque quæ ante patrauerant ſce-
Sacra omnia violant. lera, & quia feliciter euenerant, maiora ſuperaddunt. Integrum diem

1566 diem ea Sacrorum direptio tenuit: populo partim attonito, nec homines illos, sed hominum specie funestas Inferorum laruas opinante: partim læto, quod reperti essent, qui semel ea perfecissent, quæ ipsi animo sæpius agitassent. Nec Magistratibus, senatoribusque maior Religionis cura fuit. siue eis subita irruptio facultatem consiliumque præripuit: siue communicati antè facinoris conscientia desides & incuriosos domi continuit: omnes certè repentinam cladem sine vlla remediorum prouisione, quod in procella ac tempestate accidit, territi ac vitabundi spectabant. Postero die aliæ sacrilegorum cateruæ vel ex composito, vel capto ex ijs, quæ Audomaropoli perlata iam erant, exemplo, imposita Lisæ oppida Meninam, Cominæum, Virouiacum, aliaque prope Cortracum eodem impetu percurrunt, atque in templis sacra omnia, quæ tractim poterant, abripiunt: cetera ferro, aut igne disperdunt. Inde fluuium transgressi per Insulensem agrum sese effundunt, Insulensibus ipsis se ad prædam aggregantibus: direptoque opulento cœnobio, Marquettam vocant, lymphati furentesque pars Duacum, pars Seclinium properant. Sed obuij Seclinienses, alijque eius viciniæ coloni, raptis vnde vnde telis, paratos sese ad propulsandam Religionis iniuriam ostendunt, nisi prædones cursum aliò vertant. Pergentes tamen illos eâdem audaciâ, ac perrumpere conantes, infestis armis vndique aggrediuntur rustici, cæsisque eorum pluribus, reliquos palantes ac trepidos fugant, multos in paludes ac flumen præcipites agunt, nonnullos velut per triumphum captiuos in oppidum abducunt. Sed quota hæc pars vltionis, quum eodem tempore, tota fermè Flandria idem bellum Deo Diuisque omnibus ab impuris Iconomachis inferretur, obsistente nullo? Enimuerò furiosæ cladis nuncius præter modum afflixit animum Gubernatricis: quæ ingenti mœrore ad Egmontium conuersa, qui eam à Sacro & concione redeuntem comitabatur in conclaue; *Audis*, inquit, *Comes, quàm læta perferuntur è Flandria, prouincia tua? Infelicem me, cui Belgium moderanti, tantam Maiestati Diuinæ, tantam Principi suo illatam videre contumeliam contingit. Tu verò de cuius præcipuè virtute, ac fide sibi Rex pollicitus semper est omnia, patieris in prouincia tibi commissa, tam immania in Deum scelera impunè patrari?* Respondenti, primam conseruando imperio curam intendendam esse: Religionem facilè dein restitutum iri; Negauit non sine indignatione Gubernatrix, æquum sibi consilium ab eo dari: quin potiùs humanis rebus omnibus præhabendum Dei honorem cultumque: qui si deseratur, malum longè grauius id esse, quàm cuiuslibet potentiæ fortunarumque calamitatem. ita sentire se, Regemque ipsum, cui nihil ante Religionem habere decretum sit. Quum ad hæc subiecisset

Egmon-

Variè affectis populo, ac Magistratu.

Noua iconomachorum manus per alia oppida:

Sant Omêr.

Menin, Commes, Veruich.

Lilla

quā Seclinienses inundant,

& profligant.

Perculsæ Gubernatricis verba ad Egmontium.

cū eoque altercatio.

Egmontius, non ita sentire eos, qui possident in hisce prouincijs 1566 aliquid, cuius iacturam timent; eâdem constantiâ respondit, Optandum quidem esse, idque multo fore consultius, Religionem pariter, ac potentiam posse retineri: sed vbi alterutro carendum sit, incolumitati Religionis ante omnia caueri oportere, cuius vnius iactura nullo vnquam aut opum, aut imperij additamento repræsentari possit. Similia his in senatu properè accito disseruit. Decretumque, vt Maximilianus Rassinghemius, qui in Gallicanæ Flandriæ præfectura Ioanni Currierio vitâ functo successerat, quamprimùm Insulas ingrederetur cum duabus cohortibus, & cum Montinij (qui tum in Hispania agebat) equitatu: redeuntemque à Sacrorum violatione Insulensem plebem non antè in vrbem admitteret, quàm armis traditis, atque in arcem comportatis. Et quamuis id consilium haud perinde probaretur Egmontio, affirmanti, si Gubernatrix iniret armorum viam, non composituram eum tumultum, nisi ducentis hominum millibus contrucidatis; non tamen illa destitit à proposito: respondítque, Satius esse, eam mortalium turbam fæcemque, si ab hæresi recessura non erat, in alias terras exigere, aut ferro delere, quàm adeo execranda patrantem flagitia tollerare: non sine metu, ne quantum bonorum in Belgio sit, improbi aliquando aut contagione inuoluerent, aut superante multitudine profligarent.

Ac sumptum pro tẽpore consilium.

Lilla

HÆC DVM in aula parantur, per Belgium nihil remittebat hæreticorum furor, sed tamquam procella modò in hanc partem, modò in illam impetu delata terrebat omnes: Antuerpiæ in primis, vbi dum Virginis cælo receptæ die (nam sub Virginis tutela viuunt Antuerpienses) simulacrum eius festa supplicatione, per vrbem sublatum humeris è templo maximo circumfertur; apparuere indicia illius mali, quod propediem secutum est. Procaciores aliquot ex opificum plebe sacram pompam cachinnis, ac sibilis primùm illudere: dein impiè inuerecundi ipsam Dei Matris effigiem ludicris salutationibus, neque obscuris verborum contumelijs incessere: ausuri & manus sacrilegas inferre, nisi facinus veriti, qui supplicationem procurabant, simulacrum non in medio, vt assolet, templo locassent, sed in Odæum properè intulissent. At postero die (nam VILISSIMO cuique crescit audacia, si se timeri sentiat) plures veniunt in templum, ac ludibundi alij ante sacellum Virginis petulanter interrogant, Quo illa metu tam maturè se in nidum suum recepisset? alij toto excurrunt templo, arisque & Imaginibus minantur. Ex quibus proiectæ audaciæ sellularius, suggestu conscenso, posteaquam Concionatorum verba ac gestus ridiculis modis sannio impurus expressisset, postulato vtroque sacrarum litte-

Antuerpiæ iconomachia.

capta à contẽptu sacræ supplicationis.

Chorus.

& à ludibrijs.

1566 litterarum instrumento, Catholicos sacerdotes in certamen vocat. Dumque aliorum plausibus, aliorum iactis ruderibus, lignorumque fragminibus excipitur, & ipse in circumstantes eadem reijcit, crescente tamquam in triuijs petulantia, Catholicus nauta indignatus hominis insolentiam, è latere suggestus irrumpit, ac scurram complexus, vt præualidis erat viribus, humi allidit. Sed ipse gliscente rixa, intentas in se multorum manus declinans, bracchio plumbeâ pilâ traijcitur: reliqui metu satellitum, quos adesse succlamatum est, è templo dilabuntur. Neque propterea cessatum in sequentes dies, quominus eòdem velut in theatrum digladiaturi conuenirent. Donec duodecimo Kal. Septembris, auctæ impiorum cateruæ templum ingrediuntur occultatis telis, quasi post leues aliquot excursiones præcedentium dierum, de rei summa peracturi. Atque expectato vespertinarum precum fine, inconditis vocibus conclamant, Viuant Gheusij. quin etiam eamdem acclamationem secum iterare ipsum Beatæ Virginis simulacrum iubent: ni faciat, plagas ei & interitum insanè minantur. Nec Ioannes Immersselius Vrbis Prætor, qui ad turbam componendam accurrerat cum aliquot apparitoribus, effecit ne non illi, digrediente populo, ac tumultum declinante, clausis interea valuis victores templum soli obtinerent. Ergo vbi se loci potitos vident, auditâ horâ diei vltimâ, addentibusque animum tenebris, ab eorum aliquo (ne scelus non rite fieret) Dauidis psalmus inchoatur ad Geneuatum modos: eoque veluti classico vnà omnes in Dei Matris simulacrum, inque Christi Domini, Sanctorumque signa, emota mente impetum faciunt: alia deturbant ad terram proculcantque, alijs gladios in latus infigunt, alijs securi caput abscindunt, tantâ in scelere concordiâ prouisuque, vt partiti inter se operas antè viderentur. Nam meretriculæ, vulgare ganeonum prædonumque additamentum, sumptis è proximis aris atque è Sacrario cereis prælucebant operantibus viris. Virorum alij in aras insilientes sacra inde vasa proijciunt, tabulas dilacerant, pictos vbique parietes fœdè conspurcant, simul alij scalis conscensis organorum molem sanè pulcherrimam, specularia nouo picturæ genere illuminata baculis confringunt: ex epistylijs, pegmatibusque ingentes Diuorum statuas reuellunt, præcipitesque comminuunt. Inter quas peruetus ac prægrande Christi Domini signum è Cruce pendentis inter duos latrones contra aram maximam, inductis funibus moliuntur ad terram, ac bipennibus dissecant distrahuntque: intactis vtrinque latronibus, quasi eos vnicè venerarentur, optarentque sibi propitios Deos. Quin etiam ausi in sacram Panis cælestis Arcam inferre pollutas manus, detractum inde Sacrosanctum Domini Corpus, adoratum illud formidatumque Cælitibus Numen pedibus subij-

& à rixis in templo maximo;

21. Aug. *quod sacrilegi exclusis alijs soli occupant,*

& cum cantu violare aggrediuntur;

fractisque sacris omnibus depopulantur.

Proh scelus!

ciunt mortales impurissimi: Pyxidem, ac reliquos è sacrario Calices vino, quod fortè reperiunt, per lasciuiam complent, exsiccantque: sacro Chrismate calceos inungunt: omnium rerum detrimenta postremò ludibrijs cumulant. Non mihi consilium est, ne conuicium hîc faciam generi humano, sed neque historiæ refert, fœdissima quæque memorare, quibus in ea Sacrorum vastatione expleuisse rabiem in Deum Diuosque sceleстissimi perduelles visi sunt. Illud profectò mirum: hæc omnia tanta celeritate impetuque peracta, vt in templo per Europam celeberrimo, amplitudine maximo, Signis atque Imaginibus refertissimo, Altaribus, quæ septuaginta circiter extabant, ornatissimo; à paucis hominibus, (neque enim excessisse centum pro comperto scribit ad Regem Gubernatrix) ante mediam noctem, quum cœptum esset vesperi, nihil vspiam integrum inuiolatumque relictum sit. Sanè si non centimani fuere, qui tam breui tam multa demoliti sunt; non absurdum sit credere, (quod aliquos tum suspicatos scio) Dæmones hominibus immistos operam in id suam præualidè consociasse, aut saltem furialem illum impetum, quo ædes locupletissima amplissimaque intra quatuor horas spoliatis Aris, disiectis Statuis, fractis Imaginibus, subuersis Sepulcris, illusis Sacris omnibus, direpta, expilata, ac deuastata est; non aliunde fuisse, quàm à præsentissimo afflatu rebellium infernorumque spirituum, qui sacrilegis hominibus opus omnium gratissimum molientibus furorem iuxtà ac vires intenderent. Præsertim quòd in ea festinatione conflictuque properantium: dum toto bacchantes amentesque templo cursitant: dum scalis in fastigia certatim enituntur: dum marmora, atque æra ab alto operosè præcipitant: dum optima quæque auidè diripiunt expilantque; nullus ex eo numero aut casu afflictus, aut ruinâ oppressus decidentium ac transuolantium fragmentorum, aut occursu collisúque festinantium cum fabrilibus armis leuissimè sauciatus sit. Haud leue argumentum (vti dicebam) præfuisse operi, Deo ita permittente, Erebi monstra, eorumque ope scelus tàm impium, quàm arduum, præcipitanter atque innoxiè, côque prodigialiter exantlatum esse.

Vide quantum templum. — *à quàm paucis,* — *quanta festinatione vastatum sit.* — *Vt meritò Dæmonũ manibus tributum sit facinus:* — *maximè sine sacrilegorum damno peractum.* — 1566 — 23. Aug.

VERVM multo adhuc plura per vrbem patrauere sacrilegi prædones, auctâ ex successu audaciâ. Raptis enim è templo funalibus foras erumpunt, solennique & tamquam triumphali carmine, Viuant Gheusij, perstrepentes, excipiuntur ab alijs, qui iuxta templum opperiebantur, ex euentu eadem ausuri. Ergo coniunctо celeriter agmine (nam præda inuitabat) proxima quæque templa inuadunt, valuas subruunt, Sacra omnia disperdunt, aut abripiunt. in Religiosorum cœnobia conscendunt, in interiores ædium partes, in apothecas penetrant, in cibaria inuolant, vino inundantur, pecu-

Ex templo egressi vrbẽ inuadunt, — *aucti'q; tẽpla ac cœnobia vrbis omnia deprædantur:*

1566 pecuniam, vasa, vestem, seu sacra, seu profana perinde auferunt: tantâ super scelus impudentiâ atque impunitate, vt profectò haud sciam, an eorum animos, qui hæc legent, indignatio subitura sit maior aduersùm nefarios ganeones, qui nullâ Dei hominumque reuerentiâ, per ædes sacras, atque aliena tecta debacchantes, templorum supellectilem, cœnobiorumque bona pro libidine consumerent, asportarentque: an aduersùm ipsos Sacrorum custodes, Religiosasque familias, quibus inspectantibus, homines abiectissimi pollutis omnia manibus violarent. Sed occupauerat cuncta vbique pauor, intempesta nimirum nocte, ac ciuitate somno arctiore capta, eòque magis exterrita ad repentinos dissonosque clamores. Itaque, vt SVBITA quæque ac incerta æstimari atrociora solent; mercatorum multi communem direptionem populationemque veriti, occludere sese, ac firmare domorum aditus: Sacrorum administri tamquam impares prædatorum cateruis, quarum paucitatem animaduertere non poterant, omissâ templorum curâ, sibi interim prospicere: nec Religiosis hominibus in ea trepidatione atque aliorum fuga præsentior animus: nec ceteris alia contra hoc infortunium, quàm contra fulmen cura, quod omnes optant ne in se ruat, nemo laborat vt prohibeat. Maximè tamen omnium perculsæ exanimatæque Sanctimoniales: quarum claustra licentiùs ingressæ nocturnæ illæ furiæ, dum obuia quæque dissipant, dum secretiora rimantur, vna salus plerisque earum Virginum fuit, sacrilegis irâ occupatis, aut in rapinam intentis, clàm fugam arripere, atque indutis vtcumque vestibus euolare ad parentum domos: factumque inde, vt rariora ex ijs, quæ nocturnas plerunque populationes flagitia comitantur, patrata sint ab illis, superante cura festinandi, continenterque omnia discerpendi. Quæ profectò festinatio tanta fuit, vt quot quot erant paulo celebriora Antuerpiæ templa ac Religiosorum ordinum sedes, ante solis ortum, complures illi greges infamium balatronum eodem furore præcipites percurrerint, violauerint, diripuerint. Quin etiam adulto iam die, quum viderent, nihil aduersùm se parari à ciuitate repentino metu attonita, catholicisque ac hæreticis æquè latitantibus: nempe quòd illi timerent sibi ab hæreticis, quos victores opinabantur: hi autem gnari referendam in se se inuidiam facti, Magistratuum iram, catholicorumque impetum vererentur: omnes verò eam vilis plebeculæ licentiam altius habere principium suspectarent; hinc sacrilegi effractarijque alieno pauore securi, luce palàm redintegrant populationem: ad templa, ad cœnobia ferociores redeunt: sacras vestes turpificatis ipsi animis corporibusque indignè ac spurcè fœdant: bibliothecarum libros butiro inunctos incendunt: in Diuorum statuas

Marginal notes: *incredibili securitate.* — *et aliorũ pauore* — *Mercatores domi se muniunt:* — *Sacrorum custodes aufugiunt:* — *religiosi latent:* — *reliqui trepidãt.* — *Sanctimoniales ad parentum domos euolant.* — *Sacrilegi verò festinant.* — *& catholicis hæreticisque mutuo metu latentibus.* — *illi Sacrorum populationem licẽtius repetunt:*

V 2 armis

armis per ludibrium indutas hastis incurrunt, ac deiectis insultant: vbique ceu victores capta non minus pietate quàm vrbe, prædas agitant. Tres ipsos dies Antuerpiæ tenuit ea Sacrorum strages,atque direptio, tam grandi iactura operum pulcherrimorum, vt non desint, qui scribant,Vnius principis templi damnum quadringentis circiter aureorum millibus æstimatum esse. Verùm inualescente suspicione, ne spoliatis iam templis, auctæ improborum cateruæ rapinarum spe, postremò inuaderent prædiuitum mercatorum domos; (vt PRO FOCIS pugnatur interdum acriùs, quàm pro aris) ciues non vltrà cessandum rati, animaduersa præsertim vilium capitum paucitate, præ foribus apparent armati,& tamquam vlturi publicam iniuriam, portas vrbis, vnà exceptâ,occludunt omnes. ex qua videlicet vna proripuit illico sese ea nefariorum colluuies, conceptamque rabiem in suburbanis pagis ac vicis, eodem genere sacrilegæ populationis expleuit.

1566

ac triduo continuant.

Expergiscuntur denique ciues:

& armati sacrilegos terrent, ac fugant.

NEC MINVS, dum hæc Antuerpiæ,iuxtàque gerebantur,iisdem planè diebus Gandaui, Aldenardæ, aliisque in vrbibus per Flandriam, quæ à Lysa ad Scaldim ac Tenaram vsque pertinet, idem perduellium furor in templa, & sacra omnia impune grassabatur. Quippe terræmotui cunctà pariter votanti, quàm contagioni paulatim per vicina serpenti similior hæc clades fuit. Siquidem eadem labes ac turbo Religionis simul Brabantinos, ac Flandros, simul Hollandos, Zellandosque, simul Geldros, Frisios, Transiselanos, simul Belgium propemodum omne, si tres quatuorue eius Prouincias, Namurcum, Lucemburgum, Artesiam,atque Hannoniæ partem excipias, miserum in modum inuoluit, ac deuastauit. Atque vt olim Tiberii Cæsaris principatu, duodecim Asiæ vrbes simul haustæ memorantur nocturno motu terræ; ita in Belgio non vrbes, sed prouincias totidem, eluctatus ex Inferorum cauernis spiritus funestauit vsque adeo subitâ, vsqueadeo ingenti strage, vt Belgium tot vrbibus, oppidis, pagis (si qua Europæ alia regio) frequentissimum, intra decem dies calamitas vniuersum comprehenderit, vel in prouincia vna Flandria, quadringentis ædibus sacris violatis, aut etiam incensis. Vt profectò non ab re Gubernatrix Mansfeldio iam crederet, eam conspirationem appellanti certissimam vniuersi Belgii proditionem, ab hæreticarum partium ducibus initam in Gallia, vnde noui Euangelii præcones proueniebant ferè omnes. eorum quippe operâ turbari Belgicarum vrbium statum, quo faciliùs, veluti confusa primo funditorum impetu acie, succederent deinde, qui debilitatas hæreticorum vexatione prouincias, inuaderent subigerentque.Neque ab hoc discrepabant,qui sentiebant Sacrorum populationem ea consensione, ea impunitate peractam,

EADEM clades eadem tempore,

Terræmotus instar,

omnes Belgii prouincias peruadit.

Ouerissel.

vix quatuor exceptis:

Tac. lib. 2. An.

strage templorũ innumerabiliũ.

præsertim in Flandria.

Opinio aliquorũ de hac iconomachia tamquã de proditione Belgii,

inita ab hæreticis cum Gallis,

tum Belgis.

Martinus Delrius in Alterat. Belg. l. 1.

non

1566 non fortuitum, neque paucorum fuisse facinus: sed antea collatum inter hæreticos, ac Trudonopoli distributum; nempe vt per eam cladem cladi anteuerterent, quam impendêre sibi ex Gallorum Hispanorumque ad Baionam colloquio metuebant. annuentibus interea Gheusianæ factionis principibus, quo citiùs à Gubernatrice per eos tumultus exterrita, quæ libello flagitauerant, extorquerent. Sanè cum Gandaui diriperentur templa atque cœnobia, continuata ad tertium vsque diem spoliatione Sacrorum, sicuti Antuerpiæ eodem tempore contingebat; superuenit à Ludouico Nassauio, atque à sex alijs epistola ad ministros, ad consistoria, & ad mercatores Belgij: (sic enim inscribebatur) qua eos monebat, vt quia reformatæ religionis causa satis videbatur in tuto esse; populi petulantiæ, turbisque opponerent sese, certos in posterum neminem futurum, qui eis in religionis vsurpatione negotium facesseret. ceterùm ei, qui epistolam redderet, fidem haberent. Is erat Ægidius Clerus, Tornacensis causidicus, cuius nomen in ea epistola notis occultabatur. Quo accepto nuncio à profanandis Gandaui templis cessatum est. Accedit ad hæc Mansfeldij Comitis cum Gubernatrice colloquium, quod illa secretis litteris Regi aperuit. Admonitam se à Mansfeldio, vt Ludouicum Nassauium caueret ante omnes: illum proditorem esse mortalium nequissimum: cum illo omnia communicare consilia ministros atque antistites hæreticorum: in illius manus comportari prædas, ac spolia templorum cœnobiorumque: atque huiusmodi instrumento hominem turbulentum ac perditum, aduersùs Regem meditari bellum. Et verò constat, Ludouicum (quidquid de sacris spolijs actum sit) concitatorem turbarum fuisse primarium: eiusque operâ Bruxellis cohiberi nequiuisse hæreticorum plebem, quin vrbe contra iussa Magistratus egressi, Viluordiam ad conciones audiendas furiosè conuenirent.

SanTrudi. lib. 4.

consentientibus Gheusiorum antesignanis.

Quod arguunt L. Nassauij in primis litteræ:

& eiusdem patrocinium iconomachis impensum.

2. Septemb.

GVBERNATRIX, audita ex omni parte populatione Sacrorum, non minus futurorum metu anxia, quàm præsentium mœrore consternata, properè senatum vocat: consuetum nempe remedium, sed plerunque posthumum & inane. Et aderant Præfecti prouinciarum, ac Proceres propemodum omnes, præter Philippum Croium Areschoti Ducem, & Carolum Brimæum Comitem Meganum: excusata ab illo valetudine, ab hoc suspicione insidiarum. Quum Margarita in hæc ipsa verba (quæ ad Regem litteris misit) orationem habuit, suggerente vim authoritatemque dolore, atque ingenita nobilitate. *Quo sit loco res Belgica, paucorum hominum scelere, nos intuemur, absentes audient, posteri mirabuntur, ingenti cum meo, vestroque dedecore. Scio equidem mihi pleraque tributum iri: nam & CALAMITATVM fasti nominibus Principum notantur. Vos tamen*

SENATVM aduocat Gubernatrix.

Areschot. Megan. 27. Aug.

& in ea verba hæc fatit.

tam

tam multa domi forisque praeclara gessistis, vt vestra iam nomina latere nequaquam possint. Nec ita mihi traditum est vnicè Belgium, vt vos in eius partem administrationis curarumque adsciti non sitis. Vobis & Praefecturae prouinciarum, quibus impositi estis: & aurei Velleris ordo, cui nomina iurati dedistis: & ciuium Regi subditorum fides, in queis principem locum tenetis; onus profectò multiplex tutandae amplificandaeque regiae ditionis imponunt. Et tamen in vestris hisce prouincijs, vobis inspectantibus, sacra Dei Caelitumque templa, quae vetus Belgarum Comitum religio fundauit, quae Maiores vestri, vosque ipsi victoriarum vestrarum Insignibus exornastis; ab sacrilegis impijsque perduellibus barbarè incensa, ac profanata: violata Maiorum vestrorum sepulcra: vestri ordinis vetustissimae multis in locis Statuae, familiarumque Signa confidentissimè disiecta, proculcata, comminuta sunt. Vt omittam sacras Deo Virgines, expilatis earum gynecaeis diuexatas: Religiosos quosque ordines, Sacerdotesque, ad ceteras contumelias, ex suis sedibus, ex vrbibus ferociter exturbatos. At quod genus hominum tempestatem hanc tantam Belgio conciuit? quàm infima populi fex, quàm viles abiectique nescio qui transfugae Religionis? truculenti scilicet aduersum timidos, mancipia quàm ignauissima si in Dominos incurrant. Pauci Seclinienses ac rusticani, armis fortuitò indutis, permultos ex hisce Sacrorum populatoribus deleuerunt. Vnus homo hesterna die non nè conglobatos aliquot ex hoc numero proditores ad vrbis portam, arrepto hastili, protinus à sacello, cui minari videbantur, immo etiam ab vrbe longiùs abegit? Vos pestem hanc impune grassari, conuelli statum tranquillitatemque ciuitatum, Sacrorum religionem ante oculos vestros labefactari, externisque hostibus per haec turbamenta sterni viam patiemini? Quid, quòd haec patrari scelera nonnullis vestrum non modò non repugnantibus, sed etiam conscijs iuuantibusque vulgò circumfertur? Non ignoro, voces huiusmodi spargi à sceleratis hominibus, quo bonos ciues in vindicanda Religionis iniuria segniores efficiant: meque ipsam magnis fortasse nominibus deterritam ad iniqua eorum postulata quoquo modo admittenda compellant. Sed existimationem vestram quid deceat, vos videritis. Quod ad me attinet, persanctè iuro, non me cuiusquam minis adductum iri, vt in hisce prouincijs cum veteri orthodoxaque Religione nouitia istorum figmenta componam. Immo si Rex ipse, cuius ab nutu pendeo, in Religione pro arbitrio consectanda Belgis indulgeret, (quod ab illius animo quàm alienum sit, ignorat nemo) illico pedem è Belgio referrem, ne ipsa forem huiusce interpres indulgentiae atque administra. Quod si hìc armis iniectaque vi (quod audio vanè interminatos) attinerer, testor Deum, caedi me dilacerarique in frusta potiùs, quàm ritus catholicae Fidei contrarios esse passuram. Verùm ne haec eueniant, agite, oro vos, Proceres, pro vestra & in Deum Religione, & in Regem fide, 1566

1566 *fide, & in Patriam caritate. Et quoniam aduersùm perditos homines mitiora non valent, seque Nobilium fœderatorum patrocinio tutos arbitrantur; vim atque arma, quod mihi sæpenumero polliciti estis, quodque iampridem factum oportuit, aliquando comparemus. Vt quum Rex aderit, aderit autem breuì, pacatas inueniat vestra ope prouincias: nec minus virtutem vestram Regia liberalitate, quàm aliquorum perfidiam seuera animaduersione compenset.* Hæc Gubernatricis oratio pro cuiusque ingenio valuit: & studia, quæ reperit in singulorum animis, auxit, noua non inseruit. Itaque Comites Mansfeldius, Arembergius, Barlamontius, fidissimi quique Regis causæ, obtulere peralacriter in id operam suam: Egmontius, Orangius, Hornanus, alijque complures aduersùs arma disseruere. Quorum sententiam confirmare visus est numerus hæreticorum supra quindecim millia Bruxellis agentium, quos armis irritare haud tutum videbatur in præsentia. Sed præcidit eam altercationem Gubernatrix: omissaque à sermone, non ab animo armorum mentione, (statuerat enim apud se ab armis consilium petere) de componendis alia ratione turbis, sententias rogauit. Fuitque eo ac postero die, hæc consultationis summa. Obliuionem præteritorum, securitatemque in posterum Gubernatrix offerret: modò fœderis chyrographum (compromissum vocabant) ipsi antè comburerent, seque catholicæ Religionis cultores, ac fidos Regis subditos perpetuò futuros iureiurando pollicerentur.

Ex oratione Gubernatricis varij senatorũ sensus: *promptis alijs ad arma,* *alijs ea incusantibus:* *ab omnibus omissa altercatione, factũ est hoc senatus cõsultũ.*

SED IN his conficiendis Margarita moras nectente, quasi adhuc ambigua; gliscebat in horas turbulentorum hominum vis, agitatique seditionum vndis etiam quietos impellebant. Audiebanturque voces, instigante Ludouico Orangij fratre, Nisi fœderatorum Nobilium securitati caueretur à Margarita: nisi liber cuique aditus pateret ad conciones: ac sua nemini Religio fraudi foret; Gubernatricem suismet oculis inspecturam esse templorum, quotquot Bruxellis essent, incendia, Sacerdotum cædes, suam ipsius captiuitatem. Quæ quoniam palàm verbis, occultè re intentari dicebantur, Margarita Bruxellis clàm egredi, Montesque Hannoniæ in vrbem inferre se statuit: partim ne stragem sacrarum Imaginum spectare Bruxellis cogeretur, partim vt tuto in loco ad iniquas conditiones pertrahi non posset. Verùm dum Orangius, atque Egmontius, quibus insalutatis abeundum illa sibi non putauit, huiusmodi consilium pluribus dissuadent, re Bruxellis euulgata, ciuium alij portas vrbis occludere, alij Gubernatricem supplices adire, orareque, Ne per eam fugam sceleratis hominibus augeret audaciam, fidamque ciuitatem huiusmodi notâ quasi coniurationis consciam apud Regem damnaret. Nec ideo à proposito illa mouebatur.

Ghensiorũ mina in Bruxellensem vrbẽ & Gubernatricem. *Quibus ipsa perculsa Bruxellis abire cogitat.* *Mons.* *Sic illa ad Regem scribit. 28. Aug.* *sed precibus ac vi retinetur.*

tur. quamuis ei relatum esset à viro primario, de ea profectione 1566
non sine Orangij querelis. differentem in aula Orangium inter alia dixisse: Id si perageret Gubernatrix, remque publicam ea ratione desereret; nolle se oppidis, fortunisque suis per cuiusquam iniuriam spoliari: & Flandriæ quidem commodè potituros finitimos Gallos: Artesiæ verò Hannoniæque iampridem eosdem se se profiteri candidatos: reliquis autem prouincijs Dominos non defuturos. Sed eam multo plus impulit *Crescũt interea minæ in Gubernatricem.* qui Bruxellis increbuerat rumor, Per Gubernatricem stare, ne Gheusiorum postulatis indulgeretur: posse illam omnia per sese, accepta à Rege facultate, quibus videatur conditionibus, tumultus Belgicos componendi: si persistat obtendere ab Hispania responsum, atque huiusmodi ludificationibus moras trahere; paratos esse, qui Gubernatrice capta, vnà cum Viglio signatorij annuli custode, atque ipso Egmontio, vi extorqueant, quod modestiâ nequiuissent. *Virleus Viglius* Quæ talia licet vanas hæreticorum minas suspectaret initio Gubernatrix, atque Egmontium callidè nominatum, vt ipsa *qua egredi prohibita,* coniuratis infensum haberet: vbi tamen id affirmari vidit à multis magnam rerum desperationem præseferentibus: tentato iterum *et metu correpta remittit aliquid Gheusijs fœderatis.* egressu, prohibitaque, superante iam metu statuit ad extremum, fœderatis aliqua remittere, quæ Regi post alia narrat in hæc verba. *18. Aug.* *Addenti nunc mihi, quæ postremò fœderatis concesserim, indigna proposito* *& Regi scribit,* *meo, indigna religione Maiestatis tuæ; animum profectò exedit dolor,* *quas ob causas id fecerit:* *atque ora suffundit rubor. Deum testor animæ conscium meæ, sæpe multumque restiti, noctes complures insomnes duxi, etiam febri ac doloribus diuexata: tandem, quum super templorum populationes vndique auditas, atrociora impenderent huic vrbi: quumque palàm mihi caneretur à multis, finem non habituram Sacrorum stragem, nisi fœderatis, quæ duo peterent, indulgerem; obsessa domi, ægra animo, corpore decumbens aduocatis ad me Orangio, Egmontio, atque Hornano, testata consensum* *quidque indulserit.* *illum vi extorqueri; veniam, securitatemque fœderatis asserui: reliquis verò potestatem feci suorum conciones audiendi, in ijs tantummodo locis, in queis habitæ fuerant ad eum diem: modò inermes, nec infesti Catholicis conuenirent. addidique, hæc duo tamdiu permitti, quamdiu Rex, assentientibus Belgicis Ordinibus, permissa voluerit. Vtrumque autem non Maiestatis tuæ concessi nomine, sed meo: vt liceat tibi quum libue-* *Indulgentiã tamen suam ipsa damnat:* *rit, illa rescindere, integra fide: nempe quam nec ipse obligasti, & malè obligatam à me tueri non debes, &, vti spero, noles. Immo te ego, Po-* *Regemq; orat, ratam ne habeat;* *tentissime Rex, per illud, quod tibi vita carius est, defendendi Catholici nominis studium, oro atque obtestor, vt quamprimùm, non expectata verni temporis opportunitate, vltum ipse venias afflictæ Religionis iniurias:* *immo Religionis iniurias vltum veniat.* *quæ in te dolenter vniceque conuersa, ab ista demum dextera, fide imperioque præstante, malis non alioqui cessuris remedium expectat. Equidem,*

nisi

1566 *nisi hæc mihi spes vna superesset; haud dubiè vita, quam in miserum hunc modum traho, me breuì desereret. Si tamen spes hæc ipsa diutiùs arcere à me poterit supremum diem.* Hæc illa quamuis dolore victa ad Regem secretò scriberet, tamen haud palàm mœrori muliebriter indulsit. quin publico intenta, nominatoque Comite Mansfeldio, qui Bruxellas vicario munere gubernaret: atque aduocato in vrbem nouo equitum ac peditum præsidio, armatâque aulâ; nihil omisit ad sui, vrbisque custodiam. Et verò re ita composita cum Fœderatis, paulum ab ea trepidatione respiratum est. Namque illi Gubernatricis in verba, qua antea diximus, ratione iurati operam suam præstitere, ne quid eo ipso die (quod moliebantur) aduersùs templa tentarent Gheusij; quin etiam reuersus Antuerpiam Orangius, tribus è Sacrorum violatoribus suspendio, totidem exilio mulctatis, aperto principe templo, iussisque in eo Sacerdotibus ritè operari, atque ad populum tutò dicere; Gubernatricem non mediocriter

Ipsa interim vrbi & sibi cauet.

& respirat mutatis paulum rebus.

Opera fœderatorum Bruxellis:

& Antuerpia Orangij opera.

3. Sept. exhilarauit: nisi quòd in ea, qua hæc narrabat, epistola, inclusis geminis libellis traditis sibi à Germanorum natione poscentium in vrbe templum aliquod exercendæ confessioni Augustanæ percommodum; imminuit Gubernatrici gaudium. præsertim quòd vno

4. Sept. pòst die, ex alijs Orangij litteris cognouit, potestatem ab eo atque à senatu Antuerpiensi factam hæreticis, conciones in vrbe, reliquosque Lutheri & Caluini ritus celebrandi, tribus propterea locis attributis. Cuius facti rationem Margaritæ, quæ peracriter querebatur,

qui postea stipla hæreticis attribuendo offendit Gubernatricem.

cui facti causas exponit:

4.5.7. Sept. exponens tribus continenter litteris Orangius affirmat, Ægrè se quidem cum hæreticis consensisse, sed adductum ob causas; primùm quo sacris ædibus cultus, & cultoribus securitas restitui posset: deinde quòd, quum non pauciores viginti hominum millibus ad conciones egrederentur; magnopere timeret, ne in vrbem redeuntibus associarent se homines facinorosi, rapinarumque cupidi, ac prædiuitum mercatorum domos, multitudine superante, diriperent: postremò quia conciones Antuerpiæ iam habuerant hæretici, eòque nihil aduersùs conuenta peccatum erat, locis ad eas in vrbe constitutis. Non ideo tamen factum Gubernatrici probauit Orangius, siue quòd illa facilitatem suam agnosceret, ac reprehensionem timeret in aliena culpa: siue quòd re vera Orangius attribuisset hæreticis adhuc plura, quàm per conuenta liceret: quibus in conuentis conciones quidem intra vrbem, non tamen Baptismus, Matrimonium, ceteraque hæretico ritu ministeria permittebantur. Quæ dum obijcit Orangio Gubernatrix, monetque hominem, vt factum corrigat; audit Hochstratanum, Hornanumque Comites exemplum

nec satisfacit.

Ant. Lalinius Hochstrata Com. 8. Sept. Antuerpiæ secutos esse, Mechliniæ illum, hunc Tornaci: reprehensique à Margarita rationem sui reddidere ambo; Hochstratanus qui-

Idem peccatur Mechliniæ, excusante se Hochstratano.

X dem,

dem, Quòd non aliter potuisset à se modum imponi perbacchanti populo, quem eo ipso die, quo vrbem intrauerat, reperisset templa omnia furiosè spoliantem: Hornanus verò (quem culpæ idcirco propiorem arguit apud Regem Margarita, quia quum Tornacum vltro sibi popoſciſſet, impetraſſetque certis cum mandatis, ex quorum præſcripto rem gereret; ijs nequaquam paruiſſet) vrbem culpauit tam multis refertam hæreticis, vt ex quinis eius partibus, vix vna Catholicis ſupereſſet. Sed peiora his audit patrari à Traiectenſibus ad Rhenum: & adhuc grauiora à Buſcoducenſibus. quorum illi arcuerant Catholicos à templis: hi etiam Epiſcopum ab vrbe. Nec multo pòſt Antuerpiæ trecentos è plebe arreptis armis cœnobium Franciſcanorum aggreſſos, eius potiundi ſpe; accurrente illuc Orangio cum militum globo deterritos fuiſſe, ſcribit ipſe ad Margaritam. Felicius tamen ſcelus idem ceſſit Amſtelodami: vbi homines pauci ex vltima hæreticorum fæce, ſed multorum ac potentium ope ciuium ſubnixi, templum domumque Franciſcanorum ſubitò ingreſſi, fractis diſſipatiſque Sacris omnibus, lapidatione ac fuſtuario abire inde coactâ Religioſorum familiâ, ſaucijs vrbis Conſule, ac primario ſenatore, qui ſeſe oppoſuerant; cœnobium victores obtinuere. Quo tempore memorandum edidere facinus mulieres Amſtelodamenſes. Dum enim ſacrilegi in reliqua vrbis templa inſanè decurrunt, inchoatâ ſemel victoriâ vſuri; eorum pars ædem irrumpit ſacroſanctæ Hoſtiæ miraculis per ea loca celebrem. Irruenteſque, ac manus ipſas in cæli Panem intentantes, inſurrexere virili animo feminæ, quæ aram plurimæ circumſtabant, certæque antè commori, quàm ſcelus illud execrandum ſe coram pati, quà minis, authoritateque (erant enim primariæ illarum aliquæ) quà vi, clamoribuſque, nefarios balatrones inopinato occurſu perterritos non modò ab aræ contactu, ſed etiam à templi foribus abſtraxere. Dignæ profectò conſcientiâ, & commendatione poſteritatis niſi fortè earum præconium, virorum conuicium videri poſſit. Sed quantum laudis meruere Amſtelodamenſes, tantum dedecoris eidem generi mulieres attulere Delphis, quæ vrbs eſt in eadem Batauia. Etenim earum complures, haud dubio Dæmonum inſtinctu actæ, communicato inter ſeſe conſilio, repentè bacchantium ac furentium ſimiles, Franciſcanorum templum vnà inuadunt, Diuorum imagines, ac ſacram in aris ſupellectilem pari celeritate ac rabie perfringunt, atque proijciunt. Inde furiali inceſſu cœnobium irrumpunt, tantoque impetu, velut emiſſæ ab Inferis Eumenides, loca omnia percurrunt, populanturque, vt Franciſcani omnes, inſolita perbacchantium ſpecie territi, & cædis principium rati (quippe rumor percrebuerat, intra biduum triduumue ſacerdotes

Catho-

Margin notes: 1566 — *Idem Tornaci. Hornano quoque ſe purgante.* — *Idem Traiecti.* — *Idem Buſcoduci.* — *Vtrecht.* — *Bõldue.* — *16. Sept.* — *Franciſcani ab hæreticis periclitantur Antuerpiæ:* — *17. Sept.* — *domo eijciuntur Amſtelodami.* — *Pium Amſtelodamenſium feminarũ facinus.* — *At feminarum Delphenſiũ impium.*

1566 catholicos interfectum iri) partim fugâ, partim latebrâ sibi consulere coacti sint. Sio esse, qui non mulieres id ausas affirment, sed viros muliebri veste occultatos. Huiusmodi tamen facinora à Batauis mulieribus patrari potuisse, non abhorret ab earum supra viros audacia: & patrata tunc esse, Gubernatrix haud incallida rerum indagatrix asseuerauit. Quæ, dum complura huius generis portenta *Remediū expo-scit Gubernatrix à Rege, sed armato.*
27.Sept.10. et 16.Octob. sigillatim, multisque complexa litteris Regi denarrat: ac lamentatur rerum infelicem statum, cui nulla superesset vlterà remedij spes, nisi ab Regis præsentia; illum orat obsecratque: Vt, si saluam rem Belgicam velit, moras præcidat omnes, exemploque Caroli Patris, qui summa hieme per Galliam properauerit in Belgium,
1539. Gandauū vt vel vnam ciuitatem tumultuantem pacaret; armatus ipse in summo ciuitatum omnium periculo cum exercitu aduolet, contumacibusque prouincijs iure belli subactis, vti Gandauum subegerat Pater, eas leges imponat, quas victor atque vltor volet. Et iam
14. & 24. Rex alijs Margaritæ litteris ad arma animum verterat. Itaque binis earum fasciculis mense Augusto Segouiâ missis, quantum militum, quo loco, quaque pecunia legi oporteret, illam admonet sigillatim. In prima tamen epistola, antequàm consilium armorum ex- *& Rex post communicatā lætitiā ex nata filia.*
12.Aug. plicet, certiorem facit de Reginæ partu, quæ filiam biduo antè in lucem ediderat, lustratamque sacro fonte à Pontificis Nuncio Ioanne Baptista Castaneo, qui postea Vrbanus Septimus dictus est, Claram Isabellam Eugeniam appellauere. primum sibi nomen vendicante Diuæ natali die, alterum Isabella mater imposuit, tertium honori datum est Toletani Antistitis martyrisque, cuius sacrum corpus auectum ex Gallia suis gestauit humeris Philippus Rex, quo die vxorem vtero ferre animaduertit. Atque hæc est Isabella, quæ sicuti flagrante tumultibus Belgio nata; ita dein Alberto Rodulphi Imperatoris fratri nupta, Belgij & prouincias, & tumultus dotales habuit. His autem officijs breuiter cum sorore transmissis: ei præcipit, tria millia equitum, peditum verò decem millia scribenda curet in Germania: eosque duorum mensium stipendijs solutis, paratos habeat, si accersendi sint in Belgium. Ex his equitibus, mille Erico Duci Brunsuicensi legendos regendosque tradat, quingentos Philippo eius fratri, ducentos quinquaginta Ioanni Barniso, reliquos Ioanni Valharti. Pedites in vexilla tria atque triginta distribuat, quorum decem Comiti Ioanni Nassauio Orangij Principis fratri, totidem Comiti Othoni Oberstenio, octo Tribuno Grembembergensi; quæ supersint quinque Centurioni Valdersongio committat. Ad horum autem singulos litteras delati muneris testes Gubernatrici Rex mittit: simulque trecenta nummûm aureorum millia, quos ipsa diuidat partim in hosce militum Ductores,

Clara Isabella Eugenia.

armorū consiliū probat.

Docet, quot legēdi & quibus ducibus.

Ad quos litteras patentes mittit:

& ad Gubernatricem pecuniā:

partim in alios, ſi aut plures, aut alij, nominatorum loco, legendi 1566
videantur. in quem vſum pura aliquot folia Regio munita nomine
& Principibus Germanis rationem reddit apparatus bellici, adiungit. Denique, ne quis Germanorum Principum eum copiarum
apparatum ſecus interpretaretur; ad illos quoque conſilij ſui rationem ſcribit, miſſis Gubernatrici litteris. Præcipuè verò Maximi-
præcipuè Cæſari. lianum Cæſarem & epiſtolâ, & verbis Oratoris apud illum ſui, rem
ipſam docet: rogatque pro ea, quæ inter illos intercedit, amoris ſanguiniſque coniunctione, iuuet authoritate ſua eum militum, Du-
qui diſſuadet arma: cumque delectum. Sed Cæſar, quia inaudierat, inter Gubernatricem
& Nobiles fœderatos iam conueniſſe; laudato conſilio, arma delectumque diſſuaſit: ſiue ne ijs militibus ſpoliaretur ipſe aduersùs
& ſequeſtrū concordiæ ſe offert Gubernatrici, imminentia Turcarum arma: ſiue decorum putauit, ſe arbitro aliena pacari. Itaque Gubernatrici perſcribens, operam ſuam vltrò 13. Octob.
pollicitus eſt, ſi quid componendæ adhuc diſcordiæ ſupereſſet. ſi-
& fœderatis. mulque ad fœderatos litteras dedit in hanc ſententiam. *Magna ſe affectum eſſe moleſtia, audito illorum cum Gubernatrice diſsidio, ſecutiſque inde populorum motibus. qui quòd in finibus Imperij, quòd in dominio Patruelis Regis, quòd in amiciſsimis prouincijs eueniſſent; exiſtimaſſe ad Imperatorem pertinere, opera authoritateque ſua populorum obedientiam Principi aſſerere. Sperare autem eum conatum Catholico Regi non ingratum, ſalutarem quidem certè fœderatis futurum; ideoque illos monere, ne quid interim noui pertentarent, populoſque à turbis pro debita Regi fide coërcerent.* Hanc porrò Imperator Epiſtolam, aliaſque Orangio, ac nonnullis Proceribus ſimili argumento ab eodem ſcriptas, ad Gubernatricem miſit, quas ipſa perlegeret, & ſi ex vſu eſſent, reddendas curaret. Sed Gubernatrix, miſſis ad Regem ha-
ſed Gubernatrix operam Cæſaris orat in delectu militum, rum omnium litterarum exemplaribus, reſponſum aliquandiu expectauit: donec gliſcentibus quotidie turbis, iuſſa iterum ab Rege parare externum militem, actis Maximiliano Cæſari gratijs oſtendit, eò iam ventum eſſe, vt armata cum factione nihil componi tutò poſſit abſque armis. Quamobrem expeditis Regis litteris ad Imperij Septemuiros, alioſque, & eos in primis, à quibus legendi erant milites, Cæſarem obſecrat, vt quam operam benignè obtulerat in Belgio, dignetur eam apud Germanos Principes, militumque du-
& impetrat plus quàm orat, ctores nunc certè opportuniùs Regique gratiùs adhibere. Et Cæſar quidem non id ſolum præſtitit, ſed vetuit etiam edicto, voluitque capitale eſſe, ſi quis Germanorum militatum iret aduersùs Regem.
Orangio ægrè id ferente, Quod quàm ægrè tulerit inter omnes Orangius, quamuis cetera callidus tectuſque, aperuit ſuper menſa, denudante ſcilicet vino animi ſenſa. Inuitatus enim à Greſſerio Reginæ Anglorum procuratore, poſtquam mero incaluit; inuehi magno cœpit impetu in
ac minante. Imperatorium edictum; *Falli Cæſarem, Regemque, falli quot quot pro*

Rege,

1566 *Rege, pro Cæsare sentirent: non solos Germanos arma induere, esse multas iuxta fines Imperij nationes: non defuturos Danos, non Suecos, non alios, qui fœderatis Belgis opem ferre possent ac vellent.* Hæc iracundè minantem cantiuncula sub finem epularum ad numeros dicta leniuit. At verò litteris, quas dicebam à Rege, atque à Gubernatrice scriptis ad Germaniæ Principes, variè ab ijs responsum est. A Treuirensi quidem, & Moguntino Septemuiris, Magnopere sibi probari consilium Regis aduersùs rebelles, & Religionis catholicæ perturbatores: seque in ea re operam quoque suam posituros, vti bonos finitimosque Principes, & Imperij custodes, & societatem professos Maiestatis eius. Ideo permissuros se, sua per oppida iurisdictionesque liberum iter ijs militibus, qui ob eam causam, assentiente Cæsare, contraherentur. Similia his reliqui per Germaniam catholici Antistites respondêre. Addiditque Bauariæ Dux, Huiusmodi turbis, ceu pesti ciuitates exedenti, occurrendum esse omnium armis: Regemque, ne quid omitteret in ea cura, etiam animauit. Longè his contraria ab hæreticis Principibus scribebantur. Nam & Hassiæ Regulus, & Dux Virtembergensis excusata Religione, qua Belgis eamdem profitentibus nocere impediebantur, Gubernatricem hortati sunt, vt depositis armis, ab Augustana confessione, atque à conscientiæ libertate remedium vnicè quæreret. Omnium tamen confidentissimè longissimèque scripsit Palatinus Comes, Fridericus Tertius, qui se noui tutorem Euangelij per Germaniam venditabat. Non enim solum Belgarum causam apud Gubernatricem egit, atque eorumdem innocentiam commendauit; sed execratus Romanum Pontificem, cultum sacrarum Imaginum, Inquisitorum tyrannidem, ad extremum confecit, obligari se religione, quo minus fratribus suis confessionem Augustanam, purumque Dei verbum purè sectantibus aduersaretur. Neque hoc contenti Hassus ac Palatinus, etiam persuadere conati sunt Brunsuicensi Duci, ne se bello, quod Religionis causa susciperetur, implicaret, oblatumque regendorum munus equitum ne admitteret. Admisit is tamen: nec quisquam aliorum, qui inuitati sunt à Rege Ductores militum, subtraxere se oneri, præter Ioannem Nassauium Principis Orangij fratrem. Nec minus in Gallia Carolus Rex, rogatu Gubernatricis, infensum se huiusmodi turbis ostendit, edicto proposito, Ne quis suorum tueretur armis partes rebellium Belgarum: memor, vt opinor, mutuæ opis apud Baionam decretæ. accedente præsertim metu, ne superantium in Belgio hæreticorum eluuie Gallia inundaretur. Certè ad eum plenas gratiarum litteras Philippus dedit: simul Gubernatricem admonuit de aduentu suo, quo iam adornato, nihil deesse, nisi vt ex tertiana, qua diu laboraue-

Reliqui per Germaniā Principes variè respondent Regi.

Treuirensis, & Moguntinus cōsiliū Regis probāt, & transitū militibus offerunt.

Idem & alij catholici:

& Bauarus in primis.

Contrà Langrauius, alijque:

Lãtgrauius Hassiæ.

& maximè Palatinus.

11. Nouēb.

Carolus IX. Rex.

Rex Carolus causam tuetur Hispani Regis.

1565.

qui grates Gallo scribit.

1. Octob.

& Gubernatrici aduentū suum.

raue-

rauerat, conualesceret: quamquam ne hoc planè expectaturum se, sed è vestigio Mantuam Carpetanorum petiturum, vt inde compositis rebus, spreto quocumque vitæ periculo, Belgium proficiscatur. Is verò nuncius quia occultis etiam litteris Bergensis Montinijque Legatorum scribebatur ab Hispania, credi cæptus est. 1566 *Madrid.*

CONVENTVS Procerum arcanus Teneramundæ.

TVRBATIS propterea multorum animis, Princeps Orangius, Ludouicus eius frater, Comites Egmontius, Hochstratanus, Hornanusque, Teneramundam oppidum inter Antuerpiam & Gandauum conuenere, quid singuli de aduentu Regis accepissent, communicaturi, capturique inde de rei summa consilium. Is autem conuentus, quamquam secretò indictus, secretò coactus, non tamen fugit Gubernatricem singula in dies anxiè suspectantem. Atque, vt SVSPICACI sub Principe gliscit exploratorum numerus, ita non defuere hoc genus homines, arcanorum captatores, ærus catoresque, & quorum vitæ compendium est, SCIRE ac nesciri; qui secreta consultantium dicta, decretaque in eo cœtu omnia penetrarunt. Et quantum se indagasse scribit ad Regem Gubernatrix: multorum ab Hispania litteris in illo conuentu prolatis, confirmatum est, incensum irâ Regem ob templorum depopulationem decreuisse, armatum prouincias adire, pœnas exacturum ab ijs, qui scelus aut admisissent, aut dissimulassent. Addebatur ex aliorum litteris, turbarum omnium conscios fautoresque in aula decantari Orangium, Egmontium, atque Hornanum: ideoque hæc præcipuè capita respicere Regis iram. Eodem argumento lectæ sunt Francisci Alauæ Oratoris Hispani apud Carolum Nonum litteræ, quæ Parisijs scriptæ ad Gubernatricem, interceptæ ferebantur. In ijs certior fiebat Gubernatrix de aduentu Regis, valido cum Hispanorum Italorumque exercitu: deque nouo fœdere, quod cum Carolo Philippus icerat: quo faciliùs in rebelles, inque Proceres quatuor animaduerteret, hoc est, præter Triumuiros iam dictos, in Petrum Ernestum Comitem Mansfeldium, vt ipse se audiuisse à nonnullis aperuit Gubernatrici. Quæ fictanè callidè sint à coniuratis, ad sollicitandos populos, veniæ desperatione irritatos: an verè ab Alaua, atque ab Hispania perscripta; in medio ego quidem relinquo: certè hoc Regi significans Gubernatrix negat de litteris ab Alaua missis interceptisue, vti dicebatur, adhuc se quidquam certi comperisse. Mansfeldio autem affirmauit, esse illum Regi quàm carissimum, à cuius partibus vt abstraheretur, ea nimirum figmenta spectare. Ergo, quum iam ex multorum litteris constare de Regis aduentu videretur, consultatum est in arcano illo Procerum congressu, quo modo Principi cum exercitu venienti præcludi posset aditus in Belgium. Quumque hinc variæ monstrarentur resistendi

In quo nescienti omnia Gubernatrice.

conferunt in cōmune litteras de Regis ira vltionē adornantis. 12. *Nou.*

in tres Belgarū Proceres.

addunt & quartum,

sed falsò, & callidè.

12. *Nou.*

Dubitāt, armis nè arceant venientem Regem,

viæ:

1566 viæ: inde bellum longè impar eorum viribus formidaretur: nec deessent, qui credendos sese clementiæ Principis existimarent; contra tamen plerisque illorum visum est. *an admittant.* variantibusque sententijs in eo conueniebant, Arcere Principem ab ingressu prouinciarum, certæ id esse contumaciæ, incertæ victoriæ: *vtrumque periculosum.* admittere, periculo propius videri. eò enim offensiones iam processisse, vt EXTREMÆ dementiæ sit, sperare clementem, quem iratum armatumque suscipias. Aut vertendum igitur solum, vacuamque victori patriam relinquendam, aut nouum in eam Dominum, sub quo tuti viuerent, inducendum. *Mutare Dominũ decernunt.* Hoc postremum verò optimum videri: occasionemque in promptu esse, si quoniam Maximilianus Imperator operam suam obtulit componendis hisce discordijs, per speciem eius arbitrium deposcendi, clàm interim agatur, vt in Cæsaris manus hæ demum prouinciæ deuoluantur. Id verò & minus expositum contumaciæ: neque enim abigi à se Dominum, sed mutari, præsertim non extra domum Austriacam quæsitum. & hoc inde commodi secuturum, vt aut nouum Principem sponte accersitum demereantur, aut si fortè res successu careat, conatus ipse Cæsarem Belgis deuinciat, eorumque patrocinium apud Philippum Regem numquam ille deserturus sit. His in hunc modum agitatis Teneramundâ discessere solliciti suspensique, in primis Egmontius: qui siue vt causam suam plurium accessione firmaret, siue vt incertus animi exploraret amici hominis sententiam, Mansfeldio scripsit

9. Nou. epistolam: qua reuocans illi primùm in memoriam, quid sub initia turbarum ipsi agitassent; queritur, quòd immeritò ille se ab eorum amicitia secreuisset. *Egmontij epistolæ ad Com. Mãsfeldium summa* deinde Gubernatricem accusat inconstantiæ in ijs seruandis, de quibus ipsa fœderatique conuenerant. quin etiam eamdem Regi authorem esse, vt huiusmodi acta quasi non libera quàmprimùm rescindat, ideoque huc sese armatus ostendat, deque seditiosis ac rebellibus formidandum posteris supplicium aliquando sumat. Denique certiorem illum facit, constare sibi ex multorum litteris Teneramundæ collatis, Regi in animo esse, abscissis quatuor Procerum capitibus, (in ijs Mansfeldium ipsum numerari) ceteros in officio continere. Ad extremum addit, pergratum fore, si super ijs rebus, quid sibi consilij capiendum sit, ex eius litteris condocefiat. Hanc epistolam Egmontij vbi legendam Gubernatrici Mansfeldius secretò dedit, eidem ostendit eâdem fide, quid homini ipse responderit. quod hoc demum erat. *De se queri posse meritò neminem, quum à principio non alia ratione cum eo alijsque consensisset, nisi quia videbatur Religionis ac Patriæ interesse, si & Cardinalis Granuellanus Belgio moueretur: & sublato Quæsitorum Tribunali; temperamentum adhiberetur aliquod Imperatorijs edictis: &* *Responsio.*

venia

venia demum, quibus Gubernatrix popoſcerat, impertiretur: quæ quum 1566 *ab Rege tributa ſint omnia, nullam ſupereſſe cauſam querelarum. Quo in genere liberè ſe dicturum, quod ſentiret, præſertim ab illo rogatum. Nimiùm iam proceſſum eſſe, magna vtique cum Diuinæ Maieſtatis iniuria, & Chriſtiani nominis offenſione. Eſſe tempus medelam malis aliquam afferendi, eamque inter hæc turbamenta viam ineundi, vt venienti Regi, non obuoluta fronte, nec mente vlli redarguenda, poſſint occurrere. Quod autem de irato Rege, ſuppliciumque ſumpturo dicebatur, ſe quidem extra metum eſſe: ea ſe fide erga Principem fuiſſe, futurumque, vt ad eius nutum in Hiſpaniam aduolaturus eſſet, redditaque factorum ratione ſperaturus à benignitate Regis haud minimum commodi, decoriſque. Neque hæc dici, quaſi non idem prædicare de ſe ſecurè poſſet Egmontius: ſed vt ſecuritatem ille ſibi maiorem in dies paret, occaſiones nempe omnes ſuſpicioneſque præcidendo: & quando iam Regi toties ingeſſerint neceſsitates Belgij, deſinant aliquando Principem cogere alieno arbitratu prouincias ſuas adminiſtrare. Poſtremò* (ſic enim Mansfeldius concludit) *ſi illum amicè ita monentem Egmontius audierit numquam ſe ab eius amicitia receſſurum: ſecùs verò ſi contingat, decretum ſibi eſſe, honori ſuo humana prorſus omnia poſthabere.* Viſis hiſce epiſtolis, laudatâque impensè Mansfeldij conſtantiâ, earum capita litterarum miſit ad Regem Gubernatrix, illum obſecrans, vt quando tantum fidei in Mansfeldio, eo maxime tempore comperiſſet, ne grauaretur, æqua viri poſtulata (quorum indicem ipſa attexuerat epiſtolæ) quamprimùm abunde remunerari. Quæ Margaritæ petitio, ſuſpectas fortaſſe, quas memoraui litteras, facere alicui poſſet, quaſi Mansfeldius, quo gratiam apud Gubernatricem iniret, impetraretque faciliùs, quæ diu auidèque poſtulabat à Rege; Egmontij epiſtolam, certè reſponſionem callidè finxiſſet. Niſi in promptu eſſent multa, quæ huiuſmodi ſuſpicionem planè reprimerent: nempe & ipſum Egmontij chirographum Gubernatrici notiſſimum: & eiuſdem facilitas ab Egmontio verum explorandi, quæ facilitas audaciſſimum quemq; ab hiſce figmentis abſterruiſſet: & ſuper hæc, Mansfeldij dignitas, moreſque (qui profectò MORES vnumquemque abſoluunt, aut damnant) longè ab huiuſmodi fraudibus alieni: & denique eiuſdem viri conſtantia, qua Regias partes, eodem ſemper tenore propugnauit. Vt meritò nihil doli ſuſpicata Gubernatrix hominem, quàm maximè potuit, Regi commendatum voluerit. Illud quidem admirata eſt; ea, quæ ad Regem arcanò ipſa perſcripſerat, in epiſtola Egmontij diſertè omnia reperiſſe. Queritur propterea cum Rege, quòd ab eius aula hæc in Belgium ſecreta perferrentur. *Eſſe nè ex intimis adminiſtris aliquos, ingenio aut ita incallido apertoque, vt hæc Imperij arcana extrahi ſibi ex ore, ex manibus*

Quam mittit Gubernatrix ad Regem:

& illi Mansfeldium cõmendat. 12. Nou.

certa de Comitis fide.

Querela Gubernatricis de litteris ſuis in Regis aula proditis.

1566 *bus patiantur? aut ita malo ac perfido, vt abdita quæque consilia Principis, eius hostibus patefaciant? Sibi quidem constare, multa litterarum exemplaria, aliqua etiam authographa, quæ à duobus iam annis ad Regem miserat, in manus Belgarum Procerum deuenisse: quanta cum pernicie negotiorum? quanta cum iactura Regiæ dignitatis? Orare proinde Regem, vt videat, quæ in posterum scribantur ab se litteræ, aut igne corrumpantur, aut per exploratæ fidei ministros clam cæteris asseruentur.*

& quidem grauissima.

Et tamen compertum habeo, post hæc gloriatum esse Orangium apud Christophorum Assonuillium, Nullum prodire è Regis ore verbum seu priuatè seu publicè, quin ad eius aures in Belgium fideliter afferatur. Hanc porrò intimam scientiam magnâ quidem sibi pecuniæ summâ comparari: sed nusquam æra fructuosius impendi. Quippe HANC esse Principum Philosophiam, consiliorum secreta rimari: naturæ verò abdita otiosis relinqui. Quod si ita est; & quid vsquam inaccessum pecuniæ imperuiumque fuerit, quando prudentis adeo circumspectique Regis aula à priuatis hominibus emi potuit?

nec tamen quidquam profectũ: Orangio in secreta Regis penetrante, pecunia vi.

VERVM haud contenti rebus ambiguè deliberatis Teneramundæ à Procerum cœtu Nobiles fœderati, eorum primarij, quique contrahi repentè potuere, conueniunt Amstelodamum: inscio, vt ad Margaritam scripsit, aut dissimulante, qui tamen prope Amstelodamum agebat, Orangio. Creditum est, in eo conuentu statutum, omni ope conniti, ne Rex milite instructus adueniret: idque aut precibus Maximiliani Cæsaris apud Regem, aut exutâ palam obedientiâ armis impetrandum. Et commodùm Imperij comitia Augustæ celebranda tunc erant: in ijs orandum Belgarum nomine Cæsarem: si renuat ad Imperij Septemuiros confugiendum, Cæsari vt significent, nisi hoc ipse impetret à Rege, se opem ei ferre non posse aduersùs Turcam. neque enim decere, dum Rex Belgium lustret armatus, se & milite, & pecuniâ destitutos finitimi exercitus iniurijs patêre. Id nisi succedat ex sententia, extrema omnia retentanda: fœdus cum Heluetijs hæreticis firmandum, eorumque operâ (vti etiam spopondisse dicebantur) Philippo Regi Sabaudiam incunti aditum intercludendum. immo, vt satis negotij Regi sit domi suæ, mittenda Hispalim quàm primùm triginta illa Caluinianorum codicum millia, de quibus iam pridem consultauerant: atque addendos Caluinianos aliquot administros (hi duodecim decreti sunt,) qui ea per Hispaniam volumina distrahentes, Regi à longinqua peregrinatione curas interim auertant. Huic autem negotio conficiendo præfectum fuisse Hispanum Antuerpiæ mercatorem, hominem Catholicis infestum turbulentumque, scribit ad Regem Gubernatrix: additque, nihil se per omnes portus omissuram, ne illa morum pestis nauiget in Hispaniam. Sed hisce consilijs quippe

NOVO conuentu Amstelodamensi, statuũt Nobiles, implorandũ patrocinium Cæsaris apud Regem: et Electorũ apud Cæsarem: aut arma tentãda. ille cum Heluetijs fœderat & turbandam in Hispania Religionẽ destinatis illuc Caluinianis libris, & ministris. De quo Regem præmonet Gubernatrix & in Belgio vigilat.

Similia — *18 Dec.*

subitarijs trepidisque, plus minarum quàm malorum inerat. Illud tamen in eo conuentu perfectum est. 1566

Nobiles, ac mercatores spondent sibi mutuam opē.

Nobiles fœderati (nam PERICVLI societas perquam facilè homines iungit) cum mercatoribus, reliquaque plebe hæresi imbutis, solenni vtrinque sacramento conspirarunt, in hunc modum: Vt illi horum patrocinium susciperent aduersùs omnes, qui libertatem Religionis oppugnatum irent. *Nobiles.* hi verò pecuniam illis, operamque pro communi securitate subministrarent. *Mercatores.*

& una confessio Augustana præscribitur omnibus.

Ne verò sectarum varietate distraherentur hæretici, egit per litteras *7. Nou.* cum Antuerpianis Ludouicus Nassauius, eos adhortans, Vt depositis parumper, dum res firmarentur, priuatis de religione sententijs, in Augustanam confessionem concederent omnes: sic enim & Imperij Septemuiros, qui eam profiteantur, ipsorum causam impensè acturos apud Cæsarem, & Germanos milites non facilè in Belgas eiusdem religionis socios arma sumpturos. Idque effectum est. Quamuis enim Caluiniani ab Augustana confessione abhorreant, tamen (vt RELIGIO apud hæreticos alieni iuris est, ac translatitia) explorato Theodori Bezæ ab vsque Genêua consilio, probatisque ab eo hisce religionis inducijs, nouæ professionis formulam ad Augustanæ similitudinem concepere, Cæsari proximis Comitijs offerendam, vnà

Cōsistoria, & hæreticorum Resp. constituuntur.

cum supplici libello, quo eius apud Regem operam ac patrocinium orabant. Præterea consistoria, id est senatus ac cœtus, multis in vrbibus, sicuti iam Antuerpiæ cœperant, instituerunt: creatis Magistratibus, Senatoribusque, quorum consilijs (sed antea cum Antuerpiana curia, quam esse principem voluere, communicatis) vniuersa hæreticorum Respublica temperaretur.

Fœdus cū hæreticis Germaniæ Principibus initur.

Initum ad hæc fœdus cum Palatino Septemuiro, reliquisque Germaniæ hæreticis Principibus, infensis Austriacæ domui, eòque pronis in eam societatem, qua sperarent Hispanum Regem (vt ei scribit Gubernatrix) Belgij possessione per *11. Nou.* huiusmodi turbas euolutum iri. Immo in Saxonia mille ac ducentos equites scribi iam cœptos à Vesterholtio, iussu Orangij, Gubernatricem clàm docuit Comes Meganus.

& arma offerūtur ex Gallia.

Quo tempore Hugonotos in Gallia agitasse, Gaspare Colinio turbatore, de ope Belgis afferenda, hoc est, vti ferebatur, decem equitum, triginta peditum vexillis, ijsque in Germania contrahendis, ob Caroli Regis edictum ne huiusmodi delectus in Gallia haberentur; secretis ex eo Regno litteris Gubernatrix admonita est. Denique sub hoc idem tempus etiam ab *4. Nou.*

Immo ex ipsa Vrbe Constantinopoli;

Vrbe Constantinopoli (adeo è multis remotisque locis ad defectionem ac turbas, odio siue Catholicæ Religionis, siue Austriaci nominis, incitabantur vltro Belgarum populi) perlectæ sunt in Consistorio Antuerpiensi litteræ Ioannis Michesij, hominis præpotentis,

Michesio inde incitante hæreticos Belgas.

ac Turcarum Imperatoris familiarissimi: quibus ille Caluinianos Antuerpienses hortabatur, incendebatque: *Properarent in ea, quam forti-*

1566 *fortiter inierant, conspiratione aduersùs Catholicos. Magna meditari Turcarum Principem in Christianum nomen: breuìque Othomanicis armis adeo implicatum iri Philippum Hispaniæ Regem, vt de Belgis ne cogitaturus quidem sit.* Et verò non vanè hæc denunciabat Michesius. *quis iste Michesius?* Erat hic genere Iudæus, (iuuat enim de homine sceleribus illustri, quem & Veneti incendij, & belli Cyprij, & aliarum cladium annales sæpe loquuntur, hæc pauca semel cognoscere) *Iudæus profugus ex Hispania Antuerpiam:* profugeratque adolescens ab Hispania, metu ne detegeretur malè dissimulata superstitio. atque Antuerpiæ diu versatus, primarijs viris, ipsique Mariæ Reginæ tum Belgium obtinenti percarus, *Maria Hungariæ Reg.* rapta inde per summam impudentiam nobili puella, Venetias contendit. *& hinc Venetias ob puellã raptã:* Ibi ausus cum Senatu agere de attribuenda Iudæis sede, in aliqua insularum Venetijs adiacentium, reiectusque, primùm Constantinopolim, *& Venetijs Constantinopolim.* vt opulentissimæ Iudeæ nuptijs ditatus est, dein in Ciliciam ad Selimum Solimani filium venit: *vbi Selimum demeretur:* nactusque Principem tunc quidem vacuum, aut imparem grauioribus curis, fœdarum certè mancipium voluptatum; ipse, vt omnes callebat articulos illecebrarum, exquisitis ad illius ingenium nouis in dies oblectamentis, inter paucos familiarium Selimo assumptus est: quantumque assentandi aucupio, ac voluptatum artificio, tantum apud Principem gratiâ præibat omnes. Itaque facilè à Solimano Turcarum Imperatore, filij operâ, vrbem atque agrum (quod à Venetis nequiuerat) Iudæis impetrauit. Quin etiam Selimo rerum potito, ad belli consilia admitti cœpit, ea ferme tempestate, qua belli consilia inceptantes in Hispania Mauri, à Turcarum Imperatore opem pro hominibus implorauere, qui ijsdem sacris obstricti, Turcici auxilij spe arma meditarentur aduersùs Philippum Regem. *& ad opem ferendã Mauris bellũ adornantibus in Hispania impellit.* Nec Selimus aspernabatur occasionem inferendi in Hispaniam belli: dumque ea super re disceptatur, Michesius, quod videret id bellum maximè velle Selimi generum Mehemetem, qui Selimum, ob cælatam incredibili solertia apud Seghetum *Zighet.* Solimani Patris mortem, summo beneficio obnoxium habebat; non dubitauit, rem breuì successuram: ideoque eâ, quam dixi, epistolâ familiares olim suos Antuerpienses, spe nimirum Maurici tumultus animauit. *& Belgas rebelles mouet.* Verùm præualente apud Selimum Mustaphæ aliorumque sententia bellum Cyprium suadentium; *eidem Selimo in bellum Cyprium conuerso* in hanc partem se quoque Michesius transsidit, nutatemque interdum Principis animum vnus ipse firmauit. *faces subdit:* nempe Venetis infensus, à quibus illiberaliter habitum, reiectumque se, sine fine querebatur. *odio Venetorum.* Accedebat quoque spes, qua se Cypri Regem creandum, ex ambiguo Selimi dicto super mensam, *& spe Cyprij regni.* sibi homo vanissimus persuaserat. Atque, vt huic bello non consilium modò, sed operam etiam præstaret: magni illius Venetiarum

Qui et Venetias incendere per emissarios suos parat. incendij, quo turres sulphurei pulueris receptacula, tanta vi conflagrarunt, vt non solum nutantibus vrbis fundamentis, multa circùm ædificia, fœda strage, corruerint: sed etiam oppida procul vrbesque quatefactis domibus extimuerint supremum casum; authorem fuisse Michesium, eiusque consilio missos à Turcis, qui facinus patrarent, eàque clade attritas Venetorum vires bello impares redderet, affirmant huiusce belli scriptores. Quod si paucis antè diebus, multo pars maior confecti iam pulueris, ex ijs naualibus Corcyram asportata non esset; excisa funditus vrbe vrbium pulcherrima, vnus homo bellum Cyprium momento confecisset. Tantum excitare vel in aquis incendium valent accensæ vnius in pectore odiorum faces. *Michesij litteris animati Belgæ.* Et apud Belgas quidem non parum Michesij litteræ, atque hortamenta valuere. Etenim ad eius rei nuncium, erectis animis, in Antuerpiæ Consistorio decretum est, vt quoniam certa iam aderat firmandæ factionis occasio, ab vniuersa societate, *pecuniam corrogare incipiunt.* quanta posset maxima pecunia conflaretur, ad subita rerum euenta. idque summa contentione cæptum est agi. Quo tempore, quum à Comite Hochstratano (qui præerat Antuerpiæ pro Orangio) missus esset ad Margaritam libellus Comiti traditus ab eius ciuitatis hæreticis; quo facultatem fieri poscebant sibi, ceterisque per Belgium seccijs, sectas suas sine fraude cuiusquam exercendi: offerentes *quam offerentes Regi quod callidè moliantur.* propterea Regi tricies centena florenorum millia; creditum est, artificium fuisse nonnullorum, vt minore suspicione huc atque illuc corrogandæ pecuniæ causâ commearent: fallerentque interea simul Hispanum eâ summâ facilè alliciendum, simul coniuratorum multos, libentiùs pro libertate Religionis impetranda, quàm pro bello gerendo æra soluturos. Nisi fortè ingens illa pecunia planè in speciem ad ostentandas partium vires offerebatur: ideoque complura eius libelli exemplaria per Belgium euulgata sunt, adscriptis Nobilium, mercatorumque nominibus, qui se persoluendæ certæ pecuniæ damnabant. nempe vt famam factioni amplè colligerent, Gu- *Eam tamen pecuniam negligit Gubernatrix.* bernatricemque tantæ metu potentiæ deterrerent. Sed illa nihil eo inanis pecuniæ sonitu mota, ne responso quidem Hochstratanum dignata, libellum ipsum Regi misit: quo pluribus irritamentis incitaret Hispani Principis moram.

Ant. Mar. Gratiā. de bel. Cypr. — *Corsù.* — *Miliones tres.* — *28. Nou.*

OB FAMAM profectionis Regis in Belgium coniurati nutant. INTERIM ipsa omnium gnara, quæ in huiusmodi consistorijs, ac cœtibus destinabantur: quum animaduertisset euulgato creditoque aduentu Regis, aliquos è coniuratis timidiùs agere; adiuuandam artificio hanc partem existimauit: *quos litteris, ac promissis allicit Gubernatrix.* missisque ad eos litteris beneuolentiæ ac fiduciæ plenis, promissa quoque per certos nuncios clàm adiecit: ad aliquos etiam, quos sciret Religioni haud infensos, epistolas dedit ex earum numero, quas illa apud se habebat

Regis

1566 Regis nomine subscriptas, ceterùm vacuas, quas verbis composuit tempori accommodatis, eos adhortans ad Religionis causam propugnandam, populosque in pristina obedientia, modestiaque continendos. Has verò ita singulis tradendas curauit, vt alios nullo inuitatu præteritos id non omnino lateret; *non sine artificio:* quo inter eos suspicio, atque abalienatio suboriretur. Et commodùm accidit, vt eodem tempore Gubernatrix acciperet ab Rege litteras aliquot, ipsius manu exaratas ad Orangium, ac nonnullos Belgij Proceres beneuolentiæ significatione refertas, ideoque mox editas typis, euulgatasque. Ex quibus omnibus factum est, vt coniuratorum multi partim metu, *& successu.* ne à Proceribus desererentur, quorum nutare consilium animaduertebant: partim spe, cuius pleni erant, quòd se præcipuè appellatos à Rege, honoratosque videbant: partim offensione aliorum, quibus se suspectos atque inuisos facilè rebantur omissis fœderatorum cœtibus, aut domos suas reuiserint priuata curaturi, aut transgressi Gubernatricis in partes, gratiam Principis promereri, quàm indignationem experiri maluerint. Qua secessione multorum, erecta animo statuit Gubernatrix, *ex quo erecta Gubernatrix:* vim extremaque adhibere omnia ad seditiosorum contumaciam seriò profligandam. Atque, vt ritè caperet à Deo principium, ad ciuitatum omnium, *sumpto à placatione Numinis initio,* rerumque sacrarum Antistites, Regis nomine litteras misit, vt ieiunijs, ac supplicationibus, alijsque cælestis iræ placaminibus clementiam Diuini Numinis implorarent. Simul certos homines in Galliam ad Franciscum Alauam Hispani Regis Oratorem, *Regem Galliæ de Hugonotorum apparatu:* & ad Cæsarem in Germaniam legat: vt illum quid Hugonoti parent, hunc quid Belgæ petituri sint in comitijs, *Cæsarem de petitione Belgarum in comitijs:* quidue Septemuiri Augustus Saxoniæ Dux, & Fridericus Palatinus minentur, admoneant. *deque minis Electorum monet.* Et ad Cæsarem quidem se Mansfeldius obtulerat, pollicitus remoturum se Saxoniæ Ducem ab ea mente, aut certè à facultate nocendi, *Consilium Mansfeldij ad hanc rem.* nempe operâ filiorum Ioannis Friderici, qui iampridem Augusto infensi ob Septemuiratum Patri ademptum, si ad bellum spe aliqua sollicitarentur, haud dubiè illos in arma tracturos Saxoniam vniuersam: Augustumque facturum satis, si circa se faces extingueret, ne dum in alienas terras inferret. Sed quoniam Mansfeldij præsentiâ tunc minimè carere poterat Gubernatrix, *Quod Gubernatrix laudat, non vtitur.* satis habuit laudare hominis consilium, illudque & promptum eius animum Regi significare: occasionem prætermittens omninò nullam, quo Regem ad antiqua Comitis postulata pertraheret. Et fortassis eòdem ipse spectauit ea pollicendo, quæ plus commendationis apud Principem, quàm laboris apud Saxones habitura tunc erant. Nimirum PLERIQVE homines abunde offerunt operam repudiaturis, præsertim si absque illius vsu sperant se pretium fructumque operæ consecuturos. Præ-

terea

Milites auget per prouincias: terea eodem Mansfeldio authore, accedentibus ad eamdem sententiam Comitibus Arembergio, atque Megano, numerum militum per prouincias auxit, illarumque Præfectos maiori præsidio firmatos ad eas remisit. Ac statim compositis litteris vnumquemque 1566

earumq; Præfectis ad tollenda hæreticorũ exercitia scribit in hunc modum. admonuit: *Viderent, ne quid vltra conuenta vsurparent hæretici. Scire se præter conciones, quas audire permissum vtcumque erat, eos & nescio quæ consistoria celebrare: & apertis gymnasijs adolescentiam prauis opinionibus imbuere: & matrimonium, sepulturam, baptismum nouo ritu accipere: & libros impurissimos euulgare: & picturas contumelijs ludibrijsque in Deum, Regemque infames exponere: & in Caluinianis cœtus magna eorum multitudine frequentari solitis, palàm solennibusque verbis profiteri, Se nuncium Religioni Catholicæ ex animo remisisse, nec aliquando cum ea redituros in gratiam, immo quantum possint, in illius exitium perpetuò conspiraturos. Et tamen hæc adeo detestanda quum sint; fieri ne posse, vt homines modestiæ ac verecundiæ omnis obliti affirmare audeant, permissa à Gubernatrice tunc esse, quum permiserit conciones? Se non adeo stolidè impiam, vt hæc aut tam inter se dissimilia non discernat, aut tam execranda permittat. Itaque Regis nomine Præfectis prouinciarum imperare, vt quoscumque compererint, præter conciones, hæreticum quid in posterum vsurpantes; in illos tamquam in* 15. Dec.

& edictũ adiungit, cur aliquanto seuerius. *Maiestatis reos, pacisque publicæ perturbatores animaduertant.* His autem litteris adiecit edictum, quo singula planiùs expendebat, ac pœnas contumacibus irrogabat, aliquanto quàm mitis eius natura ferret, acriùs seueriùsque. credo, quòd infixus animo hæreret dolor quasi ea mala ex concionibus nimio metu indulgentiâque permissis emanarent. Quare exemplar edicti ad Regem mittens, ait; 16. Dec.
illud à se ea ratione conceptum, quia hæreticorum exercitia planè detestanda, pactisque contraria ita requirerent: speraretque, si ea tollerentur, etiam conciones, quandocumque eas malè permissas Rex pronunciet improbetque, toto Belgio exterminandas. Additque, in edicto conscribendo, qui aderant in secretiori senatu, con-

Egmontio non probante. sensisse omnes, præter Egmontium affirmantem, edictum illud concitandis ad arma Belgarum populis, classicum haud dubiè fu-

Inde festinatũ à conspiratis consilium armorum: turum. Et sanè siue per eam occasionem, siue quòd multis in locis plectebantur ædium sacrarum populatores, quique alio, quàm quo cautum erat, loco conciones habebant; armorum consilia, quæ antea in longum designauerant, properata sunt. Inde frequentiores ad consistoria concursus haberi, attentiores celebrari cœtus: crebræ mercatorum ad Nobiles fœderatos, Nobiliumque ad mercatores & consistoriales, Ægidio Clero internuncio, litteræ commeare. Ex his consilium denique captum, vt quando Gubernatrix vim meditabatur, ipsi quoque arma ostenderent, militesque partim ex Saxo-

1567 Saxonis, partim ex Palatini prouincijs legerent: priores tamen, quos Palatinus offerebat. Id Henrico Brederodio commissum: oblataque ei Antuerpiensium mercatorum nomina pecuniam pollicentium, quanta contrahendis militibus satis foret. Brederodius nihil cunctatus coactores nominat, & Philippum Marnixium à Sancta Aldegunde ærarium Quæstorem creat. Cum Augusto autem Saxonum Duce agendi munus suscepit Ludouicus Nassauius. Quamquam enim Saxonia implicita tum erat armis inter Ioannem Fridericum Ioannis Friderici olim Septemuiri filium, & Augustum patruelem; id tamen opportunum rebatur Ludouicus, quòd speraret, Principum Germanorum, qui id agebant, authoritate, rebus breuì compositis, se inde milites armatos animatosque in Belgium traducturum. Sed quoniam bellum trahebatur, Ioanne Friderico pacis conditione aspernante: & Gubernatrix haud ignara consilij fœderatorum, in Augusti exercitu Gotam Vrbem obsidentis, fidos aliquot habebat, quos iusserat Ludouici consilia interturbare; idcirco fœderati lenta hæc subsidia omittentes, Bredam in oppidum Orangij conuenere: vbi tria hæc potissimum decreta esse, Gubernatrix per Alphonsum Lopium Gallum admonuit Regem. Vt compositis litteris Egmontium ad partes vocarent: simulque nouo libello rationem rerum suarum Gubernatrici redderent: atque interea militem ex ipsis Belgarum prouincijs festinatò contraherent. Et ad Egmontium quidem scripsere communi epistola Orangius, Hochstratanus, ac Brederodius: orantes vt fœderi nomen suum adderet. hac enim noua conspiratione consociati pollicebantur effecturos se, vt conciones toto Belgio conticescerent. quo facto, aut Regi occasionem sese ademptturos Belgium cum exercitu adeundi: aut, si nihilominus quamquam compositis rebus, quamquam rogatus, tamen armatus in prouincias Rex pergeret; iure se operam viresque coniuncturos, vt intercluso Regi aditu, patriam haberent integram à tyrannide, quæ suppliciorum acerbitate, arcium molitione, Hispanorum præsidijs, prouinciarum expugnatione, Belgio parabatur. Epistolam amico Egmontius ostendit, seu familiaritatis seu consilij gratiâ: an potius vt eam Gubernatrici aperiret, & quid ipse responderit, simul referret? Nam & responsionem eidem ostendit, qua accessurum se illorum fœderi pernegabat. Non ideo tamen Egmontius se Gubernatrici omnino probauit: quæ, vt omnia iam verebatur, artificium fallaciasque suspicata est. At verò supplicem fœderatorum libellum oblaturus ipse Brederodius, petijt à Gubernatrice facultatem fidemque publicam veniendi Bruxellas cum quadraginta equitum comitatu. Quod quum illa iampridem offensa huiusmodi legationibus illico vetuisset, simulque imperasset, vt

Marginal notes:
- *Ducibus Brederodio.*
- *& Lud. Nassauio: qui pecuniã in Belgio colligat, militem in Germania legat.*
- *sed Gubernatrix interturbat.*
- *Illi Bredæ conueniunt.*
- 17. Febr. — *Conantur ad nouũ fœdus Egmõtium trahere.*
- *scriptis litteris.*
- *non persuadent.*
- 8. Febr. — *Nouum Gubernatrici libellum oblaturi*
- *non admittũtur.*

vt veniens, portis aceretur; Brederodius libellum mittere cum priuata querimonia satis habuit. Memorabant fœderati, quid ipsi, pro eo ac iurati conuenerant Augusto mense, in exarmandis pacandisque populis laborassent. Querebantur, quòd missis ab eius Celsitudine litteris ad Magistratus, vetita essent nouæ religionis ministeria ijs in locis, in quêis conciones haberi fas erat: quum tamen concionum nomine, reliqui quoque ritus comprehendantur. quippe solenne id esse, vt vbi conciones permittuntur, ibi cetera eiusdem religionis perinde tolerentur. Ita se, sicuti res erat, populis interpretatos esse: eisque in concionum, reliquarumque cærimoniarum vsurpatione impunitatem promisisse. Qua populos impunitate frustratos repetere nunc fœderatorum promissa, implorare fidem nouis quotidie expostulationibus litterisque: quarum aliquas cum hoc ipso libello coniunxerant. Mirabantur denique dolebantque, magnis in dies copijs terreri Belgium, se vrbibus arceri, in agris obseruari, vbique vti hostes haberi. Quæ omnia quum fidei dignitatique suæ, ac populorum tranquillitati aduersentur; orare eius Celsitudinem, atque obsecrare, vt (quemadmodum obsignatis litteris fidem ipsa suam obligauerat) & fœderatis securitatem afferat, & populis conciones, quæque sunt concionibus adnexa permittat. Id verò futurum, si ipsa, vti supplices rogant, milites nuper contractos dimiserit, & edicta pactis contraria reuocauerit. Hac enim ratione adeo se Regi, eiusque Celsitudini obstringendos, vt fortunas suas, ac vitam ipsam vtriusque dignitati posthabituri sint. Secùs, præuidere se animo magnam populorum cædem, imminentemque patriæ ruinam: quam prædixisse, & quantum in se fuerit, auertere curasse, satis futurum esse, vt culpâ, si non dolore liberentur. Hæc postulata recitauit in secretiori senatu Gubernatrix: paucisque pòst diebus communicatum cum eisdem Senatoribus responsum Brederodio misit, ac simul typis euulgauit. ideoque paucis hîc mihi attingendum existimaui: *Non assequi se, (aiebat) qui Nobiles sint ij, quique populus Belgarum, quorum nomine hæ litteræ mitterentur; quum plerique eorum Nobilium, qui Aprili mense supplicarunt, non modo satisfactum iam sibi contestentur, sed etiam quotidie operam suam Regi oblatum veniant. Conciones à se tantummodo esse permissas, idque adeo repugnanter, vt constare possit, quàm fuerit aliena, potestatem vt fecerit consistoria instituendi, creandi Magistratus, tributa imperandi, corrogandique super vicies centena florenum millia, Catholicorum hæreticorumque matrimonia, atque adeo successiones honoresque confundendi, præter Caluinianas cenas, & quotidianos cœtus: in quorum plerisque quum Principis, & Magistratuum authoritati palàm derogetur, ac noua paulatim Respublica inducatur; videant quàm verisimile sit, hæc*

(quæ

Margin notes: *Mittunt illum.* — *multa querentes* — *& multa postulantes.* — *Quibus Gubernatrix respondit nihil concedit.* — 1567 — 16. Febr.

1567 *(quæ tamen ipsi cærimonias Religionis interpretentur) tanta cum diuinæ Maiestatis, & Regis iniuria Gubernatricem permisisse. Securitati eorum cautum à se esse: cautionemque seruatam, ac seruandam etiam fuisse, non tamen in ijs, quæ aduersùs Religionem ac Regem exercerentur. Nam cur ij, qui violatam fidem queruntur, silentio transmittant, post pacta conuentaque Augusti mensis, tam multa perfidè ac sacrilegè patrata, templa direpta, eiectisque inde Religiosis familijs occupata: conciones, aduocatis aliunde hæresum buccinatoribus, eò, vbi auditæ antè non fuerant, vi atque armis inductas: vrbes, atque prouincias ad seditionem, defectionemque litteris, aut per emissarios sollicitatas: aliaque, quorum authores fuerint ipsi, qui supplicent? Horum nimirum patrocinio populum ausum esse in tormenta bellica, munitionesque Regis inuadere: Principis administros expellere: ad tympanorum signum in aciem prodire: cœnobia, ædesque Nobilium ferro flammaque vastare, vrbes obtinere, Catholicos omnes, ne se quidem Gubernatrice excepta, ad cædem designare, ingentemque Belgio cladem occultè moliri, nisi interceptis nefariorum litteris ad Valencenates, execrandis adeò consilijs Diuina bonitas intercessisset. Ex his eos intelligere, quàm importunè postulent, vt abrogentur edicta, ac milites exauthorentur, id est vt exarmata in hunc modum Iustitia, improborum iniurijs exponatur. Neutrum se, ne ignorent, esse facturam: quin nouis si opus fuerit, legibus, atque militibus firmaturam inde Rempublicam: gladiumque, quem portare Principes voluit Deus, hoc maximè tempore non deposituram. Suadere itaque illis, vt à publicis certè negotijs abstineant, ac res quique suas in posterum curent: neue Regem breui affuturum ingenitæ benignitatis obliuisci cogant. Se quidem omni ope curaturam, ne, quam ipsi ruinam comminentur, per hæc vulgi turbamenta Belgium patiatur.*

DE BELLO BELGICO
LIBER SEXTVS

Brederodius milites, atq; arma parat.

SED hæc dum litteris agebantur, iam cohortes aliquot Antuerpiæ contraxerat Brederodius: acceptis verò hisce Margaritæ litteris, festinauit aliunde augere milites, ex ijsque supra mille ac quadringentos partim terrestri itinere, partim septem nauibus impositos, quos oneraria sequebatur armis instructa, Vianam traduxit, oppidum suum in Hollandia 1567

Alijq; fœderati. ob eam causam paulo antè munitum. Eòque mille ac quingentos equites adducturi dicebantur ex fœderatis Gulielmus Comes Lumeius à Marcha, Euscaubechius, Villerius, & Malberga. Quin & eòdem ventura, ductore Ludouico Nassauio, Germanica expectabantur auxilia: vt Vianæ lustrato exercitu, inde arma in quam se cumque partem daret occasio, promererentur. Lætis ad hæc hæreticis, palàmque iactabundis, *Gestientibus hæreticis:* Nunc demum curari partes suas, quum deficientes à Rege Nobiles spem omnem veniæ præclusissent. dubitandum non esse, quin pro ipsis iam faceret præter Comites Hochstratanum, Hornanumque, Orangius ipse: neque enim ausurum ea fuisse Brederodium, nisi Maiorum gentium Dijs innixum. Quamquam is inter eas turbas ad Hollandiæ dominatum iure gentilitio respicere, ad eumque repetendum occulta illa Procerum ope credebatur vti. Alebantque hominis ambitionem coniurati proprijs interim, quæ quisque destinauerat, consilijs obsequentes. *& multis Brederodium animantibus.*

DEFECTIO prima ciuitatum.

ERGO non multo pòst præcipuæ quæque Belgij ciuitates, Antuerpia, Buscoducum, vtrumque Traiectum, Amstelodamum, Groninga, Tornacum (præter Valencenam, aliasque) militibus auctæ defectionem ab Rege minitari visæ sunt. *Bolduc. Mastricht, & Vtrecht* Buscoducum Brabantiæ vrbem inuaserat Brederodij nomine, obtinebatque adiutus hæreticorum dominantium ope, Antonius Bombergius Antuerpiensis: *Buscoducum inuadit* *Bõbergius, vnus conspiratorum.* qui nuper à tempestate Gallicorum tumultuum, in quibus Condæo Principi militauerat, eiectus in patriam, vt erat irrequieti turbidique ingenij, Belgicarum seditionum vadas repetijt, & coniuratorum numerum auxit. At Margarita, missis antea Merodio Petersemij Domino, & Scheiffio Brabantiæ cancellario, qui ciui-

1567 ciuitatis motus componerent, quum parum profici audiisset, iussit Meganum Comitem cum aliquot cohortibus illuc accedere: simulque compositis ad Buscoducenses, & ad legatos suos litteris; *Buscoducēses. legatos.* illos de milite intra vrbem accipiendo, deque pristino ciuitatis statu reuocando; hos de eadem re cum Magistratu perurgenda humanissimè admonet. Litteræ ad Bombergium perferuntur. is earum loco alias ementitur, tamquam à Gubernatrice scriptas superbè ad ciues, fraudolenter ad legatos: easque quum Magistratui legissent, sparsissetque in vulgus prodendam à Merodio, & Cancellario fuisse ciuitatem; à furente plebe ambo circumueniuntur, indignisque contumelijs ceu proditores affecti, die noctuque domi obsidentur, donec Bombergius aliud quid statuat. Ipse autem ardenti populo, quo maximè tempore scelera conflantur; persuadet, Meganum esse proditionis Ducem: in eum, dum signum expectet inuadendæ vrbis, arma vertenda. creditumque facilè de Megano, quasi vlturo priuatas iniurias, quibus oppidum Mega à Buscoducensibus, vt inter vicinos, & impares, premebatur. Ergo militiæ imperium Bombergius capit, octingentos milites properè scribit, ac maiora aliquot tormenta in mœnibus collocata in Meganum instructo agmine aduentantem, inopinatò explodit, atque illæsum quidem, sed irrito accessu acriter offensum ab vrbe procul habet. Meganus quando tunc quidem non erat tantum virium obsidendæ prævalidæ vrbi, Traiectum ad Rhenum arma conuertit: iusserat enim hanc quoque expeditionem Gubernatrix tanto impensiùs, quanto magis vrbi metuebat ob Vianæ vicinitatem, quò coniuratorum copiæ vndique confluebant. Ac Traiectenses, quòd ipsorum agri à Brederodij milite quotidie vastarentur, excepere vltro Megani præsidium: eiusque ope subitariam arcem, ad ripam Leccæ fluminis, Vianæ imminentem excitarunt. Nec segniùs interea Brederodius clàm euocatus Amstelodamum à Gheusiana factione, rebus Vianæ compositis, mutata veste in eam sese vrbem infert, exceptusque ingenti hæreticorum plausu, spem potiundæ Batauiæ tunc profectò confirmasse visus est.

Qui dolo deceptos ciues impellit cōtra legatos Gubernatricis:

& contra Com. Meganum,

quem arcet à mœnibus.

Treshe

Traiectum Meganus intrat.

& Amstelodamū Brederodius.

2. Mart. EODEM tempore Ioannes Marnixius Tholosæ Dominus, vnus ex coniuratis, sexcentos milites tribus nauigijs impositos Antuerpiâ prono flumine in Zelandiam subuexit, eo consilio, vt dum alibi alia turbabantur, ipse per eas seditionum tenebras inobseruatus, simulque *Vaelebert.* Prætoris Middelburgensis ope adiutus, Flissingam, totamque Valactiam insulam, quæ Zelandiæ est caput, inuaderet. Sed anteuerterat Margarita. Nam Catteium, fidum hominem strenuumque Flissingæ constituerat armorum Præfectum: & ex finitima Flandria cohortes aliquot ante Valacriam, promptis in hostem armis, appa-

THOLOSIVS ad Zelandiæ caput aspirat.

reiicitur.

rere iusserat. Itaque vbi venere in Insulæ conspectum Tholosiani, 1567
facilè reiecti sunt: expectatoque frustra Brederodio, quem Meganus Comes nunc Amstelodamum, nunc Vianam obequitans distinebat: in Brabantiam eodem fluuio remearunt: atque ad Ostereuelam,

Prope Antuerpiā se munit.

pagum Antuerpiæ proximum consistentes, in ripa Scaldis maiora viribus agitantes castra ponunt, fossis atque aggeribus communiunt: auctique in dies exulum ac fugitiuorum cateruis, tamquam asylo omnibus patefacto,

vnde vicina territat.

in vicina oppida vicosque manipulatim procurrere, templa incendere, spoliare, prædis onusti redire in castra, Antuerpiæ ipsi, vt factionibus discordi, ita confidentiæ, aut terrori esse. Et Antuerpiæ potissimum metuens Gubernatrix,

In illum Gubernatrix immittit Beauorium,

ne Tholosius illato in vrbem exercitu firmaret Gheusiorum partes, accito ad se Philippo Lanoio, Beauorij Domino, nobili impigroque Duce,

hisce verbis.

Testor, inquit, *Deum, ad arma me inuitam atque obluctantem pertrahi: famamque victoriæ (cuiusmodi cura & feminas non rarò tangit, & mihi aliquem huiusce gloriæ sensum ingenerare potuit Patris inuictus, martiusque sanguis) adamatam à me in Belgio meo numquam fuisse. Verùm quum apud homines ingenio contumaci, atque implacabiliter improbo, nec dissimulatione, nec venia quidquam aliud effectum sit, quàm vt authoritatem nobis, metum illis ademerimus; profectò malè mihi Religionis, Regisque, ac Patriæ causa cordi fuerit, si istorum ego perfidiam nimia indulgentia inualescentem nouissimis aliquando exemplis non coërceam: hostesque ac perduelles modò procurata hæresi discordiam, modò sumptis armis defectionem molientes, vi atque armis, vestraque, qua facilè possum, virtute non frangam. Age igitur, Beauori, te enim læsæ Maiestatis diuinæ, humanæque vindicem hic volo: & quando ad Osteruelam festinatione opus est, illuc cum imperio contende, Tholosiumque cum tumultuario exercitu impunè prædabundum, & tantum hospitibus metuendum, armatus aggredere, nec vllis conditionibus flecti te patere ad clementiam; sed homines scelestos, atque indeprecabile supplicium commeritos ferro, & igni quamprimùm dele*. Ita Ducem allocuta iubet illum è Bruxellensi præsidio trecentos sclopetarios seligere: ad hæc Flandricas cohortes è Valacria reuocatas ductore Valentino Pardeo Mottæ domino; præterea Co-

Valentinus Pardeus.

mitum Arembergij, & Barlamontij grauis armaturæ turmas: quin & plerosque Prætorianos suos eidem attribuit, atque hisce copijs

Orangius egressū prohibet Antuerpiensibus.

instructum aduersùs Tholosium properè immittit. Sensit Margaritæ consilium, qui Antuerpiæ moderabatur, Orangius: ac pridiè quàm illuc accederet Beauorius, pontem, quo ab vrbe Osteruelam transmittebatur, excindi iubet, ne Gheusij Antuerpiâ erumpentes Tholosianis opem ferrent, vt ipse per Marium Carduinum Margaritæ significauit: an potius, ne eodem ponte auxilium laturi Beauo-

rio


Pugna ad Osteruelam, Mar
A. Osteruela Pagus. B Antuerpia ur
C. Scaldis fluuius
D. Philippus Lanoius Beauorij Domin
in Gheusios exercitum Catholicoru
ducens.
E Pugna inter Catholicos et Gheusio
K
H
G
F
E
I
I
C


arita Parmensi Gubernatrice. 1567.
F. Iacobus Marnixius Tolosæ Dominus Gheusiorum Dux fugatus cum suis.
G Horreum ubi Gheusiorum Dux combustus
H. Gheusij fugantur.
I. Gheusij e Scaldis ripa præcipites acti.
K. Supplicium de Gheusijs sumptum.
A
B
C
C
D

1567 rio prodirent Catholici, quorum causam deserere ipse non poterat, tueri nolebat? Eiusdem quoque iussu sequenti die occluduntur portæ, ignaris, quò ea cura spectaret, Antuerpiensibus. Quorum repentè vicino tormentorum strepitu exciti procurrunt in mœnia: vident ad Osteruelam infestis armis cieri pugnam, agnoscunt vtriusque exercitus fulgentia per ripam fluminis vexilla, ipsas propemodum cædentium, cæsorumque voces exaudiunt. Nec ijsdem votis illum martialem ludum spectabant omnes, sed varijs tamquam in theatro studijs & clamoribus adstrepebant, modò alacres hortantesque, modò suspensi atque incusantes, manibus innuere, corporibus niti, ceu pugnæ immisti tela ipsi iacerent, aut declinarent. Donec fugari, proterique Tholosiani cœpere. Quippe improuisa Beauorij celeritate circumuenti vix indutis armis ad signa concurrere, vix super aggeribus explicare ordines, aciemque conserere potuerant. Restitere tamen aliquandiu numero primùm feroces, dein abscessu in domos ac munimenta securi. Sed admoto domibus igne pars intra tecta combusti, pauci pugnando in acie trucidati, plures è ripa in subiectum amnem præcipites acti, aut dum aquas tranant, pilis certò collineatis à tergo traiecti; ipse Tholosius in horreo, quò se desperatis rebus fortè intulerat, crematus est. Periere in ea pugna, quæ prima cum rebellibus commissa est in Belgio, Gheusiorum mille ac quingenti: capti circiter trecenti, iugulatique pænè omnes Beauorij iussu, quòd erupturi Antuerpienses, opemque reliquijs victæ factionis allaturi crederentur. Et verò vbi socios fundi, ac profligari conspexere Caluiniani, (Lutheriani enim odio Caluinianorum, à quibus longè acriùs quàm à Catholicis dissidebant, non eâ sanè curâ tangebantur) armis repentè correptis, ad pontem, vt laborantibus socijs adessent, rectà iter intendunt. Sed vbi hunc excisum, portas occlusas videre; lymphati per vrbem arma conclamant, quatuorque horarum spatio, quatuordecim hominum millia conueniunt, nullo certo Duce, nec satis certo consilio, eruptionem nè facerent portis vi effractis, an iram in eos, à quibus clausi attinerentur, effunderent. Aiunt ad hasce turbas contulisse plurimum Tholosij coniugem Antuerpiæ relictam. Quippe audita exercitus clade, virique sui periculo, (mortem nondum resciverat) mota mente per vrbem volitasse, Caluinianós aut ad opem, aut ad vltionem; eiulatu, ac precibus conciuisse. Et iam furentibus occurrerat Orangius cum Hochstratano, ratus Maiestate tantum, & qua erat apud eos gratiâ, facilè se concitatam multitudinem complacaturum: cœperatque causas intercisi pontis exponere: ne scilicet victor exercitus vrbem inuaderet, additusque partibus omnia permisceret. Sed inconditis vociferationibus, ac maledi-

Pugnatur ad Osteruelam.

Prospectant è mœnibus Antuerpienses,

contrarijs votis.

Vincuntur Tholosiani.

Dux ipse comburitur.

Caluiniani egredi Antuerpia ad opem sociorũ tentant.

clausi in Vrbe fremunt:

vxore Tholosij concitante.

Occurrit Orangius.

Sed periclitatur, ledictis plura dicere prohibitus, appellatusque palàm partium proditor, expertus est, APVD furentem multitudinem parum tutam esse Maiestatem sine viribus. Quin etiam fuit ex Caluiniana illa fæce, qui minaciter in Orangij pectus sclopetum tamquam explosurus admouerit. Vsque adeo CRESCIT ignauo cuique confidentia ex aliorum contagione. Ergo inde euoluere se satius Orangio visum: 1567

Crescit Caluinianorũ seditio: augebatur enim Caluinianorum numerus, atque audacia. Iamque occupato Merio ponte, & curulibus aliquot tormentis illuc ex ar-*et arma expedit.* mamentario comportatis, inuadendam Curiam, Magistratum in alios transferendum, Clerum omnem, ac Religiosas quasque familias ex vrbe amandandas insanè promociterque conclamant. Nec minùs ex altera parte Orangius periculo suo doctus, sex præsidiarijs *Opponunt se Catholici, & Lutherani.* vrbis cohortibus circa forum, ac monetales ædes distributis, ingentem Lutherianorum multitudinem trahens, ad Catholicos se se adiungit, qui non pauciores octo millibus induerant arma. Ita Catholici Lutherianis immisti, explicatis signis in curiam vadunt, insidentque, paratis armis eam tueri, si quid attentarent Caluiniani. Et hi agmine instructo iam in conspectu venerant, dispositisque tormentis pugnæ signum expectare videbantur; quum Orangius *quorum armis Orangius Caluinianos terret,* cuncto Senatu, validoque militum manipulo comitatus Caluinianos adit, imperantique propior monet, Arma deponant, si quid postulent, sine tumultu faciliùs impetraturos: secùs si faciant, hostem se Caluinianæ factionis perpetuum iurat. Ad ea submisere animos Caluiniani, quasi id honori Principis Orangij darent, quum re vera longè impares se se conspicerent Catholicorum, ac Lutherianorum copijs, ad quas institores Itali, atque Hispani magno armatorum numero stipati passim confluebant, veriti ne ipsi denique præda forent Caluinianis, eâ gratiâ tumultum aut aggressis, aut *& componit.* certè finituris. Itaque data vtrinque acceptaque securitate, certis conditionibus à Caluinianis, atque ab Orangio Principe iure iurando firmatis, tunc quidem ab armis discessum est. Ad quæ tamen arma, coniunctis animis, breui redire Caluiniani Lutherianique, vbi de obsessæ iam pridem Valencenæ periculo nuncium accepere. Et ea quidem res ita se habebat.

De VALENCENAE obsidione. INTER vrbes, quæ post Sacrorum depopulationem gerebant adhuc contumaces spiritus, Valencena erat, quippe validis hæreti-*Ciuitatis status.* corum factionibus incitata, & suapte natura, quemadmodum reliqui Hannoniæ populi, Dominorum impatiens: adeo, vt superbo gentis prouerbio iactetur; *Deo, ac Soli subiectam esse Hannoniam.* Et pars libertatis erat Galliæ vicinitas, cuius causâ molliùs, sed attentiùs regebantur Valencenates. Atque hinc Margaritæ sollicitudo, ne Belgicarum ille prouinciarum limes Gallis, si quid moli-

rentur,

1567 rentur, opportunus præ ceteris videretur. præſertim quòd ſciret, Grangium neſcio quem Narbonenſem Caluiniani Euangelij miniſtrum, profeſſoria lingua in ea ciuitate permiſcere omnia: & iam commercia inter Valencenates, & Gallos plurimùm accreuiſſe. Itaque Magiſtratum ea ſuper re ſæpe antè commonitum, poſtremò *Valencenates iubentur à Gubernatrice præſidiũ accipere.*
1. Dec. 1566. vbi ſe ſatis viribus firmatam videt Gubernatrix, ſcriptis litteris iubet, intra vrbem accipere præſidiarios milites, quos Philippus Norcarmius à Sancta Aldegunde, qui pro Marchione Bergenſi in Hiſpaniam miſſo, Hannoniæ Præfectum agebat, illaturus erat. eo enim nihil aliud ſpectari, quàm ipſius Magiſtratus authoritatem, & populi concordiam, tranquillitatemque. Norcarmio ad vrbem accedenti occurrêre ſub veſperam à Valencenæ Magiſtratu oratores, *oſtendunt ſe accepturos.* affirmantes ſe Regi, ac Gubernatrici fidos fuiſſe ad eam diem, atque in poſterum futuros: ſimul interrogantes, quot milites inducturus eſſet: roganteſque, vt quàm pauciſſimis contentus eſſet. Sed manè, quo tempore accepturos ſe præſidium polliciti erant, alij à *fallunt.* primis oratores veniunt. narrant, hæreticorum operâ per vrbem ea nocte volitantium, effectum eſſe, vt populus mutatâ ſententiâ decreuerit præſidiarios non admittere, cauſas Gubernatrici præſcripturus. Enimuerò offenſus eâ inconſtantiâ iniuriâque Norcarmius, vbique multa interminatus abſcedit, legatos interim ſecum trahens, quos tamen, quippe contra ius gentium retentos, Margaritæ iuſſu quarto pòſt die remiſit. Et cauſas quidem non admiſſi præſidij af- *Has ob cauſas.* ferebant, tum quod metuerent, ne ab eo inclementer, ac propè hoſtiliter ob Religionis diſſidium tractarentur: tum quòd ſibi perſuaderent, præſidium illud imperatum eſſe ignaris Orangio, Egmontio, Hornano, atque Hochſtratano: quibus quatuor ſponſoribus ſi ſecuri redderentur, illico ſe imperata facturos. Quæ ſanè verba *Offendunt hæ cauſæ Egmontiũ:* & Egmontium pupugêre, qui ſolus è quatuor aderat, dum hæ litteræ legerentur in Senatu, ideoque grauem ſibi collegiſque fieri ab illis iniuriam teſtatus eſt: & Margaritæ contumelioſa inprimis viſa *& multo magis Gubernatricem.* ſunt, quaſi poſt illorum Procerum authoritatem haberetur eius imperium. Itaque implacabiliter offenſa, eòque certa armis vlciſci contumaciam; non expectandam Regis ſententiam ampliùs exiſtimauit: euocatoque ad ſe Norcarmio, vnà cum Creſſonerio, nobili *quæ decernit obſidionem.* bellicorum operum machinatore, cum his de obſidenda quamprimùm Valencena conſtituit. deſignatiſque Tribunis, ac reliquis obſidioni neceſſarijs, litteras (qui ſtilus eſt iræ) perbreues ac decretorias Norcarmio tradit, quas Magiſtratui mittat, antequàm militem *Sed ante illos monet, præſidium vt accipiant.* circa vrbem explicet. In his iubebantur Regis nomine Valencenates, quatuor equitum turmas, totidemque ſigna peditum protinus accipere, ac Norcarmio prouinciæ Præfecto parere: ſi abnuerent,

pro

renuentes rebelles pronunciat: 1567

& ad prouincias scribit. — *14. Dec. 1566.* — *Guido Braius Montensis.*

pro Regis, ac patriæ hostibus habendos. Illis obstinatè recusantibus, ideoque edicto Regio proscriptis, ac bonis eorum publicatis, scribit ad singulas prouincias facti rationem Gubernatrix: *Sæpe ab se admonitos Valencenates, ne paterentur, hæreticos occupatis, contra id, quod cum fœderatis Nobilibus conuenerat, Catholicorum templis, in vrbe concionari: neue seditionum principes, ac præcipuè Grangium, sociumque ante annos quinque Tornaci damnatum, apud se alerent. hæc si minus possent ipsi per sese, præsidiarias cohortes ob hanc causam à Norcarmio ductas acciperent: vtrumque contemnentes, Regis nomine perduelles ab se iudicatos, atque ad frangendam contumaciam obsidione conclusos. Quamobrem edicere, Ne quis consilio, armis, pecunia, aliaue ope Valencenates iuuet: neve per agrum Valencenatem cum telo incedat, aut cœtum cogat intra eorum fines. secùs qui fecerit, eum aduersùs Regem, ac patriam facturum.* Commouit eius rei nuncius vniuersam Gheusiorum nationem: & quoniam momenti plurimum inerat in eo euentu ad factiones firmandas, multæ è multarum Consistorijs ciuitatum ad Valencenates illico datæ sunt litteræ; Forti ac securo animo essent, breui & auxilium obsessis superuenturum, & obsidentium copiolas, excitato alibi incendio, distrahendas.

Commouentur vbique locorum Gheusij.

TORNACENSES Gheusij arma capiunt, — *22. Dec. 1566.*

Insulas insidijs inuasuri. — *Lilla.*

NEC minæ ex vano iactatæ: nam paucis pòst diebus circa Tornacensem agrum quatuor Gheusiorum millia sub signis apparuere, duce Ioanne Soreano. Consilium ijs erat, Insulas vrbem Gallicanæ Flandriæ principem inuadendi. Et spem fecerant consistoriales aliqui mercatores, qui in ea vrbe plures ac ditissimi. Resque ita composita, vt certo die, quo Maximilianus Rassinghemius Insularum Gubernator abfuturus erat, procederent ad agrarias conciones Caluiniani solito frequentiores: in reditu miscerent se, quos dixi, milites Tornacenses: curam penes mercatores futuram, ne redeuntibus portas occluderent Insulani ciues. Distinendo autem interea Rassinghemio, cohortes aliquot ex oppido Armenterio deductæ erant, quæ agrum Insulensem infestæ obtinerent. Horum, quæ parabantur, omnium admonita in tempore Gubernatrix Norcarmio scribit, cum parte copiarum, quibus ad Valencenam assidebat, occurrat hostium consilijs, remque cum Rassinghemio antè communicet. Et Rassinghemius de Armenteriensi milite iam inaudierat: nihilque moratus, selectis centum quinquaginta peditibus, & equitibus sclopetarijs ferme quinquaginta, prope Vaterloum pagum pugnam committit. Erant Armenterienses paulum supra trecentos, plerique militiæ rudes, duce rudiori Cornelio nescioquo Caluiniano Magistro, qui ex fabro ferrario factus repentè concionator, ex concionatore miles, non magis peritè tunc arma, quàm Euangelium antè tractauit. Nam primo congressu turbatus, relicto

Conspirant Armenterienses.

Detegitur proditio.

25. Dec. 1566.

Rassinghemius Armenterienses aggreditur.

delet:

præ-

1567 prælio fugam lepus galeatus arripuit: ex eius militibus ducenti ac
triginta interfecti, ac protinus armis exuti, incruentam Raſſinghe- *ac victor Inſulas ingreditur.*
mio victoriam conceſſere. Qui læto milite, ac ſpolijs hoſtium onu-
ſto, Inſulas ingreſſus maiorem ciuitati metum ex inopinata clade,
quàm ſibi ex hoſtium ignobilitate gloriam peperit. Quamobrem
& conſilia conſiſtorialium diſturbata ſunt: & Tornacenſis exercitus,
audito Armenterienſium fine, ab Inſularum conſpectu Lanoium di-
uertit. quod oppidum occluſis munitiſque portis expugnare dum
fruſtra nititur eius ductor exercitus Soreanus, ſpatium ſui aſſequendi
Norcarmio dedit. Sed antequam Norcarmius ſuperueniret, Raſſin-
ghemius audito ex Armenterienſibus captiuis aduentare Gheuſios *Inde ad inſequendos Tornacenſes ſe conuertit.*
Tornacenſes, collectis quas maximè poterat popularium rùſtico-
rumque cohortibus, hoſtem adoriri quamprimum ſtatuit, igna-
rus ex Valencenati obſidione adeſſe Norcarmium idem agitantem.
Acciditque, vt præmiſſi aliquot à Raſſinghemio equites, qui viam *Mutuus exploratorum error.*
vireſque hoſtium, vti aſſolent, explorarent, in equites ferè totidem
inciderint, quos eandem ob cauſam Norcarmius præire iuſſerat.
Atque, vt nox & ſuſpicio animos turbant, rati alteri alteros ho-
ſtium exploratores eſſe, exploſis vtrinque ſclopis, vno alteroue ſau-
cio, terrentes pariter, ac territi receſſere. Ea res dum Raſſinghe- *Norcarmius antevertit.*
mium ſuſpenſum habet, Norcarmius aliunde certior factus hoſtem
prope Lanoium eſſe, eò confeſtim aduolat, aciemque inſtruere ag-
greſſus, animaduertit Gheuſios campeſtri apertoque prælio impa- *cū Tornacēſibus confligit.*
res, in locum impeditum clauſumque, ac ſaltui proximum paula-
tim abſcedere. Ergo tres immittit illuc ſclopetariorum cohortes,
manipulis aliquot haſtatorum immiſtas, ipſe cum equite ſecuturus.
Suſtinuere Gheuſij non inſtrenuè impetum à principio, exploſis
aliquot, quo diſpoſuerant in aditu, minoribus tormentis: quin li-
cet deinde multi eorum caderent, ſubmiſſis tamen alijs atque alijs, fa-
cilè inter eas loci anguſtias Norcarmianos ingreſſu arcebant. Sed
aperto tandem haſtarum viaditu, irrumpentibus equitum peditum-
que ſignis, illicò pedem referunt, confuſiſque ordinibus terga ver-
tunt: in fuga, in qua plus periculi, quàm in conſerta conſtantique *ingenti illorum ſtrage.*
pugna, pecorum more cæſi, pauciſſimi ex tanto numero diuerſis
per ſaltum itineribus euaſere, cum Duce Soreano. Norcarmius ſex
tantummodò ſuorum deſideratis, nouem hoſtium ſignis, viginti
campeſtribus tormentis, dolijſque duobus nitrati pulueris potitus,
opportunitate vtendum ratus, militem ſucceſſu ferocem incitatum-
que ex ſe ſe ad victoriam, Tornacum admonet: miſſoque tubicine, *Inde Tornaco præſidium denūtiat.*
iubet Gubernatricis nomine, Tornacenſes præſidiarium militem
protinus accipere: ſi abnuant, aut morentur, ſe armis victricibus
vſurum. Tornacenſes, audita ab ijs, qui profugerant, ſuorum *Paret ciuitas.*

ſtrage, ac repentina armataque Norcarmij denunciatione perculſi, 1567
quum ſpatium rationemque conſultandi & victor ad portas, &
intra animos pauor excluderet, Ducis ſe ſe fidei clementiæque com-
ad victor intrat: mittunt. Ille triumphanti ſimilis vrbem ingreſſus, ſtatim populum 2. Ian.
exarmat, miſſis qui per vrbis domos (quod etiam poſteà per Tor-
punit: nacenſe territorium fecit) arma, telaque omnia inde auferrent,
atque in arcem comportarent. dein rebellionis incentoribus in car-
cerem abreptis, Epiſcopo & clero in locum gradumque reuocatis;
poſtremò conſiſtorijs, atque huiuſmodi cœtibus, plerunque ſedi-
tionum officinis, ſeriò diſturbatis interdictiſque, hæreticæ factio-
nis neruos in ea ciuitate omnes planè ſuccîdit. Exinde iuſſus à Gu-
bernatrice Tornaco præficere pro Montinio in Hiſpania degente,
Ioannem Croium Reuſij Comitem, atque octo militum ſigna in
ad obſidionē Valencenæ redit. vrbe relinquere, præter quadringentos & quinquaginta arcis præſi-
diarios, ad Valencenæ obſidionem confeſtim redijt, oppugnatio-
nem agreſſurus, ſi Gubernatrici videretur. Sed hæc Regem con-
ſuper oppugnatione Vrbis Gubernatrix Regē conſulit. ſultura, ſtatim poſt receptum Tornacum, illi ſcripſerat vnà cum 8. Ian.
victoriæ nuncio, conſilium ſuum de Valencena armis aggredienda:
quoniam obſeſſi addentes culpæ peruicaciam, etiam vrbe hoſtiliter
egredi, illatiſque interdum prælijs Regios quaſi per contemptum
Rex id abnuit. laceſſere auderent. Rex etſi obſidionem non improbauit, oſtendit
tamen, futurum ſibi gratius fuiſſe, ſi incœpta obſidio non eſſet. 2. Febr.
nunc, quando eò ventum erat, famæ quidem intereſſe, eam non
omittere, ad clementiam tamen ſuam, caritatemque erga ſubiectos
ſibi populos pertinere, vt à quatienda machinis vrbe, ferroque in-
uadenda abſtineatur: ne militaris populantium furor innocentes
reoſque iuxtà inuoluat. Iniret itaque Gubernatrix vias omnes, qui-
bus ſine pugna ac cæde ad deditionem obſeſſi alliciantur: idque non
difficilè futurum exemplo Tornacenſium. Quod ſi rebellium obſti-
natio non niſi armis frangi poſſit, nolle vrbem oppugnari niſi ſe
ante conſulto, ac duabus è Germania legionibus euocatis. Verùm
hæc à Rege fruſtra monebantur, gliſcente in dies obſeſſorum con-
ex quo Gubernatrix oppugnationem differt, & arctius vrbē obſidet. tumacia. Quare Gubernatrix Norcarmio mandat, arctiore vrbem
obſidione circumuallet, commeatu commercioque intentiùs inter-
cludat, tormenta atque acies tamquam aggreſſioni paratas oſtentet:
ac tempus terrendo hoſtem, fatigandoque trahat, donec euocatæ
è Germania legiones, Tribunis Oberſtenio & Scauemburgio, ad-
& Regem literis vrget. uenirent. ſimul Regi ſcribit, *Clementia nihil profici. Sibi quidem,* 17. Febr.
ac Senatui neceſſarium videri, vrbem inuadere, dum nullis auxilijs fir-
mata expugnari poſſet Norcarmij iudicio, intra dies octo. Mora ve-
rendum eſſe, ne per Belgium frementibus Gheuſijs, finitimiſque Gallis
ſpatium daretur exercitus contrahendi. Neque propterea dimouit à
ſen-

1567 sententia Regem, festinatis præter solitum litteris monentem hor-
13 Mart. tantemque, *Cunctarentur adhuc, atque insisterent metu potiùs quàm* *Rex mitiora suadet, & modũ oppugnantibus præscribit.*
armis adoriri vrbem, tædio fortasse ac fatigatione flectendam. Sin ista
sine armis numquam processura viderentur, (in quo standum esse iudicio
rem præsentem æstimantium) hac omnino seruaret in aggredienda vrbe.
Primùm admotis aggeribus, dispositisque tormentis, contenti essent hisce
quasi tentamentis, atque præludijs oppugnationis: spatiumque interim ali-
quod pœnitentiæ relinquerent. Deinde si deditio non sequeretur, inua-
derent quidem vrbem, quodque militum est, agerent: à cædibus tamen
non puerorum modò, senumque, ac mulierum abstinerent; sed ci-
uium nullus, nisi dum inter propugnandum se hostem gereret, enecaretur.
His permota Gubernatrix, quamuis intelligeret, hæc dici clemen- *Obsequitur Gubernatrix:*
tiùs, quàm opportuniùs: quippe per eos dies Valencenâ egressus
sacrilegorum manipulus, aliquot cœnobia non procul ab vrbe suc-
cenderat, prædâ Valencenam relatâ; tamen & Regiæ moderatio-
nis memor & suæ, nihil intentatum voluit. Audierat Valencenates
odio in Norcarmium pertinaces esse: visum est ad eos mittere è Pro- *missis Egmontio, & Areschoto:*
ceribus duos, Lamoralium Comitem Egmontium, & Philippum
Croium Areschoti Ducem: si fortè, qua erant authoritate, ad sa-
niora consilia retrahere illos possent. Et hi quidem euocatos ad
colloquium Valencenatum legatos blandè hortantur, *Ferociam, ac* *Qui Valencenatibus obedientiã suadent.*
pertinaciam exuant, non profutura, vbi tormentis quati mœnia impe-
retur. Quippe ad eam diem stetisse vrbem non eorum virtute, sed Gu-
bernatricis Regisque clementia. Externum verò subsidium satis exper-
tos esse, frustra ab se expectari. Gallos nihil moliri, & si moliantur,
eorum vti veterum hostium opem nec Belgis decoram, nec salutarem fo-
re. Antuerpiensium consistoria factionibus scissa quid adhuc expedìsse?
Tornacenses mouisse aliquid, se simul oppressos: Buscoducenses, aliós-
que domi suæ satis habere, quod curent. Spem omnem in Tholosio super-
fuisse: at hunc, exercitumque omnem (ne ignorarent) à Beauorio in An-
tuerpiæ conspectu cæsos. Quem iam, aut vnde liberatorem aduenturum?
Itaque contumaciam pœnitentia redimerent: ac Principis indignationi,
excidioque patriæ, obedientia, dum licet, atque obsequio anteuerterent.
Hæc præfati, conditiones recitant sibi traditas à Gubernatrice: Vt *propositis conditionibus,*
Valencenates vrbem dedant, præsidiarium militem accipiant:
vrbe dedita, ac præsidio accepto, qui Regi obtemperaturi sunt,
ijs Valencenæ esse impune liceat: alij statim ab vrbe iam tradita
decedant, permissa illis omni translatitia supellectili. Legati, quæ
audierant, referunt ad Senatum populumque occupatum iam ob-
firmatumque prauorum consilijs, ac potissimum Grangij concio-
nibus, hominis malo publico facundi. Iuuit pertinaciam rumor *frustra.*
Tholosianæ victoriæ, fugatique Beauorij, fictus opportunè ab

strage, ac repentina armataque Norcarmij denunciatione perculsi, 1567
quum spatium rationemque consultandi & victor ad portas, &
intra animos pauor excluderet, Ducis se se fidei clementiæque com-
eā vrbem intrans mittunt. Ille triumphanti similis vrbem ingressus, statim populum 1. Ian.
exarmat, missis qui per vrbis domos (quod etiam posteà per Tor-
punit. nacense territorium fecit) arma, telaque omnia inde auferrent,
atque in arcem comportarent. dein rebellionis incentoribus in car-
cerem abreptis, Episcopo & clero in locum gradumque reuocatis;
postremò consistorijs, atque huiusmodi cœtibus, plerunque sedi-
tionum officinis, seriò disturbatis interdictisque, hæreticæ factio-
nis neruos in ea ciuitate omnes planè succidit. Exinde iussus à Gu-
bernatrice Tornaco præficere pro Montinio in Hispania degente,
Ioannem Croium Reusij Comitem, atque octo militum signa in
ad obsidionē Valencenæ redit. vrbe relinquere, præter quadringentos & quinquaginta arcis præsi-
diarios, ad Valencenæ obsidionem confestim redijt; oppugnatio-
nem agressurus, si Gubernatrici videretur. Sed hæc Regem con-
super oppugnatione Vrbis Gubernatrix Regē consulit. sultura, statim post receptum Tornacum, illi scripserat vnà cum 3. Ian.
victoriæ nuncio, consilium suum de Valencena armis aggredienda:
quoniam obsessi addentes culpæ peruicaciam, etiam vrbe hostiliter
egredi, illatisque interdum prælijs Regios quasi per contemptum
Rex eā abnuit. lacessere auderent. Rex etsi obsidionem non improbauit, ostendit
tamen, futurum sibi gratius fuisse, si incœpta obsidio non esset. 6. Febr.
nunc, quando eò ventum erat, famæ quidem interesse, eam non
omittere, ad clementiam tamen suam, caritatemque erga subiectos
sibi populos pertinere, vt à quatienda machinis vrbe, ferroque in-
uadenda abstineatur: ne militaris populantium furor innocentes
reosque iuxtà inuoluat. Iniret itaque Gubernatrix vias omnes, qui-
bus sine pugna ac cæde ad deditionem obsessi alliciantur: idque non
difficilè futurum exemplo Tornacensium. Quod si rebellium obsti-
natio non nisi armis frangi possit, nolle vrbem oppugnari nisi se
ante consulto, ac duabus è Germania legionibus euocatis. Verùm
hæc à Rege frustra monebantur, gliscente in dies obsessorum con-
ex quo Gubernatrix oppugnationem differt, & arctius vrbē obsidet. tumacia. Quare Gubernatrix Norcarmio mandat, arctiore vrbem
obsidione circumuallet, commeatu commercioque intentiùs inter-
cludat, tormenta atque acies tamquam aggressioni paratas ostentet:
ac tempus terrendo hostem, fatigandoque trahat, donec euocatæ
è Germania legiones, Tribunis Oberstenio & Scauemburgio, ad-
& Regem literis vrget. uenirent. simul Regi scribit, *Clementia nihil profici. Sibi quidem,* 17. Febr.
ac Senatui necessarium videri, vrbem inuadere, dum nullis auxilijs fir-
mata expugnari posset Norcarmij iudicio, intra dies octo. Mora ve-
rendum esse, ne per Belgium frementibus Gheusijs, finitimisque Gallis
spatium daretur exercitus contrahendi. Neque propterea dimouit à
sen-

1567 sententia Regem, festinatis præter solitum litteris monentem hor-
11. Mart. tantemque, *Cunctarentur adhuc, atque insisterent metu potiùs quàm armis adoriri vrbem, tædio fortasse ac fatigatione flectendam. Sin ista fine armis numquam processura viderentur, (in quo standum esse indicio remprasentem æstimantium) hac omnino seruaret in aggredienda vrbe. Primùm admotis aggeribus, dispositisque tormentis, contenti essent hisce quasi tentamentis, atque præludijs oppugnationis: spatiumque interim aliquod pœnitentiæ relinquerent. Deinde si deditio non sequeretur, inuaderent quidem vrbem, quodque militum est, agerent: à cædibus tamen non puerorum modò, fœminumque, ac mulierum abstinerent; sed ciuium nullus, nisi dum inter propugnandum se hostem gereret, enecaretur.* *Rex mitiora suadet, & modũ oppugnantibus præscribit.*

His permota Gubernatrix, quamuis intelligeret, hæc dici clementiùs, quàm opportuniùs: quippe per eos dies Valencenâ egressus sacrilegorum manipulus, aliquot cœnobia non procul ab vrbe succenderat, prædâ Valencenam relatâ; tamen & Regiæ moderationis memor & suæ, nihil intentatum voluit. *Obsequitur Gubernatrix:* Audierat Valencenates odio in Norcarmium pertinaces esse: visum est ad eos mittere è Proceribus duos, Lamoralium Comitem Egmontium, & Philippum Croium Areschoti Ducem: si fortè, qua erant authoritate, ad saniora consilia retrahere illos possent. *missis Egmontio, & Areschoto:* Et hi quidem euocatos ad colloquium Valencenatum legatos blandè hortantur, *Ferociam, ac pertinaciam exuant, non profutura, vbi tormentis quati mœnia impetretur. Quippe ad eam diem stetisse vrbem non eorum virtute, sed Gubernatricis Regisque clementia. Externum verò subsidium satis expertos esse, frustra ab se expectari. Gallos nihil moliri, & si moliantur, eorum vti veterum hostium opem nec Belgis decoram, nec salutarem fore. Antuerpiensium consistoria factionibus scissa quid adhuc expedijsse? Tornacenses mouisse aliquid, se simul oppressos: Buscoducenses, aliosque domi sua satis habere, quod curent. Spem omnem in Tholosio superfuisse: at hunc, exercitumque omnem (ne ignorarent) à Beauorio in Antuerpiæ conspectu cæsos. Quem iam, aut vnde liberatorem aduenturum? Itaque contumaciam pœnitentia redimerent: ac Principis indignationi, excidioque patriæ, obedientia, dum licet, atque obsequio anteuerterent.* *Qui Valencenatibus obedientiã suadent.*

Hæc præfati, conditiones recitant sibi traditas à Gubernatrice: Vt Valencenates vrbem dedant, præsidiarium militem accipiant: vrbe dedita, ac præsidio accepto, qui Regi obtemperaturi sunt, ijs Valencenæ esse impune liceat: alij statim ab vrbe iam tradita decedant, permissa illis omni translaritia supellectili. *propositis conditionibus,* Legati, quæ audierant, referunt ad Senatum populumque occupatum iam obfirmatumque prauorum consilijs, ac potissimum Grangij concionibus, hominis malo publico facundi. Iuuit pertinaciam rumor Tholosianæ victoriæ, fugatique Beauorij, fictus opportunè ab *frustra.*

hæreticis, vt nuncio de Tholosijs clade fidem aut præcluderent, 1567
aut tamdiu certè suspenderent, dum legati de restituenda vrbe consultabant. Qui, re infecta, ad Areschotum, Egmontiumque redeuntes, quum nil pacati retulissent, ab iratis minantibusque Proceribus, quod nihili se factos à Valencenatibus viderent, illico dimissi sunt. Et Egmontius (cuius militarem animum, offensionique propiorem acriùs irritauerat obsessorum peruicacia) eo ipso die, secutaque nocte cum Cressonerio mœnia contemplatus, atque ipsas vrbis fossas ingressus, Margaritæ affirmauit, breuì Valencenam expugnari posse. Illa, quoniam admonendo, terrendoque videbat satisfactum iam Regi, & aduentare Germanorum copias nunciabant: irata præsertim, quòd inaudisset, nocturna nuper eruptione cohortes aliquot Valencenatum subitariâ pugnâ castris obsidentium insultasse; iubet Norcarmium sine vlla cunctatione contractis obsidij claustris, vrbem, sed ex præscripto Regis, inuadere. Situ non valido minus, quàm amæno fruitur Valencena: paulumque alicubi assurgens, cætera æquo planoque iacet loco: mœnibus, turribus, fossis, & Scaldi flumine mediam perlabente, vnàque cum Ronella riuo mœnia circumuallante, externis propè viribus inaccessa. Sed Norcarmius haud ignarus imperito cum hoste sibi agendum: vrbique ceu robusto corpori inesse imbellem animum, lustratis alicubi angustioribus fossis, campoque per incuriam propemodum exæquatis; magno fidentique animo oppugnationem aggreditur. Et reuocata copiarum parte, quas ad obsidendos viarum aditus, atque ad arcendas commeatuum subuectiones, ductore Gaspare Billio, sparsim habebat, Montensis portæ suburbium nocte occupat. Inde cum aliquot signis Hannoniorum militum prægrandes tubos assiduè displodentium, dum hostem per muros dispositum continenti pilarum procella proturbat, ac distrahit; Cressonerius admirabili celeritate ad mœnia producit aggerem, minimâque suorum iacturâ, ante hostis oculos stationes obsidentium ex castrorum disciplina communit. Ergo distributis vrbis partibus inter Maximilianum Bossuuij Comitem, Carolum Mansfeldium Ernesti filium, & Ægidium Hiergij Dominum, oppugnatio cœpta: primùm decem muralibus ingentibusque tormentis, dein viginti, præter minores bombardas, tanta impressione, vt intra quatuor horas, deiecta, quam in muro constituerant, præcipua munitione; territi eo principio ciues, misso Tubicinum pari, Norcarmium rogauerint, Ne grauaretur audire fide publica Valencenæ legatos de tradenda vrbe mox acturos. Illis permissis, vt venirent; nihil tamen à quatiendis mœnibus propterea cessatum voluit. Quo celeriùs oratores (viginti omnino erant) sub vesperam aduenere, deditionem vrbis pollicentes

Decernitur oppugnatio.

Situs Valencenæ.

Eius suburbium occupat Norcarmius.

Gaspar Robles Billij Dominus.

& agger ad mœnia promouetur.

Vrbs quatitur.

Ægidius Barlamontius.

Et legatos mittit de conditionibus deditionis:



Obsidio Valencenæ, Margarita
A. Valencena urbs Hannoniæ.
B. Circumuallatio prima. C. Accessus ualli.
D. Agmina Maximiliani Com. Bossuuij.
E. Agmina Caroli Com. Mansfeldij.
F. Agmina Aegidij Hiergij Barlamontij.
G. Gheusij Valencenates ex incenso cœnobio prædam referentes.
H. Suggestus tormentorum urbem uerberantium.
I. Murorum ruina.
K
L
M
N
O
P
Q
A
B
C
D
E
F
H
M
N
O


armensi Gubernatrice . 1567.
Bossuuius suos ad aggressionem urbis impellens.
Mansfeldij milites in urbem tendentes.
Valencenates stationem Hiergij inuadentes.
Phil. Norcarmius Hannoniæ, et expeditionis
Præfectus equitatum mouens in auxilium Hiergij.
Equites in auxilium Hiergij.
Legati Valencenatum urbem dedentes.
Norcarmius cum belli Proceribus Lega:
tionem excipiens.
A
G
H
H
C
L
L
D
E
B
D
E
P
Q

1567 centes iisdem conditionibus, quæ nudiustertius ab Areschoto, Egmontioque fuerant oblatæ. Sed irridens eos Norcarmius, *Quasi verò*, inquit, *vestra conditio eadem hodie sit, ac nudiustertius. Serò sapitis Valencenates: ego certè conditionibus non transigo cadente cum hoste.* continuauitque nocte tota oppugnationem, nullo temporis spatio relicto ad muros reficiendos, multis in locis adeò dirutos, vt iam fossa alicubi ruinis exæquata, subeundæ vrbis gradum militi præberet. Quum repentè post secundam diei horam præstò adsunt legati Valencenatum, ac se, vrbemque clementiæ Gubernatricis sine vlla exceptione dedunt. Tunc Norcarmius, signo receptui dato, militem iam iam in muros euadentem, ac prædæ inhiantem pro imperio continuit, admonuitque modestiæ, quam Regis nomine imperauerat Gubernatrix. Tenuit ea oppugnatio triginta sex horas, perpetua contentione. feruntque ter millies explosas murales machinas, mœnium quàm hominum maiori strage. Eodem die, qui Dominicus Palmarum planè palmaris fuit, ingressus vrbem cum tredecim signis peditum Norcarmius, obuios per vias habuit mulierum, ac puerorum cœtus, arborum ramos manu præferentium, simul miserabili voce fidem misericordiamque victoris implorantium. Quibus benignè submotis, sine cuiusquam cæde, aut direptione domus, quamuis ciuium opulentia inuitaret, contumacia mereretur; in curiam ascendit. Ac primùm, vt in mandatis habebat, ciues exarmauit, tormenta bellica (ea octoginta reperta sunt) ac reliquum belli instrumentum, apparatumque ciuitati abstulit. Dein instituta quæstione aduersùs rebellionis principes, sectarumque hæreticarum buccinatores: ex illis sex & triginta in carcerem protinus coniecti: horum nemo capi tum quidem potuit, clàm vrbe egressi, quamuis portæ aut statim clausæ, aut infessæ militibus fuissent. Sed ad oppidum Sancti Amandi ex fuga retracti, & custodiâ diù retenti, postea ciues quidem gladio, hæresum verò præcones, atque ex militibus aliqui, suspendio necati. Postremò Magistratus, Quæstoresque, ac rerum publicarum curatores gradu omnes moti: ademptisque publicis immunitatum tabulis ac priuilegijs, ciuitas mulctata, donec à Rege illa iterùm instaurentur. Hæc, vti gesta erant, omnia Regi perscribens Gubernatrix, adiectisque eorum Ducum, militumque nominibus, qui in obsidione, oppugnationeque laudem præ ceteris meruerant; rogat, vt ex reorum bonis Regio fisco addictis, remunerari sibi liceret illorum virtutem ac fidem: quo fructum victoriæ, modestiæque sentiret miles, atque alij promptiora interim obsequia condocerentur. Rebus in hunc modum Valencenæ compositis, ac sacris ædibus, earumque cultu ritè restitutis: euocatoque ob eam causam ex Artesia Atrebatensium

Epi-

Illa non accipiātur.

Ideoque victoris clementiæ se ciuitas dedit.

Quāta oppugnatio hæc fuerit.

Norcarmius vrbem victor ingreditur:

& exarmat:

& punit:

Ciues Ministri.

& priuilegijs exuit.

2. April.

Victores Regi commendat Gubernatrix.

Ex huius Ciuitatis statu tum sacro tum ciuili restituto.

Episcopo, atque octo militum cohortibus vrbi impositis: vt ille Religione, hi metu populum continerent; mirum, quantâ & Norcarmius inclaruerit exinde gloriâ: & per omnes rebellium atque hæreticorum ordines mutatio, subiectis semel Valencenatibus consecuta sit. adeo, vt hac vna in vrbe, vrbium claues omnium repertæ esse vulgò dicerentur. 1567.

Laus Norcarmii, & rebellium consternatio.

De IVREIVRANDO ex Proceribus Belgij postulato.

INTEREA Gubernatrix alijs rursum litteris admonita, Regi profectionem adornanti Ferdinandum Toletanum Albæ Ducem facilè præiturum; dum res in Belgio fluebant ex voto, vrgendum putauit, quod iam pridem moliebatur de Magistratibus, belliqueac pacis administris adigendis, vt iurati sponderent, *Se Regi nauaturos operam aduersùs eos, qui Regis nomine designarentur, sine cuiusquam exceptione.* 15. Mar.

Cur illud poposcit Gubernatrix.

Quod agebat, non vt exploraret aliquorum animos, satis sibi perspectos: nec quia ignoraret, NVLLIS constringi vinculis posse perfidiam; sed vt eos minore inuidia aut exauthoraret, si sacramentum abnuerent: aut plecteret, si fallerent fidem; eòque Belgium nulla impacatum ex parte Regem acciperet. Cœperat id Gubernatrix anni huius initio: reque ad Senatum relata, addidit gratissimum sibi fore, si Proceres ipsi præirent ceteris, dein faciliùs secuturis.

Qui iurarunt.

Primus rem probauit, promisitque sacramentum Comes Petrus Ernestus Mansfeldius: secutique exemplum Areschoti Dux, & Comites Egmontius, Meganus ac Barlamontius, vti tunc spoponderc, ita postea iureiurando firmarunt. At Henricus Brederodius, à quo Gubernatrix per certos nuncios, & compositis deinde litteris exegerat sacramentum fidelitatis, tamquam ab eo, qui & in ditione Regis esset, & Belgicorum equitum centuriam ex quatuordecim vnam duceret; diu tergiuersatus, postremò, quoniam iubebatur regimen equitum deponere, questus agi secum inclementer & iniuriosè, centuriam recusato iureiurando remisit. Abnuerunt quoque sacramentum, quamquam paulo ciuiliùs, Comites Hochstratanus, Hornanusque: quod dicerent, sacramentum, quo se superioribus annis obstrinxerant, satis esse. Moderabatur Antuerpiam Hochstratanus loco Principis Orangij apud Hollandos agentis, atque ex ea vrbe Mechliniam Præfecturam suam administrabat. Ergo Margarita, quæ iam pridem in Hochstratanum intenta, minus homini fidebat; Mechliniæ Præfecturam Semerij Domino demandat, viro integræ Religionis ac fidei: scribitque Hochstratano, prouisum à se vrbi, quæ Gheusijs ad inuadendum nuper designata, præsenti Gubernatore opus habebat. Et Hochstratanus, perinde quasi non intelligeret Gubernatricis indignationem, ne suam quoque culpam agnoscere videretur; egit ei per litteras abunde gratias, quod se illo tunc onere liberasset: addiditque, In deponenda præfectu-

Brederodius recusat: 2. Febr.

& priuatur equitũ regimine:

& præfectura Mechliniæ Hochstratanus.

6. Ian.

Qui cum Gubernatrice indignationẽ dissimulat.

12. Ian.

1567 fectura, deberetnè coràm conuenire Mechlinienses, an compositis ad eos litteris id officij præstare, expectaturum quid eius Celsitudo imperauerit. immo si eidem videretur, alium pro Orangio Antuerpiæ regendæ præficere, sibi hoc etiam beneficij loco futurum. Sed dissimulationem deposuit Mansfeldio scribens. Quum
19. Ian. enim Gubernatrix significasset, satius sibi videri, si ipse scriptis ad Mechlinienses litteris, de præfectura deposita illos admoneret: ad eamque Gubernatricis epistolam, quum suam quoque Mansfeldius adiunxisset, Hochstratanum pro affinitate (nam Momorantias sorores duas Heleonoram & Mariam duxerant, Hochstratanus illam, hanc Mansfeldius) sollicitè adhortans, vt Gubernatricis indigna- *eam tamen Mansfeldio aperit in hunc modum.*
20. Ian. tioni satisfaceret; subacerbè respondit, *Agere se homini gratias, qui tam multis negotijs implicitus, quibus Margaritam in Imperij cura magnificè sublevabat, prospicere affini, & consilium dare voluisset: quo tamen consilio se quidem non egere, satis per se gnarum, quid facto opus esset. Interim gratulari occupationibus eius supra quàm vellet augendis, aduentu tot catulorum ex Hispania, Italiaque.* Tardiùs aliquantò molestiùsque cum Orangio acta res est. Is enim, recusato *Idem recusat Orangius,*
18. Mart. sacramento, Gubernatrici inter alia scripserat, Hollandis Zelandisque atque Burgundis Præfectum designaret; quando se hisce præfecturis cecidisse ex Regis sententia intelligebat. Id verò Margaritæ animum suspendit, quòd apertè inimicum nollet, cui subigendo satis virium nondum haberet. Mittit igitur ad eum Antuerpiam Ioannem Baptistam Bertium à Secretis: qui hominem priuata curantem reperit, oblatâque Gubernatricis epistolâ, qua Bertij dictis fidem haberi volebat; multis ostendit, Consilium deponendi Præfecturas nec Gubernatrici, nec cuiquam Procerum probari: non solùm quòd esset prouinciarum necessitatibus importunum, atque ipsi Orangio indecorum; sed etiam quòd huiusmodi præfecturas à Rege traditas nec Gubernatrix alicui posset adimere, nec ipse inconsulto Rege deponere. ideoque resumeret quàmprimùm publicas curas: cogitaretque, non temerè postulari à Rege, vt in communi prouinciarum tumultu, ipsi prouinciarum Præfecti, instaurato sacramento, studium operamque suam ostentarent. Ad ea Orangius (præsente, qui fortè superuenerat, Hochstratano) respondit; Multis se grauissimisque de causis, quas indicauerat adhuc nemini, sacramentum abnuisse. Primùm quòd ex ijs, qui præcesserant; prouinciarum Præfectis numquam exactum id fuerat. deinde quòd quum fidem suam iam pridem Regi iuratus obligauerit, sicuti Proceres alij, qui Regis in ditione censentur; videri posset aduersùs promissa peccasse, si ad ea rursus iureiurando adigeretur. præterea quòd quum iurauerit, suarum se prouinciarum priuilegia seruaturum,

seq; præfecturis vltro abdicat.

Ad quē mittitur à Gubernatrice Bertius:

qui docet, cur sacramentum ab illo exigitur.

Orangius non audit,

promptis causis

prima.

secunda.

tertia.

rum, si fortè quid contra illa imperaretur, parêre imperanti non posset, impeditus iurisiurandi religione: & tamen parêre deberet, si iuraret in præsentia, facturum se quidquid Regis nomine aduersùs quoscumque imperatum sit. 1567

quarta. addidit ad hæc, in oblata sibi iurisiurandi formula Imperatorem non excipi, cui beneficiario iure quum esset obstrictus, numquam se in illum arma sumpturum: *feudatarius.* immò nec excipi filios, aut amicos, vti Cliuiæ Ducem, aliosque non paucos, quibus bellum inferre quî posset? *quinta.* adiunxit & hanc causam: multa quotidie in eos, qui Catholicorum in numero non essent, edicta proponi capitalia; quorum ipse minister esse nollet, refugiente animo eiusmodi supplicia ob causam Religionis irrogari solita. quinetiam ex eo sacramento cogi se posse, ad vxorem ipsam vltimo supplicio mactandam, quippe Lutheri sacris imbutam. *vltima ex Albano Duce.* denique & hoc sibi cogitandum, posse illum, qui Regis nomine aliquid imperaret, esse huiusmodi, cui subijcere se se haud sanè decorum generi suo duceret. Atque hîc Ducem Albanum nominauit *Ferdinandus à Toleto Albæ Dux.* indignabundus, ac siluit. *eaque sola verè causa.* Nempe Albani, vti ferebatur, aduentus hominem turbabat: ceteræ causæ in speciem erant, & quia inualidæ, cumulo firmabantur. Neque enim is erat Orangius, quem à prouinciarum administratione iurisiurandi religio remoueret: sed intutum existimauit, credere se se Hispano Duci, naturâ tristi asperoque, & pro veteri æmulatione superbiùs imperaturo. Immo vel si se amicè Albanus gereret, non videbatur Orangius laturus hominem, qui amicitiam loco veniæ imputare posset. At Bertius, vt erat ab ingenio, & à mandatis instructus, singulas à capite causas *Ad singulas causas Bertius respondet.* expendens; Mirum non esse dixit, quum tanta prouinciarum necessitas non ingruerit superiorum Præfectorum tempore, si ex eis huiusmodi sacramentum exactum non sit. Iterari iusiurandum, non ad superius sacramentum quasi corruptum, noua professione resarciendum; sed ad maiorem alacritatem in nouo periculo suscitandam. In priuilegijs prouinciarum conseruandis fidem suam obligasse Regem non minus, quàm Orangium: ideoque ne quid aduersùs illa imperetur, Regi curæ futurum. Neque hîc agi de bello in Cæsarem, aut in Imperium, aut in Cliuiæ Ducem inferendo: quos vt ipse in sacramento exciperet, Gubernatricem libentissimè consensuram. Curam edictorum ac pœnarum, quæ in hæreticos statuuntur, non ei committendam: multò verò minus, vt in vxorem animaduertat, illum cuiusquam imperio adigendum. *non persuadet.* Sic Bertius rationes Orangij refellere conabatur, omissa Ducis Albani mentione, siue responsi dubius, siue quia nominata vxore, interfatus Orangius non expectauit illum deuenire ad eum locum, addiditque, Se pro certo habere, Regem, si in Belgium aduenerit, non passu-

rum

1567 rum cuiuſquam vxorem alijs religionibus inhærentem: ideoque decretum ſibi eſſe in Germaniam cum familia migrare, ante Regis aduentum, ne illo præſente eiectus è Belgio, non ſponte ceſſiſſe videretur. vbi tamen cumque locorum eſſet, victurum ſe vti Regi ſubditum deceat: nec quidquam, quod ad eius Maieſtatis amplitudinem pertineat, omiſſurum. Bertius, quando obfirmato hominem animo videt, ad extremum quaſi inducias reiecta pace impetraturus, orat (nam & hoc in mandatis habebat) vt antequàm diſcedat, cum Egmontio, alijſque nonnullis, quos vellet, Proceribus colloqui ea ſuper re ſuſtineret. Cui libenter aſſenſus, Villebrocum pagum, Bruxellas inter & Antuerpiam, colloquio deſignat. Quò quum hinc Orangius, inde Egmontius, ac Mansfeldius, & Gubernatricis iuſſu Bertius conueniſſent, eademque rurſus ac ſæpius agitaſſent; infecta re abiere. Ferunt Orangium, antequàm inde recederet, cum Egmontio ſeorſim abducto de imminentibus periculis locutum, oraſſe illum, ſubduceret ſeſe, grauidamque cruore tempeſtatem ab Hiſpania impendentem Belgarum Procerum capitibus ne operiretur. Et quum Egmontius meritis ferox, eòque periculi negligens, contrà diſſereret, ac Regis clementiæ, ſi pacatas reperiret prouincias, omnia tribueret; *Perdet te*, inquit Orangius, *hæc quam iactas clementia Regis, Egmonti. ac videor mihi prouidere animo, vtinam falsò, te pontem ſcilicet futurum, quo Hiſpani calcato, in Belgium tranſmittant.* Quo dicto tamquam præſagitionis certus, hominemque ſupremùm viſurus, arctè, nec ſine vtriuſque lacrymis complexus, abſceſſit. Ac poſtridie datis ad Gubernatricem litteris orauit, *Quæ nunc egiſſet, quoſque ſæpe labores domi militiæque, pro Regis commodo, ac dignitate pertuliſſet; benignè interpretaretur ipſa, & Regi in memoriam reuocare dignaretur. Se certè Celſitudini eius, quibus in terris ageret, addictiſſimum perpetuò fore.* Statimque cum vxore, ac familia, præter Philippum filium natu maximum, Louanij ſtudiorum causâ relictum, pluriniſque officij causâ comitantibus, Bredam oppidum ſuum petijt: vbi paulum moratus, Cliuiam, poſtremò Dilemburgum antiquam Naſſauiorum ſedem, exeunte Aprili, ſe recepit. At Egmontius & ſi animo pauliſper commoto ob amici diſceſſum, inde tamen lætior, quaſi abſque veteri æmulo vnicè ſecurus partium primarum, adeſſe Gubernatrici, vltro operam expromere, remque curare publicam ſolito intentiùs cœpit. Nam & ſacramentum, vti pollicitus erat, peculiari forma dixit: & diſturbatis per inferiorem Flandriam conſiſtorijs, oppida nonnulla ipſe ſex peditum ſignis comitatus exarmauit: & alienum ſe adeò ab aliquorum conſilio collegarum oſtendit, vt per Hochſtratani Comitis aulicum, qui ſermonum miniſter erat, hortatus ſit eos, Ne quid

Colloquium tamē impetrat.

re infecta.

Orangij discessuri verba ad Egmontium.

4 April.

& epiſtola ad Gubernatricem.

Poſt illā Belgio abit Orangius.

Egmōtius ſacramentum dixit:

Regijs partibus ſtudet:

Contrarijs ſe fœderatis oſtendit:

aduersùs Religionem, ac Regem, decusque proprium molirentur: 1567
dissoluta cum iis amicitia. si secus agerent, se illos inimicorum loco non minus, quàm fasciâ amictos albâ (quod bellicum est Gallorum gestamen) habituros. Ex quo factum, vt Hochstratanus, alijque sua litterarum libellorumque autographa, quæ vnquam Egmontio dederant, repetierint: simul illa, quæ ab eodem acceperant, omnia remittentes. haud dubium dissolutæ familiaritatis argumentum: quæ tamen ne forte ad se ludificandam agitarentur, subuereri Gubernatrix videbatur. Sed ea siue ex animo faceret Egmontius, fœderatorum mores iam exosus: siue Gubernatrici ostentaret, aduersam sui opinionem aduentante Rege deleturus; certè momenti plurimum attulere Catho-

Inde magna rerum conuersio. licorum partibus. Etenim coniuratorum Nobilium sanè complures Orangio destituti, Egmontio aduersante conterriti, diffidentibusque maiorum gentium Proceribus, ipsi quoque suspecti inuicem, *Cõpromisso multi renunciant.* disparant animos, certatimque per amicos alij, alij coràm à Gubernatrice veniam petunt, fœderis compromisso renunciant, seque nouo authoramento, vti rogabantur, obstringunt. Immo non multo pòst polliciti sunt Hochstratanus Hornanusque, scriptis ad Gubernatricem litteris, se sacramentum præsente illa dicturos: atque hic posterior etiam iurisiurandi exemplar vnà transmisit. *Hornan.*

Contumaces Belgio abeunt, Comites Culemburgius, ac Bergensis Belgio iam cesserant: Ludouicus Nassauius Principem fratrem secutus erat. Itaque illos quatuor primi fœderis ductores, præter Henricum Brederodium spei retinentissimum, omnes timor abstraxerat. Inde consternatio, & *præsertim hæretici.* querelæ mercatorum, hæreticorumque, desertos se contrà quàm conuenerant, proditosque à nobilitate, lamentantium: inde multorum, ac præcipuè concionalium Ministrorum fuga: inde Margaritæ spes, ac festinatio, dum trepidis, ac discordibus factionum capitibus, contumaces populi ad pristinam obedientiam reuocari faciliùs possent.

TRAIECTI tempe atio. ET IAM Gubernatricis iussu Norcarmius cum viginti & vno peditum signis, ac decem muralibus tormentis Traiectum ad Mosam expugnaturus in Brabantiam contendebat. Sed Traiectenses *Mastrich.* *Ciues veniam orant Gubernatricem.* audita Valencenæ vrbis deditione, concionatores hæreticos, doctoresque eius factionis omnes vrbe protinus expulerant. Dein certiores facti de aduentu Norcarmij, festinata ad Gubernatricem legatione veniam orant, anteacta deprecantur, seque in potestate Regis, atque Episcopi (Traiectum enim partim Leodiensi paret Antistiti, partim Brabantiæ Duci) futuros pollicentur. Margarita *Idem per legatos Episcopus Leodiē. pro Traiectensibus precatur.* paucis increpitos ad Norcarmium dimittit, ab eo audituros, quid facto opus sit. Vix abierant Traiectenses, quum legati ab Gerardo Grosbecho Leodiensi Episcopo succedunt, Gubernatrici affirmantes,

1567 tes, Iam sentinam omnium hæresum Traiecti exhaustam: Magistratum, ac ciuium plerosque à lue, etiam quum maximè grassabatur, integros perstitisse: Nobilitatem, ac reliquam plebem ingenio insanabili non esse: idque ostensum facili subitaque conuersione ciuitatis, operâ vel vnius potissimùm viri è Societate Iesu illuc ab Episcopo Coloniâ accersiti, qui hæresum doctoribus ad certamen quotidie prouocatis, quotidie deuictis; pristinæ & Religioni, & obedientiæ momentum propè omne restituerit: ideoque populum, quidquid contagione peccauerit, deleturum acriori obsequio: præsidiumque, modò veniam impetret, non detrectaturum. Quamquam Leodiensi Episcopo videri, præsidio non magnopere indigere ciuitatem, turbarum incentoribus iam liberam: aut certè vnam alteramue cohortem, si famæ intersit destinata non mutare, satis loco futuram. Illum quidem (quod ad se pertinet) Traiectensibus præterita condonasse: immo pro eâdem veniâ apud Gubernatricem impetrandâ operam suam spopondisse, tanto libentiùs, quanto se præter Principem, etiam Patrem meminerat, & Margaritæ clementiam non ignorabat. Ad ea Gubernatrix actis Leodiensi gratijs, ob legationem plenam officij & caritatis; negauit posse se imitari illius factum, præcisa sibi ab Rege facultate delicta huiusmodi condonandi: id tamen ab Regis clementia non dubiè sperandum. interim necessarium esse nouâ fidâque militiâ Traiectum communire, conatibusque occurrere perduellium, qui eam vrbem accipiendis è Germania subsidijs opportunam non minùs, quàm Valencenam è Gallia, spe certissima deuorauetant. Ideo à se missum expugnando Traiecto Norcarmium, iussum tamen consilia cum Episcopo communicare: eamdemque ob causam destinatum à se Turrium, priuati consilij à secretis, qui susceptæ illum expeditionis admoneat. Subijcientibus legatis, Non eiusdem conditionis cum reliquis per Belgium vrbibus esse Traiectum, in cuius administratione ius quoque suum Leodiensis obtineat; nihil à Margarita responsum est, nempe solita silentium responsi loco reddere: quòd diceret, NON MALE auritis satis responderi non respondendo. Exercitu interim festinante, consueta victoribus alacritate, & prædandi spe. Sed deditionem properauere Traiectenses, nihil abnuendo ex ijs, quæ Gubernatricis nomine Norcarmius imperasset. Qui vrbem ingressus, acceptis à Magistratu clauibus, tormenta maiora, atque omne bellicum instrumentum ciuitati adimit: ciuium singulos telis atque armis spoliat: rebellionis authorem in foro suspendi iubet: ac relicto Ægidio Barlamontio cum parte legionis ad vrbis præsidium, ipse cum reliquo exercitu, vt se Carolo Brimæo Comiti Megano, ex præscripto Gubernatricis adiungeret, in Batauiam iter intendit.

Henricus Dionysius.

Gubernatrix eos non audit.

Traiectenses se Norcarmio dedunt: & puniuntur.

Hiergij Dominus.

DEDITIO Buscoduci & Antuerpiæ. 1567

BVSCODVCENSES solliciti quò arma victor inferret, tanto in se certiùs iram Gubernatricis extimescebant, quanto iustiùs meruerant. *Timent armatam Gubernatricem Buscoducenses.* Etenim illa ob Merodium, & Scheiffium Brabantiæ Cancellarium, nuncios suos, à Buscoducensibus contumeliosè habitos retentosque: ob reiectum hostiliter Meganum, admissumque Bombergium; eos graui edicto hostes pronunciauerat, bona proscripserat, ac dum nuncios ad se liberos non remitterent, priuilegijs omnibus ciuitatem exuerat. Ciues etsi primò edictum contempsere: dein tamen propiore periculo admoniti, *& placare student.* inscio Bombergio, Gubernatricem rogarunt, vt certis hominibus ciuitatis nomine ad eam venturis, publica fide, caueretur. Negauit Gubernatrix, se illos audituram, nisi ducerentur à nuncijs, qui Buscoduci attinebantur. Nec multo pòst soluti Cancellarius, ac Merodius in Curiam veniunt: *9. April.* Gubernatrici narrant, Bombergium deficiente in dies factione diffisum, vrbe cessisse cum militum manipulo, coactis vtcumque ciuibus, eius vt acta comprobarent: expressisque donatiui nomine mille florenis. Hæc enarrantibus presto adsunt Buscoducensium legati, poscentes omnium, quæ admiserant, veniam: simul vt & reuocaretur edictum, & accipiendi præsidij onere liberarentur. *non placant.* Enimuerò offensa Gubernatrix superbis legatorum postulatis, respondit, Non eam sibi videri legationem supplicum reorum. remisitque in alium diem. Nec passa iterum audire, per Cancellarium Merodiumque iubet eos redire domum, ac ciuibus edicere, in redenda ciuitate conditionibus abstineant, præsidium vti imperabitur accipiant, culparumque memores se resque suas Regis clementiæ committant. Addebant animos Gubernatrici & præteritæ victoriæ, & auxilia iam præsentia Germanicarum legionum: ijsdemque territi *se dedunt.* Buscoducenses, remissis legatis sese Gubernatrici, sine vlla exceptione dedunt. tantùm orat, vt ad rixas inter ciues ac milites præcauendas, ex sua ipsorum natione præsidium accipiant. Et accepere partem Germanicæ legionis, eiusque Tribunum Comitem Scauemburgium, qui vnà cum senatore ad eam rem à Gubernatrice attributo, Remp. ordinauit, abrogato quidem edicto, sed pœnis iuxtà ac venia, Regis aduentui reseruatis. Eodem tempore *18. Apr.* *Antuerpienses veniam orant.* Antuerpiensium legati Gubernatricem adeunt, præteritorum veniam comprecantes, ciuitatemque turbarum concitatoribus vacuam in officio futuram pollicentes. Et verò licet omnium postremi ad obsequium redirent Antuerpienses, primam tamen laudem, *meriti ob hæreticos eiectos,* ne dum veniam, merebantur. Quippe in expellendo concionalium hæreticorum grege diu multumque optimo cuique desudandum *non fine conatu magno.* fuit. Quamuis enim illi ingenio plerunque rudes, ac magis improbi quàm callidi vix vltra popinalem doctrinam saperent: tamen

vsque

1567 vſque adeo & numero iam excreuerant, & factioſorum malæque
notæ hominum fouebantur ope, & intimis popularium animis in-
hæſerant, ciuitatemque obſeſſam atque obnoxiam mordicus obtine-
nebant; vt profectò extrahi inde nequirent abſque ingenti conatu ac
turbis, vexatâque miſeris modis Antuerpiâ. Sanè non magis defe-
ctum viribus, atque intermortuum relinquunt eum, cuius obſeſſo
è corpore deſertores Spiritus importunique hoſpites exiguntur ſa-
crorum vi carminum; quàm illa miniſtrorum transfugarumque le-
gio diù obluctans ac peruicax, coacta demum abſcedere, ciuita-
tem omnem minis imprecationibuſque concuſſit. At Gubernatrix, *Non impetrant veniam nisi se dedant.*
etſi lætiſſimè legationem tantæ ciuitatis excipiebat, diſſimulato
tamen gaudio; præterita grauiter incuſat, negat agendum eſſe de
venia, priùſquàm præſidium intra vrbem admittatur: admiſſo,
ſpondet operam ſuam, quo illorum precibus Rex placetur: ſeque
interim ab animaduerſione in contumacem ac rebellem ciuitatem,
præterquàm in ſacrarum Imaginum violatores, ac ſeditionum ca-
pita, ceſſaturam. Vix hæc reſponſa retulerant Antuerpienſibus le- *Deditionem offerunt Gubernatrici.*
gati, quum redire iuſſi offerunt deditionem: affirmant, ciues in po-
teſtate Gubernatricis eſſe, præſidium imperet, accepturos. Illa,
conſilio prolixè laudato, addit (quaſi honori daret, quod ſecuritati
obtendebat) venturam ſe Antuerpiam, cariſſimique populi dedi-
tionem præſentiâ vtique ſuâ cohoneſtaturam. Poſtridie ſexdecim *Et illa præmiſſo exercitu,*
Petrus Erneſtus Com. Mansfeld. lectiſſimorum peditum ſigna præire iubet, Duce Mansfeldio: qui,
ne aut exauthorati Antuerpiæ milites, aut factioſi ciues aliquid
fortè turbarent, præmiſſis vehiculis militarium impedimentorum,
atque ad viarum capita obiectis, veluti pugnaturo agmine vrbem
intrauit. Ac diſpoſitis continenti ordine per vias ac fora maioribus
minoribuſque ſclopetarijs, Gubernatricem excepit, extremo menſe
Aprili ſecutam, ingenti pompa non armatorum modò, qui mille ac *Vrbem intrat triumphantis in modum.*
ducenti fuere, ſed Magiſtratuum etiam, Præfectorumque prouincia-
rum, ac Procerum aurei Velleris, Concilijque triplicis Senatorum.
Ingreſſa triumphi in modum magno mortalium accurſu acclama-
tionibuſque rectà principem Dei Matris ædem cum eo comitatu pe-
tijt, hauſitque oculis illa furialis veſtigia impietatis, templique paulo
antè pulcherrimi dehoneſtamenta. Nimirum expreſſit ea ſpecies
vbertim lacrimas; quas tamen oblata qualiſcumque inſtaurationis
Te Deum. occaſio temperauit. Itaque decantato ſolenni Gratiarum carmine,
egit ipſa priuatim magnæ Virgini grates, quòd eius ope tantam
vrbem ſine prælio ac ſanguine, Religioni Regique reddidiſſet.
Inde animum ad ordinandam Rempub. intendit. ac prima Sacro- *Sacra reſtituit;*
rum cura fuit: euocatoque Cameracenſi Epiſcopo, aræ ac templa,
qui ſacrilegi aut diruerant, aut profanauerant, reſtitui cœpta,
ſtatiſ-

ſtatiſque cærimonijs expiata, & (quod caput eſt) impigris animarum 1567.
Statum ciuitatis ordinat. Paſtoribus attributa. Deinde ad ciuitatis adminiſtrationem conuerſa, quæſtiones inſtituit de rebellionis capite, deque Magiſtratuum ſiue ignauia, ſiue perfidia: ſimul indicem armorum, quibus populum exueret, confici iuſſit.

LEGATIO Germania hæreticorum Principum: QVÆ dum curat impensè Gubernatrix, audit aduentare legatos à Saxone, & Brandeburgio Septemuiris Imperij, à Vitembergenſi Duce, à Marchione Badenſi, atque ab Haſſiæ Dynaſta; à quibus *Lantgrauius Haſſ.* ſupremam nempe opem implorauerat hæreſis malè in Belgio accepta & fugitiua. *quam Gubernatrix ſtudet non admittere.* Gubernatrix rata id quod res erat illico Scarembergium à Germaniæ ſecretis obuiàm mittit: qui legatos oret, ne vltrà tendant, illorum aduentum nec ciuitati adhuc tumultuanti, nec Gubernatrici in eam curam intendenti tempeſtiuum eſſe: ſatius interim fore, ſi legationis capita cum ipſo conferant, opportuniùs *admittit tamen:* deinde rediturі. Sed illi negantes ex dignitate Principum ſuorum id eſſe, admiſſi ſunt; additique eis aulici, ac prætoriani milites, per ſpeciem honoris, cuſtodes exploratoreſque. Poſtero die, frequenti ſenatu audiuntur: vnuſque illorum, poſt ſolennia *auditque hæc in ſumma orantes.* verborum officia, libellum Germanicè ſcriptum legit, cuius ſententia, quamuis fusè odioſèque pertractata, hæc demum erat. *Profeſsionem Augustanam, Euangelio conſentaneam, etiam ſupra Religionem Catholicorum, in inferiori Germania liberè complectendam eſſe: edictis certè ſupplicijſque non vetandam. Proinde à ſuperioris Germaniæ Principibus orari Gubernatricem, ne populum cetera innoxios diuexari hoc nomine, Hiſpanicæque cenſuræ minis, ac pœnarum immanitate plecti patiatur.* Hæc omnium, qui aderant, indignatione ſatus, libellum tradidit Gubernatrici: quæ amotis legatis, ea de re in ſenatu deliberans (vt erat acriter offenſa) remittendos abſque reſpon- *Ad quæ ita reſponſum.* ſione ſentiebat; ciuilius tamen viſum, ſi Scarembergius in hæc verba reſponderet. *Quæ legati de Religione præmiſerint, reſponſo indigna eſſe. Quæ pro excuſanda rebellium impiorumque contumacia diſſeruerint, offendere Germanos Principes minus fidei habuiſſe litteris Hiſpaniarum Regis, ac Belgij Gubernatricis, quàm ſeditioſorum hominum querimonijs: contra quos & euerſa expilataque templa, & illata vis Magiſtratibus, & excitati ad arma populi, magnam ſcilicet innocentiam conteſtentur. Proinde Gubernatricis nomine illos, à quibus miſsi erant, admonerent; vt Regnorum curam ſuorum Regi permitterent, neue per ea turbulentorum patrocinia turbas in alienis prouincijs ſfouerent.* Ad ea ſubijcientibus legatis, ſe tantummodo oratum veniſſe pro ſocijs *et remiſsi legati, ſed palà offenſi.* Auguſtanæ confeſſionis, qui culpâ vacui habebantur; nihil vltrà reſponſum. quartoque, ex quo venerant, die rediere, non diſſimu- *præter Saxonicũ.* lata offenſione, præter Saxoniæ legatum: qui, clam ceteris, indica-

uit

1567 uit Gubernatrici, Septemuirum suum aliorum suasu inijsse eam legationem: se enim Austriaco Regi addictum & esse, & haberi velle. Non dum legati cesserant vrbe, quum nuncij de coniuratis in Hollandia fusis, deque eiecto inde Brederodio perferuntur. Hollandiam obtinebant, atque excursionibus prædisque vexabant rebellium fermè quatuor millia, ducibus Andelotto, Vinglio, atque Lesdalio, nobilibus fœderatis. Horum plerique Amstelodamum inuasuri, prodeunte obuiam Megano Comite, cum tredecim strenuorum militum signis, non modò spe potiundæ vrbis frustrati, sed etiam, eodem insequente, in Vaterlandiam compulsi sunt, Hollandiæ partem aquis interclusam, eòque inaccessam. Sed neque hîc diutius securi ab armis Megani, cui accessurus Norcarmius dicebatur, conscensis nauibus Frisiam petebant; quum, vento obnitente, in Geldriam delati, displicatique alij in alias terras, omnes è Regijs Prouincijs elapsi sunt. Vna tantummodo nauis, in qua præda omnis ex Hollandiæ templis erepta, centumque ac viginti milites, Dunchero Harlingano nauarcho vehebantur, vnà cum Andelotto, Vinglio, ac duobus Batemburgicis fratribus Gisberto ac Theodorico, seu tempestatis vi, seu nauarchi dolo, deuenit in Ernesti Mulartij manus: quem insequendis fugitiuis, instructissima cum triremi, paulo antè miserat Arembergius. Milites spoliati omnes armis ac prædâ, aliqui etiam vitâ: Duces, ac primarij quique, partim Harlingæ custoditi, partim in Viluordianum carcerem, Margaritæ iussu, traducti, ac paucis post mensibus, Albano Belgij Gubernatore, vltimo supplicio affecti. Supererat è coniuratis Brederodius, spe recuperandæ Hollandiæ contumax, ac principatu coniuratorum tumidus. Is admonenti Gubernatrici, vt abiret Amstelodamo, non modò non paruerat, sed etiam missum à Gubernatrice Turrium à secretis priuati concilij, qui Regis nomine iuberet illum vrbe protinus abscedere; non exaudito Regio edicto, legatum litteris & commentarijs exutum attinuerat domi. Sed Magistratus rei indignitate commotus, & accepta Valencenæ nuper expugnatione perculsus, noctu Turrium vrbe dimisit, ignaro Brederodio. Qui quum videret vndique fugari, cædiue Gheusios: dilabi, aut redire in gratiam fœderatos: sibi vni & periculi, & inuidiæ molem incumbere: tentata incassum reconciliatione: auditâque demum eorum, qui reliqui in Hollandia fuerant, militum fugâ & clade; fractus animo, sparsoque aduentu Regis exterritus, patriâ cedere, spemque Hollandiæ in præsentia deponere tandem statuit. Itaque rebus properè compositis, paucisque famulis in arce Vianæ oppidi sui relictis; cum vxore, ac reliqua familia, Emdam Frisiæ orientalis vrbem, ad Amisiæ fluminis ostium appellit. Sed Emdæ parum honorificè

Fœderatorũ aduersa per Hollandiam.

ea qua fugãtur à Megano.

Eorum nauis capitur ab Arembergianis.

Brederodius coniuratorum reliquus diu resistit.

Tandem animo cadit.

& Belgio abit.

8. Maij.

rificè ſuſceptus, Bremam in Veſtphaliam contendit: atque inde mutata iterum ſede, incertus animi pariter ac loci, nempe quòd ſe ludificatum ſpe Bataui regni, principemque fœderis vanè oſtentatum ferre non poſſet: dum copias aliquot in Comitatu Schouuemburgio, & Iuſtum loci Comitem in Belgium ſollicitat, morbo correptus, motaque furijs mente, Schouuemburgi extinctus eſt. Brederodij fugam ſecuta eſt vniuerſæ Hollandiæ deditio. Non enim ſolùm Vianenſes, properatis nuncijs, veniam, ac militare præſidium popoſcère, neutro impetrato; quippe in Regis aduentum dilata eſt venia, & nudari Vianam mœnibus, extructamque contra Gubernatricis imperium, deponi arcem placuit; ſed etiam Amſtelodamum, Lugdunum, Harlemum, Delphi, ac reliquæ ciuitates, volentes flagitanteſque, partim à Megano, partim à Norcarmio ducibus præſidium accepere. Idem Middelburgi, alijſque in Zelandiæ vrbibus. Idem Groningæ, idem Dauentriæ, totâque Friſiâ factum ab Arembergio prouinciæ Præfecto. Poſtremò nulla per Belgium vrbs, oppidumue nullum, nulla vſpiam arx, aut pagus fuit; qui certatim eiectis hæreſum magiſtris, ac ſeditionum incentoribus, non ſeſe Regis arbitrio clementiæque tradiderit. Nec ideo ſegnem ſecuramue reddebat ea proſperitas Gubernatricem, ab ſecundis aduerſiſque rebus annos iam plures eruditam. De firmanda magis, quàm de fruenda felicitate ſollicita, præſidiarium militem deditis vrbibus imponit: ſtipendium, quo miles alatur, mulctæ loco ciuibus imperat: alicubi arces deſignat, Antuerpiæ præſertim, vbi ſitum poſitumque inſpexit ipſa, nec mutauit poſtea Dux Albanus: ſacrarum Imaginum violatores, quotquot inueniri potuere, ac ſeditionum authores, habitis quæſtionibus conuictos, ſupplicio affici: templa refici ex reorum bonis, aut publica ciuitatum rebellium pecuniâ: hæreticorum fana, quæ ſtructa erant multis in vrbibus, deſtrui mandat, tanta populorum in id feſtinantium contentione, vt Gandaui (quod fidem propemodum excedit) vnius horæ ſpatio lutherianum templum ſanè peramplum ſolo æquatum ſit. Diceres, alias fuiſſe ciuitates, alios homines, qui paucis antè menſibus tanto hæreticorum partes ſuſceperant ſtudio, defenderantque. adeo mutati in earum ſtrages ædium incumbebant, tamquam eo miniſterio ſemet abſoluerent: culparum certè veſtigia, & monumenta delebant, eo in prouincia præſertim Flandria proceſſu, vt ex trabibus decidentium templorum, infelicia conformarent patibula, ex quibus ipſi templorum fabri cultoreſque penderent. Atque in hunc modum incendium illud populorum offenſionibus conceptum, hæreticorum flabellis euentilatum, æmulatione Nobilium enutritum, & Gheuſiano demum fœdere per Belgium omne rebellionibus,

Marginal notes (left): *& vita.* — *Hollandia ſe dedit:* — *& Zelandia. & Groninga. & Friſia.* — *& quidquid in Belgio mutauerat.* — *Gubernatrix deditas vrbes præſidijs firmat:* — *mulctat.* — *arces deſignat:* — *reos plectit:* — *templa catholicorum reficit:* — *hæreticorum deſtruit.* — *idq; mira populorũ contentione & alacritate.* — *Belgium deniq; totum priſtinæ tranquillitati reſtituit.*

Marginal notes (right): 1567 — *Ex litter. Aſſonvil. ad Marg. Parmen. 26. Febr.* — *13. Febr. 1568.* — *Leiden.*

Handwritten marginal note: Ut Gaudebat ceci bus mi fed tamquā semet absol- horet. Tal!

1567 bus, populationibusque grassatum, Gubernatrix Margarita extinxit adeo distraxitque, vt Religione, atque obedientia vbique reddita: hæreticis aut pœnâ coërcitis, aut solum vertere coactis: Gheusijs coniuratis partim in gratiam receptis, partim bonis ac patriâ exutis, atque ad manticam mendicitatemque redactis, hoc est verè Gheusijs effectis; vniuerso demum Belgio pacem tranquillitatemque pristinam restituerit. Vna res in tanta felicitate Gubernatricem non mediocriter angebat, quòd Belgarum plurimos videret, non impetratâ præteritorum veniâ, ac venturi ab Hispania exercitus famâ perculsos aliò commigrare quotidie, ingentique damno ciuitatum, ad finitimos populos opificia & mercaturas, atque adeo lucra transferre. Idcirco Regem sæpius admonuerat, vt aut sibi eam facultatem condonandi, componendique omnia, tribueret: aut potiùs ipse, non tamen adscita ab armis formidine, sed innatâ clementiâ, nempe in prouincias suas iam pacatas, iam obsequio promptas adueniret. Et Rex quidem hanc posteriorem viam initurum se, repetitis sæpe ad sororem litteris, affirmauerat. Verùm cur hoc siue consilium, siue consilij speciem ille mutauerit, ac pro se Ferdinandum Toletanum Albæ Ducem miserit: quoniam res celebris per Hispaniam fuit, annumque ea deliberatio tenuit: ego, congestis vnum in locum omnibus, non diligenter expediam.

Gheusijs verè gheusijs effectis.

Discessio multorum è Belgio angit Gubernatricem.

Ad cuius remedium Regē orat, in Belgium vt veniat.

OBTESTATA Regem fuerat à principio Gubernatrix, docueratque malis, quibus Belgium conflictabatur, conflictandumque validiùs in posterum prospiciebat, medicinam afferri nullam posse nisi ab Regis manu. Et Belgas ipsos habituros beneficij loco curationem à Principe, ne videlicet secantem ferrum patiantur. Nec aliter suadebant Hispanorum Procerum multi, qui ab Rege in consilium adhibebantur. Immo Pius Pontifex Quintus & compositis litteris, & misso Asculanorum Episcopo Petro Camaiano, hortatus est Regem, Belgio sese armatus ostenderet: compositurum haud dubiè præsentiâ suâ populorum motus, & occulta nonnullorum consilia maturè disturbaturum. Sin autem in præcipiti malo aut cunctaretur, aut quemuis ex Regijs administris rei conficiendæ præficeret; se magnopere quidem vereri, ne Belgium Religione, Rex Belgio exueretur. His alijsque, quæ eadem in Belgio, eadem in Hispania, eadem Romæ dicebantur, auditis; profectionem Rex indicit: Tribunos legi, naues instrui, familiam describi iubet. Et ne is armorum apparatus Principum aliquos fortè sollicitos haberet, per Oratores suos, quid sibi consilij foret ea in Belgas expeditione, illos edocuit. Regem Galliæ etiam transitum per Narbonensem, & Lugdunensem prouincias orauit. Sabaudiæ verò Ducem Emmanuelem Philibertum,

De PROFECTIONE Regis in Belgium.

quam necessariã putat Gubernatrix.

Idem sentit, & suadet Pius V.

& vaticinatur.

Assentitur Rex, & profectionem parat.

De ea Principes per Europam monet.

Liuor.

Et Sabaudum in primis.

cui multum tribuebat, Ioanne Acugnia illuc delegato consuluit; 1567
à quo doceri cupit, qua ad iter esset peragendū. Qua temporis, qua viarum opportunitate suaderet ingrediendum iter. doceret, quibus loca difficultatibus insidijsue essent obnoxia. mitteret ad se indicem vrbium atque arcium, per quas singulis diebus traduci oporteret exercitum, adnotatis interuallis dimensionibusque locorum: ob eamque caussam cupere se, totam eam regionem, quà transeundum sit à Sabaudia in Burgundiam vsque accuratè delineari atque expingi. propterea venturum esse ad illum à Gabriele Cueua Duce Alburcherco Mediolanensis Prouinciæ Gubernatore, Campinium Centurionem, bellicorum operum intelligentem, vnà cum pictore, mensoreque: ne quid noui, quod oculis non præcurrerit, offendat in via. *In speciē tamen.* Hæc autem quantò cumulabantur intentiùs exquisitiùsque, tanto minus securitati, sed famæ dabantur: in eaque tam anxia, tam curiosa iam iam proficiscendi *vt reor ob has caussas.* sollicitudine, nihil profectionis inerat, præter speciem. Neque enim mihi quis facilè persuaserit, Philippum regnandi æquè callidum & cupidum omittere voluisse caput arcemque rerum eo tempore, quo in Hispania & Mauricæ rebellionis initia ei subolerant aliqua, & aduersùs Carolum Hispaniæ Principem multa pater animo premebat. Nam filium duceret nè secum in Belgium; & illorum Procerum caussæ, cui clam fauere Carolus dicebatur; patronum cominus admoueret? an relinqueret, Hispaniamque fortè tumultibus inuoluendam eius libertati crederet, cuius ferociam moderari vix in pace potuerat præsens? *Quid commodi caperet ex ea scena Rex.* Occultabat hæc tamen Rex, atque nouis in dies argumentis spem profectionis alebat; vt ea scilicet expeditione & Belgarum Dynastas in officio contineret: & Maximiliani Cæsaris operam, cuius arbitrio se commissuri Belgæ dicebantur, honestiùs recusaret: & reliquos omnes à fouenda Gheusiorum factione, ostentato exercitu, deterreret. Et iuuit hanc Regis simulationem tertiana febris, qua diù implicitus habere potuit, quò caussam referret dilatæ dubitatæque profectionis: præsertim, *Non omnibus imposuit.* quum eam curam interea non omitteret. Quamquam non deerant ex interioribus aulicis, qui totam illam rerum scenam ludificationemque intelligentes, etiam morbum obtendi suspicarentur. At *Nouis argumentis profectionem suadet:* verò vbi Rex conualuit, simulque de rebellione aliquot oppidorum, deque totius Belgij discrimine, nisi ipse accurreret, ex repetitis Margaritæ litteris cognouit; tanto cùm dolore, tùm ira succensus ad expeditionem festinauit omnia, vt nemo in aula, ne ipsi quidem *& persuadet.* Belgarum legati Marchio Bergensis atque Montinius, qui Regis apparatum, ac fabulam sæpe irriserant; iam de profectione dubitarent. *Nil tamen hic quicquā ludere persuasum habeō.* Et tamen ne tunc quidem deponebat personam, nec seriò Rex agebat. Quippe ad alia, quæ dissuadebant iter, accesserant

Guber-

1567 Gubernatricis litteræ, quibus admonebatur, deliberasse fœderatos, *exhib.*
si Rex armatus, vti inaudierant, in Belgium meditaretur; se exutâ
Principis reuerentiâ, externorum ope adiutos, in ipso prouincia-
rum aditu arma Regi oppositturos. Quæ licet ille dissimularet, aut
palàm contemneret; haud dubium tamen, quin altè pupugerint
hominem dignitatis tenacissimum suæ, quam intelligebat in discri-
men dari, si prouincias armis appetendo, armaret: seque propte-
rea palàm à suis contemptum ostenderet finitimis circà Principibus
auidè spectantibus, aut etiam factioni occultè fauentibus. Itaque
in ea consultatione, quam super hac re postremam Rex habuit Man- *CONSVLTATIO super Regis profectione.*
Madrid. tuæ Carpetanorum, deliberari hoc vnum voluit, Absque armis nè,
quod suadebant aliqui, an instructo exercitu, quod in primis horta-
batur Pontificis Nuncius, ire ipsum in prouincias expediret. Ex con-
siliarijs, quos vti prima regnorum instrumenta, habebat Rex sanè *Consiliarij, eorúque Notæ.*
plurimos, nempe quia illos plurimi faciebat; adhibiti tunc quidem
fuere Ferdinandus Toletanus Albæ Dux, & Rodericus Gomesius *Albanus.*
à Silua Eboli Princeps, magnæ vterque potentiæ apud Regem: sed *Ruigomesius.*
Albanus. vt æstimatio post gratiam erat, ille præhabebatur, hic præibat.
Ruigomez. Præterea Didacus Card. Spinosa ex modicis initijs summus causa- *Spinosa Card.*
rum Fidei Quæsitor, & concilij castellani Præses, tantæque aliquan-
do authoritatis in Philippi regia, vt vulgò Hispaniæ Monarcha di-
ceretur. Aderant Gomesius Frigueroa Dux Feriæ, & Io: Manricus *Feria Dux.*
Prior de Leon. de Lara, & Antonius Toletanus Legionensis Prior ex Equitibus Hie- *Manr. de Lara, Ant. Toletanus.*
rosolymitanis: præsenti omnes ingenio expeditoque. Sed Ferianus,
præter animi dotes, elegantiâ suauitateque morum ante alios erat:
Manricus sagacitate pollebat: Toletanum in primis religio com-
mendabat. Aderant Bernardus Fresneda conscientiæ Principis mo- *Fresneda confessarius;*
derator è Franciscana familia, Antonius Perezius secretioris scrinij *Ant. Perez.*
custos, alijque nonnulli; spectatæ plerique fidei senatores, quique
præ oculis dignitatem Regis sedulò haberent: quam tamen, vt
quisque naturâ tristior aut clementior, pro ingenio interpretaren-
tur. Ita enim fit CONSILIA sibi quisque attemperat, & iudicium
naturâ extorquente, putamus causæ tribuere, quod nostris interim
moribus indulgemus. Porrò interesse deliberationi Rex voluit: vt *Rex interesse cur voluit.*
apertis perpetuisque dissidijs Albani Ducis, & Ebolitani Principis,
non minus in senatu sententijs, quàm gratiâ in aula concertantium,
præsentiâ suâ moderaretur. An potius, vt si quis ad eam expeditio-
nem Carolum filium (id quod inaudierat) designaret, sermonum ini-
Io. Manr. de Lara. tia ipse præcideret? Nec defuit, qui arma suadendo, Tiberij Cæsaris
meminit externa bella componentis filiorum ductu. Sed illico Ro-
dericus, vt erat Principis intelligens, quasi probaturus eam partem, *Ruigomesij sententia.*
qua Regis securitati consulebatur, sermonem excepit, ac paulatim

eò deflexit, vt *Intempestiuum* diceret, *quietos obsequentesque populos armis lacessere, simulque finitimos hæreticos ad opem sociorum pronos irritare. Cauendum eo maximè in loco belli ciuilis incendium, vbi circà sint, qui illud alant: procùl, qui extinguant. Quamquam ne extingui quidem posse sine ruina victoris. Nimirum inter ciuiles vrbium, hominum, fortunarum strages, adimi demum Principi, quidquid victis perit. Quantumcunque peccatum à Belgis ad eam diem, ab Regis sorore abunde fuisse correctum, subactumque: & , si quid vincendum superesset, animos vtique esse non corpora, at illos nou armis sed beneficijs expugnari. Id verò & clementiæ Principis accomodatius, & Belgarum ingenijs. de quibus verissimè dictum à Carolo patre, NVLLOS esse populos (modò paternè habeantur) qui seruitutis nomen magis execrentur, magis patiantur.* Inde digressus ad impensas deducendi exercitus, ad pericula, ad Principum offensiones, conficiebat ad extremum, *Nihil in Belgio videri adeo implicitum, neque nodum inde offerri implexum adeo, vt absque ferro sedatè placidèque dissolui nequeat. Certè quidquid foris exsisteret, à Principe componi è longinquo posse, integra authoritate, dilata interim præsentia, quam extremis malis reseruari satiùs esse.* Quod Roderici consilium, hominis erat in aula dominantis, cui pax & quies inprimis curæ, nec quidquam antiquius, quà ne turbatis bello rebus, penes alios negotiorum arbitria, atque adeo potentia transferantur. Similia censuere Bernardus Fresneda, miti rectoque vir ingenio, & Antonius Perezius vbique Roderico addictus, eiusque fortunæ innexus. At verò Dux Albanus arma & vltionem contendebat vnicum læsæ Religioni, authoritatique Principis remedium. Quippe *Ceteris artibus ac diuturna facilitate nihil aliud effectum, quàm vt Regi obedientia, rebellibus timor adimeretur. Postulasse principio Belgas, vt Hispanus è prouincia miles excederet: id scilicet vnum deesse contestantes ad quietem populorum. Num propterea impetrata externorum missione quieuisse? An potius, & quidem confidentiùs, efflagitasse, vt è Gubernatricis latere, è Reipublicæ, quem rectum teneret, clauo deturbaretur Granuellanus? nec vnquam destitisse, donec contumacibus libellis, deridiculis symbolis, flagitiosis conspirationibus ad extremum extorserint, quod auerent. At vnius fortè naufragio complacatos fuisse ventos, qui popularem illam tempestatem concitassent. Quin immo, vt LICENTIA crescit facilius quàm incipiat, gradum inde factum, vt homines à nostra iam facilitate securi, contra auctas sacrorum Antistitum præfecturas, contra restituta Cæsaris edicta, Tridentinas sanctiones, Pontificios Quæsitores, improbi palàm carminibus insurgerent, preces sed armatas aggererent, minis Gubernatricem perterrerent, obstinatis inuerecundè legationibus Hispaniam fatigarent. Hìc quoque visum clementiæ Principis, qui se patrem cogitaret, ex destinatis interim aliqua* 1567

Cui Fresneda & Perez accedunt.

Albani sententia planè contraria.

mode-

1567 *moderari: visum Gubernatrici plus aliquanto, quàm debuerit, indigna poscentibus indulgere. Enimuerò quid ex ea demum indulgentia relatum, nisi vt votorum vbique compotes, non parendo, subditos sese obliuiscerentur, obsequium dediscerent, atque exuta Principis reuerentia, communicata prouinciatim defectione, tamquam CVLPÆ societate tutiores, humana diuinaque omnia contrectatæ semel libertati posthaberent? Præmonstrasse profectò Carolum patrem, nationis haud ignarum, quid*
Gandauū. *esset Belgarum ingenijs accommodatum: dum contumacem patriam, omissis interea mitioribus remedijs, armis adortus, obsequio restituit. Nunc verò non vnius ciuitatis, sed prouinciarum consensu peccatum esse in Deum pariter ac Regem. Nec quia rebelles in præsentia conquiescant, minus ferociæ animis inesse. resumpturos vtique vires, vbi metum vltionis abiecerint. Nam serpentes etiam pestiferas tutò per hiemem tractari, quibus tamen haud desunt venena, sed torpent. Nimirum exploratum iam esse, NVMQVAM bona fide hæresim mansuescere.* Sic ille pronus ad asperiora disserebat, ea de militis legendi ducendique modo, deque tota expeditione scitè partitèque superaddens, quæ vetus militiæ Dux, in eo Procerum non sanè bellicosorum cœtu, præ alijs disceptare vnus poterat. Et iuuit hominis sententiam *Spinosa, & plerique cum Albano sentiunt.*
Spinosa Cardinalis, sacrum Inquisitionis tribunal in Belgio violatum graui ratione conquestus. Reliqui eòdem inclinabant, præter Ferianum Ducem: qui sanguine quàm beneuolentia Albano *præter Feria Ducem.*
propior, & ab ingenio mitior, haud grauatè dissentiebat: non quidem inficiatus, *Egere curatione aliqua Belgium*, (in quo aliquantum *cuius orationis hæc summa.*
à Roderico Gomesio, cetera concors, discrepabat) *sed curationem à dexteritate potiùs agendi, quàm ab armorum tractatione petendam. Idque & Principi honorificentius tamquam ex facili sua componenti, nec in partes transeunti, seque sibi subditis, dum cu n ijs congreditur, exæquanti: & tutius aduersùm finitimos æmulosq e, vsuros haud dubiè Belgicis discordijs, ad Hispanam potentiam suis ipsam victorijs atterendam. Neque, quod de Cæsare Gandauum armis aggresso obtendebatur, satis euincere. Ciuitatis vnius contumaciam facilè tunc frangi potuisse, reliquo obediente Belgio: nunc prouincias nutare propemodum omnes, eòque in communi tum causa, tum periculo, ad defensionem sui consociandas. Multa expeditionem illam iuuisse, quæ hanc hodie retardent. Germanos ad imperium Cæsaris tunc spectasse, coniunctos fœdere Anglos fuisse, Gallos Cæsarem etiam inuitasse. Nunc eosdem nullo aut dominij iure, aut societatis nexu, plerosque dissensu religionis, omnes consensu inuidiæ, vt moram nobis, ita opem tumultuantibus allaturos. Itaque omissa in præsens vltionis armorumque mentione, allegatis in Belgium, qui prouinciarum statum propiùs inspiciant, referantque; quietem interea, spatiumque coalituris meliùs Belgarum animis tribuendum,*

ca-

cauendumque, ne arma, quæ toties illi pro nobis induerint, eosdem exercere aduersùm nos intempestiuè doceamus. Hæc porrò non dissimilia demum ijs, quæ primus attulerat Rodericus, de industria, opinor, distulit in hunc locum Feriæ Dux, vt per speciem nouæ sententiæ, Roderici partes, cui plurimum tribuebat, audito Albano, certiùs firmaret. Rex autem interea etsi in Albani sententiam flecti visus est, tamen ob contraria suorum consilia tandiu definitionem distulit, aut distulisse potiùs credi voluit, donec diuersas ipsas pugnantesque sententias, sua quamque vtilitas conciliauit. Sic nimirum quotidie gignuntur rerum corpora, dum eorum elementa post diuturnum certamen, remittente ac pereunte aliqua singulorum parte, coëquantur. Etenim de Rege in Hispania continendo laborabat Rodericus: adire cum armis Belgium, licet improbaret ipse ceu periculosum, certè superuacaneum, in eo tamen id commodi reperiebat, quòd traditâ Albano armorum prouinciâ, (vti tradendam facilè præuidebat) æmulum ab aula distraheret, curis profectò non leuibus implicandum. Atqui Albanus quamquam auebat in primis abducere ab Hispania Regem, apud quem non ignorabat armatum se vnicè dominaturum: minimè tamen abnuebat, vniuersam illam expeditionem sibi à Rege vel absente committi, relicto quà vellet in parte graduque Roderico: cuius apud Principem gratiæ sicut postponi merita sua ægriùs ferebat præsens, ita locum præoptabat, vbi, quos pax & aula æquabat, campus & arma secernerent. Ergo conspirantibus in hunc modum sententijs, Rex haud vltrà cunctatus, aperit quid ipse consilij cœperit. Deliberatum iam pridem sibi ad Belgas ire: idque in præsentia, quidquid contrà differuerint, non mutasse: se tamen haud antè profecturum, quàm præmisso, qui prouincias delecto cum exercitu ingrediatur. non vt populorum obsequium & pax armis interturbetur, sed vt affuturi dein Principis securitati decorique, armatorum comitatu caueatur. Nec pòst multo, accitum ad se Albanum expeditioni præficit, ceteris veterano Duci, multisque victorijs claro facilè concedentibus. Statimque, designato iam Duce, scribit Rex ad Siciliæ, Neapolis, Sardiniæque Proreges; tres Hispanorum legiones ex præsidijs legant, triremibus Garsiæ Toletani in Insubriam transmittendas. ad Insubriæ verò Gubernatorem, vt ad eas vnam ex sua quoque prouincia legionem adiungat: adfuturum breuì Albanum Ducem cum tyronibus Hispanis, ex quibus præsidia veteranorum per ea regna suppleantur. Simul ad Sabaudiæ Ducem mittit, sicut antea Ioannem Acugniam, ita nunc Franciscum Ibarram, vt venturo exercitui ille transitum, hic annonam procuret. Præterea Comitem Ioannem Anguisciolam ad Heluetios, & Antonium Mendozam ad

1567

Rex nutare videtur inter contrarias sententias,

quibus ab vtilitate cuiusque conciliatis.

Rex decernit qui profectionem suam præcedat.

Ferdin. Toletanum Albæ Ducẽ.

Cui parat exercitum ab Italia;

& annonam à Sabaudia:

& viæ securitatẽ per Heluetios, & Lotharingos.

1567 ad Lotharingiæ Ducem legat; vt & de Regis consilio certos eos fa-
ciant, & bonâ illorum gratiâ transeuntibus per ea loca Regijs copijs,
Liuus. ne quid turbetur, intendant. Nam Rex iter habere per Lugdunen-
Carol. IX. sem agrum mutauerat, excusante Carolo Gallorum Rege domesti-
cos tumultus, atque adeo intutum iter. Etenim rumor Hispanici *fama regij exercitus terrentur Geneuates:*
exercitus cùm multos terruerat, tùm præcipue Geneuates clam ad-
monitos, egisse Pium Pontificem cum Duce Albano, vt in ea expe-
ditione arma in Geneuates facili flexu conuerteret: eamque occa-
sionem non prætermissurum esse Sabaudum pro certò habebant.
Quam suspicionem ego quidem natam crediderim ex subita lega-
tione Bernardini Mendozæ ad Pium Pontificem missi ab Duce Al-
Bern. Mendoz. lib. 2. bano, dum in Insubria moraretur. Quamobrem Geneuates non mo- *opemque maximè petūt à Caluinianis Gallis.*
dò à Bernatibus, quorum res proximè agebatur, sed etiam à Calui-
niana per Galliam factione tamquam à Geneuatum Colonia, in-
primisque à Condæo illarum partium principe, pro communi cau-
sa opem implorauere. Et Condæus, cui gratissima ea fuit occasio *Quorum partes suscipit Condæus cum Colinio:*
scribendi exercitus, omnia Geneuatibus pollicitus, iussisque ali-
quot militibus Mombrunio Duce Geneuam ingredi, habere per Gal- *& milites legit.*
liam delectum ipse, & Gaspar Colinius, palàm cœpere, simulato
apud Regem Carolum metu, ne à transeuntibus Hispanis, à qui-
bus ipsi habebantur hostium loco, imparati opprimerentur. Quin *& Regi Carolo arma in Hispanos suadet.*
etiam Regi persuadere conati sunt, *Arma vt capesseret, opportunita-
temque ne sibi pateretur è manibus elabi, qua nullam aliquando maio-
rem sors obtulerit, vlciscendæ nationis Gallico nomini semper infensæ.
Esse illum quidem exercitum & virtute militum, & claritudine Du-
cum longè lectissimum: posse tamen vniuersum per viarum angustias,
ac prærupta nitentem, hinc à Gallis, inde à Geneuatibus, atque ab
Heluetijs quàm facillimè intercipi, atque internecione deleri. Quod si
fieret, si quantum est virium Philippo Regi in Hispania, Italiaque
concideret; dubitandum non esse, quin aut aperiretur aditus Insubriæ re-
cuperandæ, veteranis militibus denudatæ: aut translata in Belgium
Gallorum signa exciperentur vltro ab ijs populis, qui se ab iugo Hispa-
norum liberatos Gallicis armis agnoscerent: &, si neutrum ex sententia
succederet, certè in multos annos posse non timeri bellum ab ijs, qui amisso
tanto exercitu serò vires huiusmodi reparauerint.* Addidit ad hæc Con-
dæus, se quidem ad eam expeditionem, si Rex scribi militem iu-
beat, cum quinquaginta hominum millibus affuturum. Sic illi co-
pias, quas in rebellionem clàm intenti cogebant, specioso Regis
nomine venditabant: more Hugonotorum, quibus SECVRITAS
Regis appellatur, quum captiuitas est. Sed Carolus illorum con- *Carolus agnita Hugenotorum fraude non mouetur.*
silijs non ignarus, ne irritato potentissimo Rege, externis armis pa-
riter ac ciuilibus implicaretur; negauit esse aut dignitatis suæ, aut
Gal-

Gallicæ virtutis, circumuenire Regem affinitate, amicitiaque coniunctum. ceterùm ne quid regno timeretur ex Hispani accessu, se nouo militum delectu cauturum. Simul Philippo Regi significauit, quo loco essent ciuiles discordiæ, quarum causâ transeunti exercitui securitatem præstare non posset. Et iam triremibus Andreæ Doriæ, & Cosmi Florentiæ Ducis Genuam appulsus erat Dux Albanus cum tyronibus Hispanis per Italiæ præsidia tribuendis; quum febri correptus, Mediolani subsistere coactus est. Quo tempore Gubernatrix Margarita certior facta de exercitu, quem Albanus in Belgium ducturus erat, secuturo dein Rege; (sic enim ferebatur) abducere conata est Regem ab eo apparatu armorum, quæ nulli iam vsui nisi rebus iterum turbandis futura essent. *Belgium vt tunc erat, magna pace frui, Religione, atque obedientia restitutis: nec vires, aut militem deesse, quibus hic rerum status, vt partus est, ita conseruetur, & præsentia Regis etiam augeatur. At verò nouum maximumque exercitum, quid nisi magnos Regi sumptus, & parem Belgio paupertatem importaturum? Certè audito externarum legionum apparatu, multas opificum ac mercatorum familias aliò iam concessisse, plures vbi vicinas copias audierint, concessuras: quod intelligant nauigationibus inter arma cessantibus, se tamen aleudis magnis exercitibus damnandos esse. Accedere & metum populorum, qui non nisi ad pœnas tot militibus expetantur: & Nobilium indignationem, quorum sedula in componendis antè seditionibus opera negligatur: & certissimam instaurationem hæresis, quæ cum Germanis legionibus Luthero addictis, in Belgium reditura sit: & (quod secuturum ex his animo ipsa prospiciat) ciuile cruentumque bellum in multas ætates, inexpiabili populorum odio ac pernicacia committendum. Quamobrem enixè orare, vt omisso intempestiuo armorum consilio, pacatus in prouincias Patri quàm Regi similior adueniat: rebusque feliciter inceptis addat præsentiâ sapientiaque sua, quod vnum superest, perpetuitatem.* Hanc epistolam extra ordinem perferendam Margarita dedit Gaspari Roblæo Billij Domino Philippopolis Gubernatori, quo latoris dignitas plus haberet authoritatis apud Regem. Sed nihil propterea Rex mutauit, affirmans exercitum non aliam ob causam in Belgium mitti, quàm stabiliendæ paci. Eademque Regis nomine Gubernatrici perscripsit Rodericus Gomesius à Silua Eboli tanus Princeps: simul de morte commonuit Marchionis Bergensis, quæ Rege Mantuâ Carpetanorum absente contigerat.

Albanus deportata in Italiam parte copiarum egerat Mediolano.

Gubernatrix Margarita non probat tantum exercitum.

at de eo sic ad Regem scribit.

1567 | *12. Apr.* | *Philippiuilla.* | *21. Maij.* | *21. Maij.* | *Madrid.*

Rex missi exercitus causam reddit Gubernatrici.

DE MORTE Marchionis Bergensis.

Improspera Bergensis legatio:

MISSVS fuerat in Hispaniam Ioannes Glimæus Bergæ Dynasta, quod est oppidum ad fluuium Somam in extrema Brabantia, vnà cum Florentio Momorantio Montinij Domino, superiore anno: nec satis prosperè legationem obierat, irritato præter modum Rege, ob violationem templorum, defectionemque ciuitatum. Ita-

Berghobzã.

que

1567 que petitâ sæpius veniâ in Belgium redeundi, nec impetratâ, (quia Regem clàm admonebat Gubernatrix, inter eos tumultus ne legatos remitteret) quum iam satis animaduertisset, & consueta Hispanæ aulæ cunctatione, & vana spe, quasi propediem cum Rege profecturus in Belgium, ludificari quotidie se, rerum pertæsus, ac *Morbus eius;*
Ducis Albani designatione perculsus, in morbum incidit. Ac desperata valetudine, accito ad se Ebolitano Principe, veteri amico, ferunt grauiter questum esse aduersùs Regem, orasseque vt ei referret hæc nominis verba non vltrà Regem appellaturi. *Magno sibi mærori esse, quòd nihili æstimatis, quos pro eius Maiestate pertulerat sæpe, laboribus, etiam suspectus haberi, atque obseruari infenso iam animo cœpisset. Sperare tamen futurum, vt sua aliquando fides, & inimicorum perfidia, criminationesque sera tamen retractatione clarescerent.* Nec multo pòst compositis humanis curis, duodecimo Kal. Iulias, fato concessit. Sunt qui veneno sublatum scribant: perinde quasi nemo Principi offensus inuisusque decedat, nisi accersita morte. Mihi absque coniectura id affirmare, consilium non est. Fuerat Bergensis Carolo Cæsari, ac Philippo filio peræque carus. Ab illo Marchionis appellationem acceperat: hic, post nauatam fortiter operam ad Sancti Quintini oppidum, inter Belgarum Proceres comitem assumpserat in Britanniam ad Mariæ nuptias. reuersum & equitibus aurei Velleris adscripsit, & venerationis supremum nominauit, & Hannoniæ præfecit. In cuius administratione prouinciæ quòd rem catholicam non seriò fouisse, vti debuit, visus sit, (quamquam seriò ipse catholicus) Gubernatricem nonnihil tunc offendit, & aliquot post eius mortem mensibus, habita de eo quæstione, Maiestatis damnatus est ab Duce Albano. Huius de obitu quàm celerrimè, hoc est intra octo dies, à Principe Ebolitano, vti dicebam, certior facta Gubernatrix, illico antequam mors eius euulgaretur, Mandeuillium cum delecta sclopetariorum centuria, Bergam immisit, compositis ad Marchionis vxorem litteris: *Inaudisse se illius oppidi hæreticos offensos edicto superiorum dierum, moliri aliquid noui; ideo missum extemplo militem eius corporis, oppidique custodem. idque vt gratius accideret, delectum à se Centurionem Mandeuillium, ex legione Beauorij eius patrui, iussumque in omnibus imperio ipsius ac nutui obtemperare.* De mariti obitu siluit, ne beneficium amitteret speciem, suspicionemque moueret eius rei, quæ agebatur. Namque abeunti Centurioni, vt erat notæ iam fidei, explicauerat, eum mitti ad oppidum Regis nomine obtinendum. inseruiret quidem Marchionis vxori in ijs, quæ ad illius præsidium pertinerent: ceterùm, si illa militem aut abnueret, aut oppido excedere iuberet; negaret id licere sibi, inconsulta Gubernatrice: interim scribendo, ac responsa op-

Margin notes:
Ruigomez.
Querela aduersùs Regem;
21. Maij.
Mors.
an accersita.
Munia eius.
Granuelanum.
Maiestatis reus damnatus post mortem ab Albano.
30. Maij.
Bergam Regis nomine capit Gubernatrix, re dissimulata.

periendo moras traheret; donec aliquid certi mandaretur ab Hispa- 1567
Mandata Regis de bonis, & herede Bergensis. nia. Etenim Ebolitanus Princeps Regis nomine, ac postea Rex ipse *21. Mart. 30 Mart.* Gubernatrici scripserant, cognosci oportere Marchionis causam; &, si quidem tumultui rebellionique ciuitatum immistus reperiretur, eius bona proscribenda: si secus, heredibus conseruanda. Addideratque manu sua Rex, Quoniam relicta fuerat heres à Marchione sororis filia, quæ haud sincera Catholicæ fidei documenta ferebatur hausisse domi, conaretur Gubernatrix à patre illam abducere, atque apud se tamdiù educare, donec eo cum agnato, quem Marchio testamento mandauerat, in matrimonium collocaret. Sed oppidum in potestatem illico redactum est: de herede tradenda diu *Supplicatio celebris Antuerpiæ.* parens dubitauit. Et Gubernatrix postquam supplicationi interfuit delati per vrbem Corporis Domini, quæ tunc quæsitiore, quàm vnquam, apparatu ac pompa, mortaliumque frequentia, cultuque tanto peracta est, vt Antuerpiæ ne vestigia quidem hæresis extitisse aliquando viderentur; relicto ibi Comite Mansfeldio cum tredecim militum signis, ipsa cum reliquis cohortibus, Nobiliumque comi- *Gubernatrix ægrè fert Albani aduentum,* tatu Bruxellas rediјt, Albanum Ducem exceptura. Cuius aduentum & ægriùs quotidie per se se ferebat, & multi Albano infensi inuidiam acriùs cumulabant, quòd dicerent: Superbo hominem inge- *multis odium in eũ augentibus.* nio omnia, quæ tanto composuisset labore ac sapientiâ Gubernatrix, repentè turbaturum; vt turbas haberet aliquas, quibus sedandis aduenisse videatur ab Hispania: pacatique Belgij laudem vni Margaritæ debitam, ipse ad bellicos suos fastos gloriosus adiungat. *Scribit Albano de exercitu minuendo.* Itaque Gubernatrix non modò per Gasparem Roblæum, hanc Regi querelam significandam curauit: sed etiam Albano aduentum in Insubriam gratulata, ostensoque rerum Belgicarum statu, adiecit, *15. Iun.* *Consideraret, an consultius foret, partem ex tanto exercitu dimittere; pacatasque ac Regi obsequentes prouincias importunis viribus, ac sumptu non irritare: remedium quidem certè maius malo omnibus videri.* Sed *Negat ipse fieri à se id posse.* Albanus imperium Regis obtendebat. Et Regis nomine Princeps *Ruigomez.* Ebolitanus per Roblæum, qui exeunte Iunio redierat ab Hispania, *Causam aduentus eius Gubernatrici scribit Ruigomesius:* respondit: *Regi curæ esse sororis existimationem, quam illa sibi apud omnes summa prudentia comparauerat, moderandis ea tempestate prouincijs, expugnandisque vrbibus, ac rebellibus edomandis, vniuersoque demum Belgio Religioni ac Regi strenuè restituendo. Nec eò mitti Albanum, vt ex ea laude, quæ tota eius Celsitudinis est, quidquam decerpat: sed vt operam illi suam consiliumque præstando, & minore Gubernatricis labore ad eam diem acta conseruet, & nulla eiusdem inuidia de noxijs* *Et Rex ipse, aduentum suũ promittens.* *supplicium sumat.* Sed nihil eam æquè placauit, atque Regis litteræ *30. Iun. & 1. Iul.* à Lopio Gallo post Roblæum allatæ, quibus ille agens sorori gratias, ob res impigrè sapienterque compositas; addebat, Breui se

easdem

1567 easdem coràm acturum maiore animi sensu, spectatoremque virtutis eius auidè futurum. ac post aliquot rerum monita iubebat, naues minimum octo instructas habere, quas obuiàm mitteret, quum primùm soluisse illum ab Hispania certior fieret. Et naues quidem Gubernatrix adornauit: ac, decernente Senatu, pro nauigaturo Principe supplicationes indixit. *(cui propterea naues adornantur, & vota concipiuntur.)* quibus tamen illum maris vtique securum non egere dictitabant aliqui, Tiberium Cæsarem memorantes, *(Suet. in Tib.)* qui quasi propediem Româ discessurus, similia pro itu redituque suo vota suscipi à municipijs non semel passus, Romanas prouincias expectatione diutissimè suspendisset. Sed nimirum Regiæ profectionis opinio, ne scena fidem perderet, *(frustra omnia.)* redintegratis huiusmodi argumentis, sustentanda erat. Certè Albani Ducis aduentum Nobilitati iuxtà plebique grauem, multò iniquiùs tulissent Belgæ, nisi secuturum mox Regem, ostentata ex propinquo spe, sibi persuasissent.

(2. Iun.) IAMQVE recuperata vtcumque valetudine Dux Albanus apud Astam lustrauit exercitum; *(RECENSVS exercitus Albani.)* qui virtute quàm numero maior (quamquam & numerum apud anxios extulerat metus) peditum octo millibus ac septingentis, equitum verò mille ducentisque constabat. *(Numerus peditum equitumque.)* Neque enim turbam circumducere, itineris plerunque impedimentum, sed egregios quosque, & manus videlicet, non multa nomina, voluerat Albanus: aucturus dein opportuniùs in Belgio, & veterano exercitui, ceu corpori magnis ossibus neruisque prævalido, quantamcumque carnis molem, tyrones inquam ac multitudinem innoxiè additurus. Peditatum, Hispanorum ferè vniuersum, in quatuor legiones tributum, quippe è quatuor abstractum prouincijs Tribuni totidem Hispani, bellica omnes laude conspicui, ducebant. *(Tribuni quatuor.)* Alphonsus Vlloa Neapolitanam: ea decem ac nouem signorum, hoc est trium millium ducentorumque ac triginta militum erat. *(Alphonsus Vlloa.)* Insubricam Sanctius Londognius, quæ sub decem vexillis duo millia ac ducentos habebat. *(Sanctius Londognius.)* Sicula sub totidem signis, mille ac sexcentos & viginti numerabat, ductore Iuliano Romero. *(Iulian. Romer.)* Eodem signorum, & militum Sardorum numero, Tribuno Consaluo Bracamontio, Sardoa censebatur. *(Consal. Bracamontius.)* *(Albanus f.)* Equitatui ex Hispanis, Italisque, & Epirotis conflato Ferdinandus Toletanus Castellæ Prior, ordinis Hierosolymitani, nothus Albani filius præerat. *(Magister equit. Ferdinandus Albani filius.)* castris autem Chiapinius Vitellius Cetonæ Marchio, quem multarum palmarum Ducem Philippus Rex ad hanc expeditionem impetrauerat à Cosmo Florentiæ Duce: *(Præfec. Castrorũ Chiapinius Vitellius.)* sicuti à Duce Sabaudiæ Franciscum Paciottum Vrbinatem, Montisfabri Comitem, arcium bellicarumque machinarum peritissimum. *(Machinator Franc. Paciottus.)* Tormentorum verò atque armamentarij Magister erat Gabriel Serbellonius, eques Hierosolymitanus, Hungariæ Prior, militaris ingenij, operumque *(Tormentorum Magister Gabriel Serbellonius.)*

Commissarius Equitum. *Ant. Oliuera, qui nouam hanc belli præfecturam in Belgium primus intulit.*

præclarus. Ad hos belli primarios administros additus est equi- 1567
tatus vniuersi Commissarius: noua militiæ præfectura, quam paulo *Melzius l. 2. c. 3.*
antè Ferdinandus Gonzaga Insubriæ armorumque pro Carolo Quin-
to moderator instituerat: ac primus hoc tempore transtulit in
Belgium Dux Albanus, tradiditque Antonio Oliueræ, à Martino
illo Oliuera originem trahenti, quem Petrus Castellæ Rex euocarat 1361.
è Gallia, vnà cum aliquot ordinum ductoribus ad Mauros Hispa-
niâ depellendos. Et erat nouo huic regimini longa armorum tra-
ctatione per Italiam Africamque par Antonius: agebatque tunc mi- *in Senen. 1553.*
litum in Insubria Tribunum, quum generalis equitum Commissa- *in Ferrarien 1557.*
Alij belli Duces. rij nomen ac munus ab Italia primus eduxit. Nec minus egre- *in Finali 1558.*
gij singulis quibusque cohortibus turmisque præfecti numeraban- *in Gerbensi*
Carolus Daualus. tur; Carolus Daualus Vastij filius, in Subalpinis Insubribusque præ- 1160.
lijs cum Piscario fratre diù exercitus, bellicamque Maiorum suo-
Bernardinus Mendoza. rum in ijs præcipuè campis gloriam æmulatus: Bernardinus Men-
doza rerum militarium vsu, postea & commentatione clarus: Ca-
Camillus à Monte. millus à Monte, Io. Baptistæ Marchionis, qui iam in Belgium præ-
cesserat frater, militiam sub Chiapinio auunculo ab anno duodeci-
Christoph. Mondragonius. mo viriliter auspicatus: Christophorus Mondragonius in Italicis,
Tunetanis, Germanicisque bellis, Carolo Quinto Imperatore me-
ritus. isque fuisse vnus dicitur è decemuiris illis Hispanis, qui me- 1547.
morabili audacia, gladijs ore mordicus arreptis, tranauere Albim,
raptisque ex aduersa ripa cimbis, atque inter hostilium pilarum tem-
pestatem retractis ad Cæsarem, transmittendæ per eas in pontem
firmatas Cæsarianæ legionis, atque inde festinandæ Saxonicæ vi-
Sanctius Auila. ctoriæ primas egere partes. Præterea Sanctius Auila ab Duce Al-
bano puer educatus ad bellum, eiusque perpetuus vel in obitu asse-
Curtius Martinenghus, Nicol. Basta, Francisc. Verdugus. ctator: Curtius Comes Martinenghus, Nicolaus Basta, Franciscus
Verdugus, alijque veterani ferè omnes, multorumque non magis
stipendiorum, quàm victoriarum. Lustratus exercitus, diuisusque
Dispositio tripartita Agminis. in partes tres, per Cenisium montem, Pœninarum Alpium sum-
mum, in Allobroges mouit. Primum agmen, in quo erat Neapoli-
tana legio cum turmis equitum Italorum atque Hispanorum quin-
que, Albanus ipse ducebat. Medio, cui attributa Londognij legio
cum quatuor Hispanorum equitum turmis, præerat Ferdinandus
filius. ducebat vltimum agmen ex Sicula & Sardoa legionibus,
nouo inuento clomauiis. ac duabus turmis Epirotarum equitum, Marchio Vitellius. Fron-
tem cuiusque centuriæ, nouo inuento, tegebant extra ordinem mi-
lites quindeni, armati grandibus sclopis, furcisque bicornibus, *Mosqueto.*
quarum fulcro tubi non sanè manuales librarentur. Antea enim
huiusmodi fistulæ tamquam ingestabiles, non nisi insistentes ligneo
tripodi pro muris explodi consueuerant. inde translatum earum
vsum

1567 vſum ad campeſtrem militiam, immiſtoſque, qui eas ferrent, minoribus ſclopetarijs; momenti plurimum habuiſſe compertum eſt. Præmiſſi cum militum, fabrûmque globo Gabriel Serbellonius, & Franciſcus Ibarra: parando hic commeatui, ille itineri explorando ſternendoque, curauere ex præſcripto Vitellij, vt exercitu tripartitò incedente, vnde caſtra mouebat primum agmen, illic caſtra poneret medium; atque in huius abeuntis locum ſuccederet, ſtationemque haberet vltimum. Atque in hunc modum menſe Iulio, modicis itineribus, per alpes Allobrogeſque in Burgundiæ Comitatum deſcendit exercitus: auctuſque quadringentis equitibus Sequanicæ iuuentutis, per Lotharingiam ſub initium Auguſti in Belgium peruênit, nulli finitimorum infenſus, aut obnoxius. Quamuis armatæ Gallorum cohortes ſeſe oſtenderent in finibus Sequanorum: Tribunuſque Tauanius, iuſſu Caroli Regis, cum quatuor peditum millibus, atque aliquot equitum turmis, tuendi limitis causâ ad latera Hiſpani exercitus ſemper incederet. Et ſanè haud ſcio, an vllus vnquam exercitus tantum itineris maiori diſciplina confecerit: adeo, vt ab Italia in Belgium vſque, non modò oppidorum nulli, ſed ne vni quidem ruſticorum caſæ illata vis à quoquam, aut iniuria memoretur. ſi facinus vnum excipias, quo equites ſclopetarij tres in aditu Lotharingiæ, totidem verueces è grege vicino abegêre; qui ſtatim ab Duce Albano, re comperta, ſuſpendio damnati, ac pecudes remiſſæ ſunt. Quamquam intercedente Lotharingo Centurione, qui Ducis ſui nomine, Albano in limite occurrerat; duorum vitâ, Ducis honori conceſsâ, tertius aliorum exemplo, in furcam actus eſt: talis inter eos ſuper tympanum iactis, fatoque non temere in eum cadente, qui ſocijs author extiterat maleficij.

Eius iter.

Burgundi.

ſumma diſciplina confectum.

Militari maleficio nõ impunito.

Bern. Mendoz. l. 2.

INGREDIENTEM Albanum Theodoniſuillam Lucemburgenſis prouinciæ, Comites Albericus Lodronius, Otho Oberſtenius, & Scauemburgius, cum ſuis quiſque Germanis legionibus excepere militari plauſu. Aderantque Carolus Barlamontius, & Philippus Norcarmius, ille Namurci Præfectus, hic Hannoniæ, delecti qui Margaritæ Gubernatricis nomine Albanum primi ſalutarent. Et Albanus præmiſerat Franciſcum Ibarram, idem officij genus cum Margarita peracturum: ſimulque vt cum ea conficeret, quibus in vrbibus eſſent collocandæ legiones. In quo & ſi diſſentiebat ab Albano Gubernatrix: quòd hæc Bruxellas Regi fidelem vrbem excipi ab hoc onere volebat, ille tamen ſecuritatem dignitatemque Regis obtendens ea in vrbe manſuri, partem in illius ſuburbijs, partim Gandaui, alijſque in oppidis ſtationes militum deſignauit. Lodronius verò cum ſua legione (hæc duodecim ſignorum erat, ſingulis verò ſub ſignis milites trecenti numerabantur) miſſus Antuerpiam, iuſ-

Theonuilla.

INGREDITVR Belgiũ Albanus.

Salutatur à præcurſoribus Gubernatricis.

ad quam ſalutãdam ipſe præmiſerat.

Diuidit per Belgium legiones.

ſuſque

susque Mansfeldius, quem Germanorum equitum Magistrum ex Regis præscripto nominauerat Gubernatrix, dimissis Belgis militibus, 1567

Gubernatricem magnificè, ac venerenter inuisit.

Antuerpiam Lodronio tradere. Nec multo pòst Albanus multis Nobilibus, qui obuiàm ei processerant, comitatus, Bruxellas ingressus, 22. Aug. rectà ad Gubernatricis sedem vadit, eiusque manum cursim osculatus, in ædes Culemburgicas diuertit, Gubernatrice Palatium obtinente.

Regias muneris sui litteras ei ostendit.

Cui, consequente die, legendas misit, quas tulerat ab Hispania, Regis litteras, exemplumque mandatorum, in quibus summa 19. Mart. armorum præfectura per Belgium Albano tribuebatur, integra rerum ciuilium administratione penes Gubernatricem. Eodemque die magnâ equitum famulorumque pompâ ad eam inuisendam splendidè processit: obseruantibus aulicis, qui offensum Gubernatricis animum introspexerant, aut offensum volebant; qua fronte hæc prima officia transigerentur. Et Margarita quidem torminibus, ac febriculâ per eos dies tentata, quum parum se ad excipiendum hospitem promouisset; simulatum id, aut certè opportunum ad calcandum Albani fastum credebatur. Sed ille coràm nihil venerationis omisit, quæ Caroli Quinti filiam, Regisque sui sororem addeceret.

alias adhuc locupletiores ostéfutumum ... [illegible]

Remotis verò arbitris, ampliora, quàm quæ paulo antè protulerat, mandata Regis exhibuit, non modo bella pro arbitrio administrandi, sed arces etiam extruendi, Magistratus, ac Præfectos exauthorandi, præteritorum causas tumultuum cognoscendi, plectendique. Et quum à Gubernatrice interrogaretur) numquid super hæc haberet; habere se pluscula respondit, quæ simul omnia in eo congressu exponi non possent: pro re tamen nata se cum illa communicaturum.

Probat illa in speciem Gubernatrix.

Quo responso nihil in speciem turbata, laudauit tunc quidem Regis consilium, modò ita tractaretur, ne recens Belgio restituta pax, ceu tenera dubiaque adhuc arbuscula irritaretur violentiori cultu. addiditque optimum factu sibi videri, si postridie Regiarum exempla litterarum in Senatu legerentur: quod & factum est.

offensa tamen queritur apud Regem.

Ad Regem tamen scribens conquesta est, *Tantum authoritatis, tantum militum Albano Duci attributum: illud existimationi suæ, hoc composito prouinciarum statui multum officere. Iam enim ex ijs, qui aut præsenti hospitiorum onere, aut veniæ desperatione, aut futurarum calamitatum metu in alienas terras profugiebant, secumque pecuniam, supellectilem asportabant; centena circiter hominum millia numerari. Vna re sustentari se pariter ac populos, aduentu Regis. qui quò certiùs speraretur à prouincijs, quatuor antè diebus Vuachenum pro Hornano maris Præfectum, cum nouem instructis milite nauibus in Hispaniam properasse. Quod si, mutata fortè sententia, differre aduentum in aliud tempus satius haberet; orare ex animo, vt se nono iam anno moderantem Belgio, diuturna administratione liberatam velle, pro sua indulgentia* 8. Septem.

ne

1567 *ne grauaretur*. Id verò ipsum vt ardentiùs multo exposceret à Rege, repentina Egmontij, aliorumque captiuitas effecit.

DE CAPTIVITATE Com. Egmontij, & Hornani.

INITIA Præfecturæ ab animaduersione in suspectos aliquot Belgarum Proceres auspicanda sibi duxit Albanus. quòd demissis ijs, qui eminerent, non habiturus esset populus, ad quos facilè conuerteret oculos. Itaque Nobilitati principio se perhonorificum præbet: Egmontio in primis, cuius exemplo allicere Hornanum instituit, tergiuersantem initio, ac libentiùs primos illos congressus procul auditurum. Feruntque, quum Albani conspectum ceu præsagus auersaretur, increpasse timorem eius Egmontium, atque in se recepisse, Nihil ei, quod non & sibi pariter, euenturum. Dicti omen euentu mox secuto. Quin vbi Hornanum allectum Albanus videt, Hochstratanum quoque cum ceteris ad ordinandam Rempublicam Bruxellas euocat. Et hic in viam se dederat: sed recens à morbo dum lentiùs vehitur, aut de industria cunctatur; audito quod acciderat, citiùs multo quàm venerat, aufugit. Reliqui optimates Bruxellis adfuere, quinto idus Septembris. Quo ipso die mandarat Albanus Andreæ Salazario, atque Ioanni Espuccio Centurionibus, vt citra tumultum caperetur Ioannes Casembrotius Bacherselij Dominus, qui è fœderatis vnus multorum conscius habebatur, quippe Egmontio à secretis. Simulque datum negotium Comiti Alberico Lodronio, ac Sanctio Londognio Tribunis, vt Antonium Stralium Antuerpiæ Consulem Orangianis consilijs intimum, eodem die Bruxellas asportarent. Quod ne turbas fortè conciret ea in vrbe, in qua Stralius gratiâ pollebat opibusque; orauit Albanus Gubernatricem, scriberet ad Magistratum Antuerpiensem, doceretque Bruxellas acciri Consulem, vt de statu illius vrbis ageret cum Albano. Quod ipsa fecit, epistolamque Lodronius tradidit Magistratui, capto iam Consule: qui sibi iam metuens, carro imponi se iusserat multa sub veste, ac telarum inuolucris occultatum. Sed vix dum portâ vrbis egressum Lodronius per exploratorem admonitus comprehendit. Hæc dum gererentur, consultabat in ædibus Culemburgicis Albanus cum Belgarum primoribus, Areschoto, Egmontio, Hornano, Mansfeldio, Arembergio, ac Barlamontio: aderantque præterea Ferdinandus Albani filius, Vitellius, Serbellonius, & Ibarra. Trahebat autem datâ operâ consultationem Albanus, de Consule, deque Casembrotio captis nuncium opperiens: ideoque Comitem Paciottum de vestigio formaque arcis Antuerpianæ disserturum euocauerat in Senatum. quum, factum esse, quod imperauerat, admonitus; Senatum dimittit. Abeuntibus alijs, ipse Egmontium seorsim euocat, quasi aliquid secretò allocuturus. Atque ex aduerso cubiculo ostendentibus se aliquot Centurionibus; tum Albanus,

Albanus Egmôtium allicit.

Et per hunc attrahit Hornanū.

Proceres omnes ad ordinandam Remp. vocat.

Alios minores alia via aggreditur.

9. Septemb.

præcipuè Casembrotium.

& Stralium.

Consultant illi inconsultè cum Albano.

Detinetur, atq; exarmatur Egmontius.

Siste,

Siste, inquit, *Egmonti: custodiri te Rex iubet, eiusque nomine gladium pone*. Ille inopinata denunciatione perculsus, armatosque circum se complures aspiciens, gladium tradidit, addens, *Et tamen hoc ferro sæpe ego Regis causam non infeliciter defendi*. Nec plura fatus à Centurionibus in conclaue traductus est. Eodemque tempore Hornanus ab Ducis Albani filio, à quo honoris causâ deducebatur, iussus est, posito gladio, sese in potestatem Albani, Rege ita imperante, committere. Statimque in aliam ædium partem Centuriones, qui præstò accurrerant, inermem seduxere. Interea Sanctius Auila prætorianorum præfectus, quos Albanus elegerat sibi lateris custodes, Culemburgicas ædes, atque aditus viarum armatis sepserat, ignara suspensaque ciuitate, quò terror ille pertineret. Vbi verò patuit, Egmontium, Hornanumque attineri apud Albanum, tristi primùm silentio populus hærere, mox Albani artes agnoscere, nimiæque præsertim Egmontij fiduciæ subirasci: multi captum ea Procerum captiuitate Belgium dicere: tantoque magis laudare alij præcautum Orangij consilium, eique incolumi, ac Belgio per illum non planè destituto gratulari. Quin & Cardinalis Granuellanus Romæ audito, quod Bruxellis acciderat, sciscitatus ab eo, qui rem denarrabat, an captus quoque fuisset Taciturnus, (sic Orangium nominabat) atque eo negante, dixisse fertur, Vno illo retibus non concluso, nihil ab Duce Albano captum. Hæc porrò quoniam clam Gubernatrice Albanus egerat, ad illam, priusquàm aliunde resciret, Mansfeldium ac Barlamontium percaros ei viros Senatu vix dum egressos illicò misit, qui factum exponerent, ac silentium excusarent: id enim cælatum à se ex mandato Regis, ne qua pars inuidiæ perueniret ad illam, quam caritate apud populos, quibus præerat, valere potissimùm decebat. Sed non ideo Margaritam placauit, quæ quamquam illis præsentibus indignationem texit, offensa tamen non leuiter, vereri cœpit, ne similia in posterum multa prouenirent, & gubernatione apud Albanum translata, personam Gubernatricis ipsa referret, nempe vt videretur aliquis Austriaci sanguinis Belgio præesse. Itaque quum super hæc, accepisset à Rege, differri aduentum eius vltra sex menses, hoc est ad Veris initium; destituta ab ea spe, torminibusque in dies acrioribus conflictata, Machiauellum aulicum suum legat ad Regem, deque captis Egmontio, & Hornano breuiter, & citra querelam differens (credo ne inde offensa videretur) illum obsecrat, *Vt sibi valetudine curisque graui liceat abire tandem prouincia, quam adeo contracto ac pene nullo eum imperio moderari, an vtile Regi, an decorum ei, quam Rex sororem appellare non dedignatur; illius meditationi relinquere. Sibi certum esse, vitæ momenta sua ex illius nutu (vt addictam eius Maiestati*

Margin notes (left): *& Hornanus.* — *Ciuitatis timor,* — *& querela.* — *Granuellani Card. dictum.* — *Excusatio Albani cum Gubernatrice.* — *Qua non acquiescit,* — *Sed petit missionem à Rege.*

Margin notes (right): 1567 — 20. Aug. — 11. Sept.

1567 *ie ſtati famulam decet) perpetuò temperare*. Nec tamen interea Gubernatrix quidquam omiſit, quod ad rerum curam ciuilium pertineret. Nam ex ſententia Senatus, quem ad ſe vocauit, præſente Albano, Belgarum fugam, quæ numero quotidie gliſcebat, edicto ſiſtere conata eſt. Statimque mercatores decem primarios Tornacenſes è portu Fliſſingano ſugam in Britanniam adornantes capi, ac bonis exutos cuſtodiri iuſſit. Pauloque pòſt inuiſente eam lecto decumbentem Caroli Gallorum Regis Oratore, ac multum querente, quòd è Belgio plurimi transfugerent ad Condæum, alioſque contra Regem arma iterum molientes; inſtaurari edictum voluit aduerſùm Belgas, qui rebellibus in Gallia militatum irent. Neque hoc contentus Orator (admonente illum Carolo Rege ab Regni coniuratis pene oppreſſo) ſubitum aliquod è Belgio ſubſidium militarium copiarum Margaritam popoſcit. Et ſanè non immerito poſcere videbatur. Namque Gallici huius belli (quod ſecundum ciuile ſcriptores eius gentis appellant) etſi non aliæ quàm primi fuere cauſæ; occaſionem tamen arripuere partium ductores Condæus, atque Colinius ex tranſitu exercitus Albani, quem diſſimulato itinere irrupturum in Galliam ad nouæ religionis perniciem affirmabant. Sic enim conueniſſe in arcano illo Baionæ colloquio inter Carolum Regem, Matremque Catharinam, & Iſabellam filiam Reginam Hiſpaniæ, præſente Albano Duce. Eò ſpectare vexatam, ac ſubiectam in Belgio hæreticorum factionem à Margarita Gubernatrice. Eòdem Albani aduentum cum robore Hiſpanici exercitus: vt ſimul Carolus Hugonotos in Gallia, ſimul Hiſpanus in Belgio earundem partium homines profligarent. Itaque magnis comparatis copijs, quaſi acceptæ iniuriæ vltores, aut in poſterum cauti; primùm oppida complura vrbeſque capiunt: dein Regi ipſi Meldis agenti inſidias ſtruunt; vixque noctu elapſum, ac Lutetiæ receptum, valida obſidione, omnique ad commeatum aditu intercluſo in poteſtatem redigere conniтuntur : denique inſtructa acie commiſsâque apud Sancti Dionyſij oppidum pugnâ, etſi campo exuti fugatique concedere Catholicis victoriam viſi ſunt, cruentam quidem illam, interfecto Anna Momorantio Regij exercitus ductore; tamen maiori adhuc virium apparatu, quippe ſuboleſcente in dies hæreſi, magniſque è Germania acceptis auxilijs, inſtaurauere bellum. Quæ res Carolum mouit, vt præter delectus toto regno habitos, ab Italia, Germania, &, vti dicebam, à Belgio, propugnandæ Religioni ſubſidia poſtulauerit. Et Margarita quidem Belgij Gubernatrix de ſubſidijs dubitauit, non conſulto antè Philippo Rege, remque propterea totam Albano libentiùs remiſit. qui memor eorum, quæ Baionæ agitauerant de mutuis auxilijs: ratuſque Galli Oratoris poſtula-

Interim in præſentem adminiſtrationem incūbit.

Edicto remorat fugitantes è Belgio,

& punit.

Carolus IX.

Aliud edictum condit in gratiā Legati Galli;

qui etiam auxiliares copias à Belgio poſcit:

contra nouas in Gallia turbas.

Occaſione Albani aduentus excitatas:

et magnis vtrinque cladibus exercitas.

Meaulx.

Pariſij.

Dubitat Gubernatrix de mittēdis ſubſidijs.

At nō Albanus,

tum & Hiſpano perhonorificum, & alendis Belgas inter & Gallos hæreticos inimicitijs opportunum, dum inſtauratis ſubinde armorum offenſionibus diſtraherentur animi; ex ſententia Senatus, Oratori ſpondet, auxiliares copias, vti rogauerat, præſtò futuras: reque cum Gubernatrice communicata, duo millia peditum Hiſpanorum, & mille ac ducentos equites, pleroſque ex Hannonia, & Arteſia nobilitate, Ioanni Lignio Comiti Arembergio committit. Scribunt aliqui, Albanum obtuliſſe ſeſe ducem expeditionis: ſed eiuſmodi auxilium vti obuium, ita ſuſpectum Gallo fuiſſe: nec tam opem illam, quàm explorationem regni viſam. ideoque, quaſi neutri Regum expediret abſentia eius à Belgio, modeſtè reiectum. tunc alium pro ſe ducem ab Albano ſubmiſſum. Vt vt fuerit, exeunte Nouembri, Cameraco diſcedens Arembergius, triduanis ſupplicationibus pro eius expeditione antè peractis, cum Marchione Villerio coniunctis apud Ambianum copijs, inde ad Regis exercitum profectus eſt, operâ in pugnis aliquot egregiè poſitâ, donec rebus in Gallia compoſitis, ac pace vtcumque firmatis, in Belgium eſt reuocatus Albani iuſſu, tunc maximè eo Duce atque militia indigentis.

1567

qui & milites legit, & Ducem, Com. Arembergium.

Immo ſe offert in eā expeditionē.

ſed Hiſpanus à Gallo non admittitur

Thuan. l. 39. hiſt. & alij.

Amiens.

De DISCESSV Gubernatricis.

Poteſtatē à Rege accipit abeundi.

10. Octob.

PER ID tempus Machiauellus ab Hiſpania reuerſus attulit Regis litteras: quibus, poſtquam auctum ſe filiâ tribus antè diebus ſignificaſſet, (hæc Catharina eſt, quæ poſtea denupſit Carolo Emmanueli Sabaudiæ Duci) poteſtatem ei facit, Belgio abeundi: teſtatus, dare id ſe ſororis petitioni, non commodo prouinciarum: quas ob prouincias in ſumma temporum difficultate prudènter ac ſtrenuè gubernatas, agit quæſitis ſanè verbis eius virtuti gratias, cumulatèque relaturum pollicetur. His acceptis litteris Gubernatrix, tradito Belgicæ Præfecturæ diplomate Albano Duci per eundem Machiauellum ab Hiſpania miſſo, admonitiſque Philippi Regis apud Imperatorem, Regemque Galliæ, & Angliæ Reginam Oratoribus, qui Principes illos de ipſius diſceſſu certiores faciant; epiſtolam componit ad Belgicos Ordines, vt quæ coràm dicere in publico illorum conuentu peroptauerat, antequam è complexu abiret popularium ſuorum; ea (quando Ordines cogere per Regem non liceat) litteris vtcumque ſuppleret. In quarum ſumma, enumeratis nec parcè, nec falsò, quæ ferè nouennio in prouinciarum adminiſtratione geſſerat: quaque ratione turbas duobus poſtremis annis excitatas, ante Aprilis exitum ita compoſuerit, vt Belgium vniuerſum ad obedientiam Regi debitam, bonorum ciuium conſilio operâque redegerit; orat, vt eum tueri rerum ſtatum coniunctis animis connitantur, integra maiorum Religione, obſequioque aduersùs Principem: à cuius clementia ſperandum eſſe, de ipſis quoque perduellibus,

Tradit Albano Belgicæ Præfecturæ diploma.

Admonet Principes de ſuo diſceſſu.

Scribit de eo ad Ordines.

7. Decem.

1567 bus, quod vnum supererat, pœnas quàm mitissimè exactum iri. Se quidem ea super re sententiam suam misisse iam ad Regem, idemque iteraturam priusquàm discedat: nec vsquam in posterum aliquid omissuram, quod pro Belgarum sibi carissimorum salute ac tranquillitate apud fratrem impetrare posset. Et sanè haud pòst 10. Dec. multo litteras ad Regem dedit in hunc modum. *Felix Reginæ Dominæ meæ partus, cuius ob nuncium osculor Maiestatis tuæ manus, affecit incredibili me voluptate, cernentem sanguinis immortalitate dignissimi propagationem. Quòd verè mihi abeundi potestatem dumfacis, cumulare beneficium volueris, addendo Ob administratam à me prouinciam ad votum tuum, esse te mihi (sic enim Clementiæ tuæ visum est loqui) magnopere deuinctum; mihi profectò iucundius accidere nihil potuit: quum in omni negotio satis vt facerem tibi, propositum ante oculos habuerim, atque ad hanc normam vbique me ac nauiter explorauerim. Quod si assecuta sum, præclarè omnino peractum puto cum laboribus meis. Etenim inficias non ibo, in hoc annorum propè nouem spatio, labores oppidò multos, & pragraues subiisse me, inter huiusmodi consiliarios constitutam, quorum plerosque aut æmulatione discordes, aut fide dubios, aut Hispanorum odio infensos habui: planè vt eorum sententiam nec mihi integrum esset non audire, nec tutum sequi. Et tamen inter hasce tenebras, succedentesque rebellium tempestates, in portum tranquillitatemque subductam esse Reipublicæ nauim, vnius feminæ gubernatione; enimuerò non opis humanæ fuit, est omninò quod agnoscam, ac venerer pietatem tuam, cuius gratia me tuis auspicijs Belgio moderantem diuina Bonitas præsenti ope gubernauit. Iam verò quando huc Dei beneficio adducta res est, nec aliud quàm animaduersio superest in eos, qui prouincias turbauerunt; non omittam significare Maiestati tuæ, quid euertere præsentem rerum statum maximè potest. Suppliciorum terror tanto exercitu quæsitus sicuti iam perquàm multos desperatione veniæ fugauit in alias terras, magno vtique cum Belgij detrimento; ita vereor, ne reliquos, dum à fuga sistuntur, intra Belgium conclusos coactosque, in factiones ac turbas acriùs impellat. MALE apud Belgas terrore veneratio comparatur. Qui hanc fortè viam seueritatis, institerint, (vtinam ipsa me fallam) Hispano quidem nomini plus acquirent inuidiæ, quàm potentiæ: prouincijs certè & ciuilia bella, & externorum arma, & postremò solitudinem adducent. Quam ob rem Maiestatem ego tuam oro obtestorque, vt Clementiæ diuinæ, ac tuæ memor, vltione in quàmpaucissimos contracta, tuorum pœnitentiam, quàm pœnam malis. Sic te, Reginamque, Dominos meos, cum recenti prole Deus Optimus Maximus diutissimè fortunet.* & respondet Regi in hunc modum.

1568 Interea euulgato Margaritæ discessu, proueniebant quotidie è toto Belgio honestissimi quique, publico ciuitatum nomine contestantes dolorem, iacturamque prouinciarum ex illius absentia; iterque Officia Ciuitatū.

& finitimorum Principum erga illam:

præsertim Angliæ Reginæ.

Abit è Belgio Margarita aucta certo reditu à Rege.

ac relicto apud Belgas desiderio sui:

quod illi conflictibus argumentis ostenderunt.

illi faustum anxiâ, vti fit, curâ comprecantes. Finitimi quoque 1568
Principes officiosis tum litteris, tum legationibus idem præstabant.
Superauitque omnes Elisabetha Angliæ Regina, tam bonæ caræque
sororis, vti scribebat, vicinitate in posterum caritura: siue is amor 10. Febr.
fuit in Margaritam, siue sollicitudo ex Albano successore. Illa autem adornato iam discessu, aucta ab Rege quatuordecim millium aureorum reditu, Februario mense, Albano deducente ad Brabantiæ fines, ac Belgica Nobilitate in Germaniam vsque comitante, in Italiam venit: vbi magnâ occurrentium pompâ ab Octauio marito excepta est. relicto apud Belgarum animos incredibili desiderio sui, quod secutæ dein calamitates tantopere cumularunt, vt res ab illa gestas non dubitarent identidem Belgæ Albano ipsi, ac Requesenio, multo quàm apud successores consueuit, honorificentiùs iactantiùsque denarrare, ac propemodum obtrudere. immo Duaci 1574.
quum restituto studiorum causâ Franciscano cœnobio ex Margaritæ Parmensis ære, adiecta essent, vti assolet, gentilitia eiusdem Signa; numquam illac populus præteriret, quin ad eorum aspectum denudarent, reuerenterque submitterent caput. Quod deinde studium maximè patuit, quum scriptis ad Regem litteris, Parmensem velut vnicum rebus afflictis modum remediumque efflagitarunt Belgæ, atque aliquanto post obitum Ioannis Austriaci, cum Alexandro filio receperunt.

Ex litteris Io. Gangeriici Franciscani. & aliorum.

DE

DE
BELLO BELGICO
LIBER SEPTIMVS

1568 HACTENVS res Belgicas, etsi non pace florentes, haud perennibus tamen turbis agitatas, certè ad extremum compositas, pristinæque tranquillitati propemodum restitutas; *Malorum insequentium propositio.* nunc aperta prouinciarum defectione, magnis vtrinque exercitibus, maioribus odijs, plurima Ducum militumque clade funestatas dicere aggredior. Nec sum nescius, horum causas malorum in Albanum Ducem vulgò referri: *Quorum causa vulgò ascribuntur Albano Duci.* nam etiam antequàm ad hasce prouincias regendas accederet, eius nomen Belgis ingratum erat. Ferebaturque, quum Carolus Quintus Imperator rebellionem Gandauensium vlturus petijsset ab Albano, *nempe ex odio in illum concepto.* qua illos animaduersione dignos existimaret? respondisse, Meritam esse contumacem patriam, vt funditus euerteretur: *ob eius dictum:* offensumque immiti responso Cæsarem, iussisse illum in turrim ascendere, vrbemque inde totam æstimare: tum interrogasse, quot pellibus Hispanicis ad conficiendam æquè grandem chirothecam (hoc enim sonat Galli- *Gant.* cum Gandaui nomen) opus esset? neque Albanum, quippe Imperatoris offensionem ex vultu cognouerat, quidquam addidisse. Quæ res quoniam cum Principis,& Vrbis laude pariter coniuncta erat; seu vera, seu ficta, facilè Gandauensibus credita, ab ijsque in reliquum Belgium cum Albani odio propagata. Et auxit ille præsentiâ opinionem seueritatis, dum ad prouincias veluti subigendas armatus accessit: dum Hispanos milites in Belgium reduxit, eosque,& arces *ob reductos in Belgiũ Hispanos:* vrbibus imposuit: dum captis Egmontio, viro Belgis gratissimo, atque Hornano maris Præfecto, vocatisque ad causam dicendam *ob dãnatos proscriptosque Proceres.* Orangio, ac reliquis coniuratis, author Regi fuisse dicebatur, ne cuiquam illorum ex nimia facilitate, qua satis peccatum erat, aliquid condonaret. Et sanè (sicuti nonnulli disserebant) si poscenti *Ex quo deducit belli causam.* Orangio, vt sua ipsius asseclarumque causa ab Rege torquati ordinis principe, non ab Duce Albano, eiusque concilio, cognosceretur, annuisset Rex; bellum tunc quidem ab ijs haud inceptum fuisset. Sed irati Regis sententia per inuisum ministrum, eòque inuidiosè prolata, qua Orangius, socijque Maiestatis damnabantur, bonisque

nisque exuberantur; iusto nimirum dolore illos ad arma compulisse 1568
videri potuit: atque adeo belli, quod insecutum est, grauissimi ac diuturni, ad Hispanos quàm ad Belgas referri potiùs causam oportere, aliqui conficiebant: nempe homines ex eorum numero, qui,
sed immerito. vti Polybius aiebat, belli causas atque principia perinde habent. Ego Lib. 3. hist.
verò Albani perseueram, inuisámque Belgis administrationem sicut fuisse belli occasionem principiumque non abnuerim; ita non fuisse
Aliunde illa deducenda. causam belli certum habeo. Altiùs enim multo hærebat causa. Nimirum insita Orangio dominandi libido indignatione ac dolore stimulata: aucta accessu hæreticorum, opportunitate partium, omnium ferme ordinum offensione, hæc profectò fuit causa: quæ si non hinc ad bellum faces accendisset, aliunde materiem incendij quæsitura demum erat. NEC enim deesse diù potest occasio improbitati. In hoc autem felix Orangij facinus fuit, quòd ab alterius odio patrocinium habuit. Nactus enim ille occasionem ex Regis sententia aduersùm se, fratremque, & primarios quamplures lata ab Duce Albano; arma corripuit, tanto honestiori specie, quanto se tueri, sua repetere, socios, filium, patriam in libertatem asserere non æquum modò, sed etiam gloriosum videri potuit. Hæc autem mi-
Consilium narrandi præfecturas Albani, & Requesenij. hi, qua se ratione habuerint, enarraturo; Albani quidem Ducis, & qui secutus est, Ludouici Requesenij res in Belgio gestas breuiore aliquanto circuitu persequi consilium est, vbi ipse non habeam aut alia, aut ferme certiora quàm alij. Quæ duo & in Margaritæ præfectura latiùs vt progrederer suasere, & in Ioanne Austriaco, atque in Alexandro Farnesio suadebunt. Quorum multa, alijs non perinde nota, ex arcanis, quæ apud me sunt, litterarum monumentis polliceri possum. In hac tamen ipsa rerum veluti summa, si quæ mihi explorata præ cæteris erunt, & erunt sanè non pauca, explicatè dicere non grauabor.

PRAESAGITIONES futurorum. ET FVTVRARVM quidem calamitatum prænuncium interpretati sunt aliqui, puerum Leodij natum bicipitem, quadrupedem,
Monstrum Leodij. quadrimanum: quo portendi canebant monstruosum fœdus, complurium populorum viribus conflandum, quod breui sanè conflatum est. Auxitque metum apud obnoxios iam animos, secutum mox
Incendium Mechliniense. incendium Mechliniense. Etenim in sulphurei pulueris molas ignem seu casu, seu dolo iniectum sexaginta confecti pulueris doliola comprehenderunt, tam ingenti quatefactæ motu terræ, atque fragore, vt pleræque Brabantiæ vrbes, exaudito procul tonitru, nutantibus ædificijs trepidauerint. Quamquam, vt arceri solent ab vrbe huiusmodi officinæ, non magna insecuta est hominum pernicies. Minor tamen fuisset, & rariores quotidie deplorarentur hæ strages, si quemadmodum seditiosi inuicem disparantur, ne ex illorum coitio-

ne

1568 ne conflетur rebellionis incendium: ita quæ tormentariam hanc pestem componunt elementa, seorsim haberentur. Sed Albanus iactura potiùs, quàm præsagitione commotus, Antuerpiæ arcem fundabat, Paciotti machinatoris ingenio, Serbellonij iudicio, quàmmaxima duorum millium operarum festinatione pariter ac successu: nempe quòd vnius artificio, atque vnius consilio vtebatur.

Arx Antuerpiæ.

Pentagoni formâ extructa est moles, propugnaculis ad singula latera, quàm amplissimè proiectis: quorum quatuor, ab se Gubernator appellari voluit, Ferdinandum, Toletanum, Ducem, atque Albam: quintum Paciotto permisit.

Forma eius, quinque laterũ.

Hæc autem arx licet arcibus per Europam postea fundatis exemplar diù extiterit: ac Paciottum, clarum exinde nomen, eâ potissimùm gratiâ Iuuentorem nouæ munitionis appellauerint; haud tamen omnibus perinde probata est: cùm ob alias causas, tùm quòd eo situ posita sit ad Scaldis ripam, quæ Brabantiam respicit, vt accedentes ab Hollandia hostes, vrbemque inuadentes arcere non possit. arcuisset autem, si illam in opposita vrbis parte, versus ostium Scaldis, contra Hollandiam statuissent.

Artifex.

Situs non probatur ab aliquibus.

Hier. Conestag. l. 3.

Adrianus Stopenrus contra Conestag.

Defenditur ab aliis.

Excusant id tamen aliqui, affirmantes in extruenda mole habitam tunc Albano rationem, qua sibi potiùs ab vrbe, quàm vrbi ab hoste præcaueret. adduntque præterea, sapienter eo fabricatam loco, quo in arcem inferre subsidium ex subiectis circà prouincijs promptum esset Hispano. quæ sanè cura fundatoribus arcium prima censetur. Huiusmodi autem opportunitate caruissent, si Hollandiam versus, munitionem excitassent. Ego verò non hoc potissimum spectasse Serbellonium arcis magistrum mihi persuadeo. Neque enim, quum fundabatur arx, Hollandia Regi parebat minus, quàm Brabantia: ideoque subsidio vtrinque inferendo patuisset aditus. sed arcis securitati consuluisse crediderim eo maximè positu. Nam quum omnis latè planities, qua ad Hollandos itur, depressior aliquanto iaceat, adeo vt aggerum obiectu sustinendus sit fluuius, ne se campis infundat ingenti vel pagorum strage; imperitè ea in parte collocassent arcem, vbi hostes corruptis facilè obicibus, illam aquis inuadentibus cogere ad deditionem vltro possent. cui obnoxia quidem malo minus est in præsentia, solo altiore sita. Quamquam secto dein Belgio, redactâque in hostium potestatem Hollandiâ, illa quoque extit, quæ non tum quærebatur, vtilitas inferendi in arcem auxilij ex prouincijs Hispano subiectis.

non bene.

Causa cur eo loci posita sit Arx.

EODEM tempore à Duodecimuirali concilio, quod Albanus instituit, criminibus præcedentium tumultuum sine prouocatione cognoscendis, vulgò ob crebra supplicia, concilium sanguinis appellatum; Gulielmus Nassauius Princeps Orangius, Antonius Lalinius Comes Hochstratanus, Florentius Pallantius Comes Culemburgius,

CONCILIVM turbatum.

Ab eo vocantur ad causam dicendam Proceres Belgæ.

gius, Gulielmus Comes Bergensis, Henricus Brederodius, aliijque 1568
a Belgio profugi Dynastæ, Albani iussu vocantur ad Regij Procuratoris accusationes expostulationesque audiendas, seque ab obiectis

Non parent.

criminibus explicandos. Sed illi, misso statim libello ad Albanum, cuius concilium negabant legitimum tribunal sodalium aurei Velleris; procul tueri communem causam satius habuere.

Implorat Orangius patrocinium Germanorum Principum:

Addidit preces Orangius ad Maximilianum Cæsarem, eiusque, & Principum Germaniæ patrocinium implorauit, vt illorum authoritate componeretur cum Albano controuersia: nisi fortè id agebat, vt per speciem rei componendæ, suspicionem armorum, quæ iam parabat,

qui pro reis agit cum Albano:

Hispanis adimeret. Nec Cæsar, aut Imperij Principes abnuêre Belgarum patrocinium. Sed Albanus, & Maximiliani litteris, & legato Bauariæ Ducis, (quem aliqui Germani Dynastæ vt Regi gratum delegerant) non suo, sed Regis hæc fieri mandato respondit.

frustra.

statimque festinatâ causâ, expectato tamen quem præscripserat dierum numero, quum intra eos dies nemo se sisteret, Albanus pro

Pronunciat Albanus sententiã.

ea, quam Rex in illum transtulerat ad huiusmodi quæstiones, vicaria potestate, Orangium, Ludouicum fratrem, ac reliquos edicto compellatos, Maiestatis reos pronunciat, adiudicatis fisco eorum bonis. Simul Bredæ, Orangij oppido imponit Hispanum præsi-

Mittit Orangij filium in Hispaniam:

dium: simul eius filium Philippum Gulielmum tredecim annos natum è Louaniensi Academia, in qua litteris operam dabat, in Hispaniam mittit: vbi per occasionem catholicæ educationis, nomen obsidis occultaretur. Id, quod impotentiùs accepisse Orangius visus

Educator fuit Ambrosius Morales nob. theol. ac philos.

Execrante id Patre.

est: execratus assiduis vulgò querimonijs immanitatem erga tredecennem filium, quem neque ætatis innocentia, neque implorata Louaniensis gymnasij priuilegia ab iniuria texissent. Quum tamen plures haud dubiè sentirent, gratam fuisse homini præcallido, om-

Ipse in Apolog. anno 1581.

sed in speciem.

niaque proprio ex vsu metienti, captiuitatem filij apud Regem: nempe, vt si res Hispana superior foret, eòque suis ipse dominijs exueretur, esset in quem Hispaniæ moribus innutritum suam Rex clementiam ostentaret. Nam si secus, vti sperabat, eueniret, adesse sibi minorem natu Mauritium paternæ fortunæ comitem, & bono-

Damnat ex eodem concilio quamplures alios.

rum heredem. Ex eodem concilio duodecimuirali, criminis eiusdem rei quamplurimi damnantur, quos Albanus emissis per prouincias Quæsitoribus compererat aut templa, & sacras imagines violasse: aut conciones, consistoria, turbulentosque cœtus habuisse: aut in Regem siue obscuris symbolis, & Gheusiorum nominibus, siue indutis palàm armis coniurasse: aut demum ijs operam, consilium, vires præstitisse. Quæ tamen intempestiuè parari in populum, prudentiores differebant. Quin potiùs, dum plectebantur capita, blandè corpus haberi, & consopiri debuisse: ne, si se commoueret,

agi-

1568 agitatione sui facilè ictus à capite declinaretur. Eodem impetu funditus excindi Albanus iubet Culemburgij Comitis ædes, Gheusij quondam nominis natalem domum: excitatâque ibi marmoreâ columnâ, addidit in basi, & quidem quatuor linguarum, monumentum, *Ea in area ædes Florentij Pallantij solo æquatas esse, ob execrandam memoriam repetitæ in illa coniurationis aduersùs Religionem, Ecclesiam Catholicam Romanam, Regiam Maiestatem, ac patrias Regiones.* Ad hæc terrorem paulo antè addiderant nuncij ab Hispania, Carolum Regis filium à patre custodiri iussum: simulque Florentium Momorantium Montinij Dominum, quem allegatum à Margarita in Hispaniam suprà narrauimus, in Segouianum carcerem imperio Regis abductum. Credebaturque, huic eadem, quæ Hornano fratri, obiecta esse: illi autem Belgarum patrocinium plurimùm obfuisse. Et de iudicio quidem Montij post annum capite damnati dubitatum non est: Caroli verò mortis, quæ hoc anno contigit, causa, quanto incertior atque obscurior, tanto auidiùs contumaciùsque à scriptoribus inuestigata: INSITA hominum plerisque libidine, abdita rimandi, obuia prætereundi. Ego, quæ mei operis in Caroli causâ reperi, iure persequar sine cura reliquorum.

Diruit Culemburgij domum.

Nouus terror ab Hispania.

Ob Caroli Principis infortunium.

Montin.

Carol. Pr.

& Montinij necem.

DE CAROLO Hispaniarum Principe.

FEROX, ac violentum Carolo ingenium fuit. Idque statim à pueritia obseruatum: quum oblatos interdum ex venatione lepusculos sua iugularet ipse manu: eorumque aspectu palpitantium, expirantiumque frueretur. Quod à Veneto Legato fuisse animaduersum, factamque inde coniecturam indolis videlicet inclementis non minus quàm de puero eruente oculos coturnîcum iudicauere olim Areopagitæ; in commentatione legi rerum Hispanarum ab eodem Legato ad Senatum missa. Nec verò vanos ipse coniectores ostendebat in dies trucibus vastisque moribus, ac mente non vsquequaque sui compote: vt multa de eo scribens ad Card. Alexandrinum Nuncius Apostolicus Archiepiscopus Rossanus affirmat. Et auxerat puero libertatem Philippi patris absentia: simul indulgentia Maximiliani Boemiæ Regis, qui cum coniuge Maria Caroli Quinti Filia, pro Philippo Hispaniam moderabatur. Idque persensit auus Carolus Imp., quum è Belgio, abdicatis regnis, in Hispaniam reuersus, inspecto nepotis (erat tunc annorum vndecim) ingenio, atque educatione, vehementer indoluit. At verò Philippus, multis nequidquam in ea cura pertentatis, hoc quoque adiecit; vt Carolum cum Ioanne Austriaco, & Alexandro Farnesio, Complutum mitteret: si fortè in illa Academiæ celebritate, vt corpus cæli mutatione, sic animus noua hominum consuetudine conualesceret. Sed Carolus ALIBI magis, quàm alius fuit. mentisque morbum locus non curauit, casus nonnihil auxit. Nam è scalis altè prolapsus, læso non leuiter cerebro,

Indoles eius.

Deque ea quid coniectum sit.

Quintil. 5.6.9.

I.B Castaneus postea Vrbanus VII. 4 Feb.

Aloys Cabr in Phil 2 l. 2. 6 & 8 et Adriā. l. 19. & 20. hist.

Educatio:

nō probata Imp. Carolo.

Aloy. Cabr. in Phil. 2. l. 6.

Complutū mittitur.

Alcalà.

1562. *morti proximus.*

mox etiam vitâ à medicis deploratâ, propè erat vt deponeretur; quum allato in morientis cubiculum B. Didaci corpore, vouente Philippo, qui Mantuâ illuc aduolarat, enixè acturum se cum Romano Pontifice; vt eius oraculo Sanctorum cultus Didaco liberatori decerneretur; repentè præter omnium opinionem vitæ restitutus est. Sed non ideo mores mutauit inconstans animi adolescens, patrique per omnia dissimilis. Quo fiebat, vt & Philippus prædurius illum acciperet, & Carolus nihil haberet patris aspectu molestius. Creuitque cum ætate dissidium, quum offensus quotidie magis, diffisusque eius moribus Rex, coniugium filiæ Maximiliani Cæsaris Carolo destinatæ sine fine differret: eumque ab rerum cura publicarum procul haberet, eo nimirum tempore, quo Carolus permodestè sese agere putabat, si duorum & viginti annorum iuuenis expectaret imperium. Hinc odium eius in familiares & continuos patris, à quibus obseruari se, referrique ad Regem omnia, atque eorum consilio differri nuptias, seque arceri à regnorum cura suspectabat, atque interdum etiam minaciter obijciebat. Hinc quoque patrocinium studiumque in illos, quos patri offensos electosque sciret: in Belgas præcipuè, quorum Legatos Marchionem Bergensem, atque Montinium sollicitè complexus clàm euocare ad se, tuerique illorum causam ferebatur ardentiùs, quàm par erat: pollicitus ijs, iturum sese in Belgium ad componendos prouinciarum motus. Neque dissimile vero crediderim, illam Margaritæ Gubernatricis querelam, qua complures litteras ab se grauissimis de rebus ad Regem scriptas, dolebat ab Hispania in Belgium redijsse in eorum manus, contra quos scriptæ fuerant; ex hac Principis, & Belgarum, qui in aula tunc agebant, familiaritate originem habuisse. Certè quum Albanus ex aula in Belgium discessurus Caroli manum osculatum isset, attinuit illum minaci aspectu Princeps, negauitque alium præter se illuc abiturum. Quumque Albanus, à parente præmitti se diceret, vt Belgarum componeret turbas, in quas dare se filium Regis, vnicum Imperij heredem, haud tutum esse; irâ incensus, prompto pugione, Ego verò, inquir, hîc te antè confodiam: vixque ictum declinauit Albanus, quum iterum peti se à furente iuuene conspiciens, arctè illum complexus per speciem supplicantis, vt à vi abstineret erga veterem fidumque famulum; quantum poterat, ferocem, ac iuuentâ præualidum coërcebat: donec luctantium strepitu exaudito, accurrentibus, qui ad velum præstò erant, Carolus in secretiora domus abscessit. Ex eoque tempore decreuit in Belgium proficisci, parente vel inuito, atque inde ad Sponsam in Germaniam. Reque cum Ioanne Austriaco patruo, ac duobus alijs communicata, vt se comitarentur, orauit. Austriacus, quum omnia

Marginal notes (left):

B. Didaci ope conualescit.

Dissimilitudo eius, & Patris, & auersio mutua.

ob hæc potissimum duo.

Odium in familiares patris.

Patrocinium Belgarum ardentius (?) quam oportuit.

Propositum abeundi in Belgium.

Conatus retinendi Albanum Ducem ab expeditione Belgica.

Abeundi propositum aperit Ioanni Austriaco

Marginal notes (right):

1568

Madrid.

Ex lit. Castan. Nunc. Apost. ad Card. Alex. 30. Apr.

Ex lit. eiusdem ad eundem 4. Feb.

vid. an. 66.

Ex eiusdem lit. ad eundem 30. Apr. Marchio Pescara, & Dux Med. Riesseos (?)

1568 nia difficultatibus impedita, atque inexplicabiles exitus ostendens, nihil persuaderet: obseruaretque, Principem pertinaci animo in id incumbere; ratus haud dubiè patrem ab alijs resciturum, quæ præceps inconsultusque iuuenis agitaret, occupauit ipse Regis gratiam promereri: præsertim veritus, ne silendo, fugæ particeps haberetur. Rex collaudata Ioannis Austriaci fide, compertoque dein ex aliorum indicijs filij consilio: ac postremo à Raymundo de Tassis, regio tabellariorum Præfecto, admonitus festinationis, qua Carolus equos poposcerat ad longinquum iter celeriter commutandos; in summa animi fluctuatione, per omnia vrbis templa preces ac supplicia imperauit: simul consilium aliquorum insignium doctrinâ virorum, quibus vti consueuerat, exquisiuit. Et Martini quidem ab Azpilcueta Nauarri Doctoris sententia (hanc enim tantummodo vidi ex omnibus) hæc summatim fuit. Non posse ab Rege, absque graui animæ noxa, negligi salutem regni: negligi autem, Carolo abire permisso. qui procul, eòque confidenter apertèque diffidens à Patre regnum in studia partesque distracturus esset, non minus quàm Carolo Septimo Galliæ Regi contigit, ex Ludouici filij dissidio, atque ad Burgundos fugâ. Sed patris dubitationem exêmit filij festinatio, quem postridie discessurum Regi properè aperuit Raymundus. Ergo Rex non vltrà deliberandum ratus, Eboltano Principe, ac Feriano Duce, alijsque duobus comitatus, filij conclaue profunda nocte dormientis ingreditur: ereptoque, qui sub puluino latebat, gladio, surgere illum confestim iubet: increpitumque, quòd patrem lenibus frustratum toties remedijs, ad asperiora sed filio opportuna compulerit; scrinijs apertis, ac libellis inde subtractis, remotoque consueto aulicorum ministerio; custodiendum certis ab se traditis hominibus relinquit. Qua in custodia infelix Princeps, qui se paulo antè perpetuâ Procerum vbique apparentium, certatimque adornantium coronâ cinctum viderat: tunc à paucis, iisque inuisis, ac verba, nutus, propemodum & cogitata obseruantibus circumseptus; post menses omnino sex, quum nullis aut Europæ Principum legationibus, aut Hispaniæ regnorum precibus placaretur immotus pater; ex morbo ob alimenta partim obstinatè recusata, partim intemperanter adgesta, nimiamque niuium refrigerationem, super animi ægritudinem, (si modò vis abfuit) in Diui Iacobi peruigilio extinctus est. Quarto ante obitum die, quum animæ æquè ac corporis curationem ab aliquo iam tempore respuisset, mutata diuinitus mente, Confessarium sponte accersijt, expiatisque magno doloris sensu animæ noxis, ac misso qui erratorum veniam flagitaret à patre, sacrum manu cereum tenens decessit è vita. Scio hæc, vti enarrata sunt à me, non placitura ijs, qui atrociora quæque auidè arripiunt, sine vllo veri falsiue respectu.

Margin notes:

qui primùm dissuadet; *deinde Regi rem detegit.* *Rex à Deo auxilium,* *& à sapientibus viris consilium expostit super filio.*

1456. Paul. Aem. in Car. 7. & Arant in Phil. Bono. 18. Ian.

Quem manè discessurum noctu occupat.

Ruigomez. Eb. Pr. Gomes. Figueroa Dux Fer. Ant. Tolet. Prior Legioni. & Aloy. Quijsada.

& domi custodiendum sistit. *Eius infelicitas,* *& mors,*

Ex lit. Castan. Nunc. Ap. ad Car. Alex. 27. Iul. Didacus de Chiaues.

piè obita.

Cauſæ, quæ ſuper cuſtodia & morte Caroli in ſpeciem afferri poſſunt. Maurorum tumultus in Hiſpania: Belgarum factio adiuta:

Quorum ſi palato ſeruire curæ mihi foret: in promptu erat Maurorum tumultus, tamquam excitatus hoc ipſo tempore fuiſſet à Carolo, ſollicitato ob eam cauſam Selimo Turcarum Imperatore per Micheſium Iudæum ex Hiſpania profugum, vt olim narrare memini. Mouerem ad hæc ſuſpicionem adiutæ à Carolo coniuratorum factionis in Belgio: eamque occaſionem interpretarer fuiſſe arreptam ab hæreticis, in Hiſpaniam deſtinandi multa libellorum millia ex Caluinianis Catechiſmis Hiſpanicè conſcriptis: de quibus admonitum à Gubernatrice Margarita Philippum Regem ſuprà memoraui: & Lugduni, Toloſæque repertas eſſe aliquot illorum arcas, ſcripſit ad eundem Regem Pius Quintus. Nec omitterem Iſabellæ Philippi coniugis mortem, paucis inde menſibus poſt Caroli obitum ſecutam: quaſi nimia familiaritas inter eos (nam Carolo deſignata vxor antea fuerat Iſabella) vtrique fatum accerſierit. Denique agitatum à Carolo de Parentis nece, ſiue ob regni cupidinem, ſiue ob Regis odium, docerem ex ipſo, qui tunc adeò percrebuit, vulgi rumore, vt in Belgio Ouidianum illud ad hanc rem vſurparunt, ſciam, authore, vt aiunt, Opmero;

1568. An. 1566. in fine. An. 1566. Lione. Ant. Gabut. in vita Pij l. 3. c. 3.

Nouercæ, & priuigni nimia familiaritas; Regis mors agitata.

Franc. Arans Annal.

fILIVs ante DIeM patrIos InqVIrIt In annos; *l. 1. Metã.*

quo & Caroli facinus, & mortis eius annum, litteris numerorum loco poſitis exprimerent. *MDLXVIII.* Sed hæc, vti arcana atque inacceſſa, facilè ijs egò ſcriptoribus reliquerim, qui per eiuſmodi oraculorum interpretationes, acuti diuinique famam aucupantur. Mihi, ſuper id quòd incomperta ſunt, etiam veris diſſimilia videntur. Namque, vt omittam illud de Caroli amoribus, ad quos diſtrahendos, ſi qui fuiſſent, non vtique diſtuliſſet Rex filij nuptias cum Germana; ſi moliri aliquid aduersùs Patrem Carolo inſediſſet in mente, profectò aut ipſe quotidie per ſe, ſuaque manu conficere potuiſſet, iuuenis videlicet firmatuſque animo contra imparatum, ac ſenem: aut ſi tumultu excitato, adſcitáque aliorum operâ decreuiſſet vti, multorum haud dubiè manibus eguiſſet. cadente igitur Carolo, non ſtetiſſent, opinor, reliqui: quum tamen Principis mortem nullius exitium conſecutum ſit. Quin Rex ipſe ad minuendam ex filij tum cuſtodia, tum morte inuidiam, qua tunc laborauit apud multos, præſertim apud Mariam Auguſtam Caroli amitam, quæ filiam libentiſſimè deſponderat tot regnorum heredi; nonnè tam ſeueræ animaduerſionis cauſam in ſcelerata filij conſilia retuliſſet? Et tamen ad eandem Imperatricem ſcribens, negat filium vllius ſceleris compertum, ſed ob ipſius, certè ob regni bonum cuſtodiri debuiſſe. Et paucis poſt filij cuſtodiam diebus miſſo ad Archiepiſcopum Roſſanum Pontificis Nuncium, Concilij Caſtellani Præſide, ſuo Rex nomine illum edocuit, Nouitatis

Iacterea tamen hæ cauſæ. aut potius falſæ.

Philippus de filij cuſtodia quid ſcripſerit: 21. Ian. Didac. Card. Spinoſa.

1568 24. Ian. — *& quid referri.*

Idem Nūc. Apost. ad eundem Card. 27. Ian. — *& scribi voluerit.*

Carolus V. Imp. & Carol. Princeps Hisp. — *Belgarum timor.* — *Coniuratio in Albanum.*

tatis eius causam non esse aliam, (vt Nuncius ipse ad Cardinalem Alexandrinum scribit, Præsidis verba referens) quàm quòd Religionis populorumque conseruationem sanguini suo præhabere voluerit: coactumque propterea se, filium sibi vnicum ea ratione propemodum sacrificare; ne, quibus affluebat à Deo, beneficijs nimis quàm ingratè responderet. Immo addi Rex postea iussit in litteris ad Principes, ac Regna: Rumorem alicunde increscentem, Carolum filium agitasse aliquid in Regis caput, ex vano ac falso esse. Sed fuerit hoc duobus Carolis, auo, & nepoti proprium: alterum in deponendo, in amittendo alterum Imperio, scriptorum ingenia fatigasse. Ergo externo, domesticoque rigore pariter exterriti Nobiles, populusque Belgarum, vt quisque culpæ propior, fugam latè capessere, pauci sperare veniam, plures vim ac vindictam cogitare. parumque abfuit, quin Albanus ipse ad Monasterium Vallis viridis, religionis causà proficiscens, structis per siluas insidijs, caperetur à Risorio Nohotio: mox in ipso monasterio à Carloio Risorij fratre, monachi vestem quasi ob Albani metum induto, necaretur.

EXPEDITIO prima Orãgij ex Germania in Belgium. — *Premittũtur qui bellũ inferant.* — *Ex Iuliacẽsi territorio:* — *ex Artesia.* — *ex Frisia.* — *Sed vincuntur primi ab Auila,* — *Secundi à Cossæo Tribuno.* — *beneficio regis Caroli.* — *PVGNA Arembergij. & Lud. Nass.*

AT VERO Princeps Orangius hostem iam professus, aditis Germaniæ Principibus, ac partim religionis, partim propinquitatis gratià ad arma concitatis, præter Belgas, & Gallos; ita rem composuerat, vt tripartitò prouincias inuaderent. Ex Iuliacensi agro transmitterent Mosam Nohotij fratres, Duius, Villersius, alijque, Ductore Hochstratano. Francisco Cocqueuillio, qui aliquot signa ex finitima Gallia ad exules Belgas adiunxerat, Artesia attributa est: Frisia Ludouico, atque Adulpho Principis Orangij fratribus cum Iusto Schouuemburgio commissa. Ipse post hæc principia, valido cum exercitu secuturus, Brabantiam rerum caput sibi delegit: magna multorum spe, breuì Albanum, Hispanosque è Belgio eiectum iri. Sed Hochstratani copiæ à Sanctio Auila trans Mosam reiectæ primùm, commissoque dein prælio cæsæ, Villersio, ac Duio captis. Cocqueuillij exercitus, in quem Albani rogatu Cossæum equitum Tribunum immiserat Carolus Galliæ Rex; intra oppidum Sancti Valerij compulsus expugnatusque, ac Duces Lutetiam traducti, gladioque percussi. Sic & ab Rege Carolo reddita est Albano Duci gratia, ob Arembergium cum auxiliaribus copijs missum in Galliam: & conceptum Baionæ fœdus vtrinque religiosè habebatur. Longè tamen aliter in Frisia cœpta res est. Intrauerat eam prouinciam Ludouicus Nassauius, cum Adulpho fratre, alijsque Ducibus:
Dam ac Dammo oppido, vicisque aliquot occupatis, consederat prope sinum Dullartum: quem olim sinum memorabili clade, tribus ac triginta pagis simul haustis, effecerat mare. Huc, ne progrederetur, oc-
1277.

cur-

Arembergij copiæ. currerat Frisiæ Præfectus Arembergius cum Sardoa Hispanaq; Consalui Bracamontij legione, suoque cum agmine Germanorum: quibus addiderat aliquot vexilla Hannoniæ, atque Artesiæ nobilitatis, reducta per id tempus ex Gallia. Et primæ quidem velitationes *Initio victrices.* feliciter obuenerant: animatique in primis Hispani ad Dammi conspectum, (ex quo ante annos triginta Geldrum eiecerat insigni relata victoria Cæsarianus exercitus) *Carol. Dux Geldr. Ductore Schenkio.* oppidum pari fortitudine recuperant, fugatis Nassauianis. Quos postera die assecutus Arembergius, *Locus certaminis.* exercitum continuit prope Vuinschotum, & Hilligerlæum cœnobium: gnarus latere inibi cœcos passim hiatus, leui solo foras obductos, intus aquis restagnantibus fallaces. Ideoque quoniam & loco, & equitatu erat inferior, leuibus prælijs contentus, oblatam à *Cunctatur Arembergius,* Ludouico Nassauio vniuersi exercitus pugnam sedulò differebat, dum Comitis Megani copiæ, cum Martinenghi equitatu, quæ Groningæ *Com. Curtius Martinenghus* substiterant, aduenirent. Sed ob eam moram quum Arem- *Carpitur ab Hispanis.* bergius tamquam cum Nassauio tacitè colluderet, palàm carperetur ab Hispanis pugnæ cupidis; impar inuidiæ Dux, testatus omnia in discrimen ea festinatione dari, salutem rumori posthabuit. Eductoque milite, aut veriùs militem secutus, paludibus quantum licuit euitatis, sed insidijs à Ludouico sub imo colle dispositis tan- *Pugnat.* tundem admotus, aciem instruit, pugnam capessit: ac certus aliquo documento redarguere obtrectatorum voces, conspicatus Adulphum Nassauium strenuè redintegrantem ex aduerso prælium, quanta vi potest, in eum vadit. Et quamquam pilâ exceptus, inde tamen ferocior, sclopeto primùm, stricto dein ferro, Adulphum *Adulphũ Nass. interficit.* traijcit: simul ipse infestis ab Adulpho vulneribus petitus, (renouato Bruti ac Tarquinij Aruntis exemplo) confosso priùs equo, exani- *& ipse interficitur ab Adulpho.* mis concidit, Adulphoque non procul expirante, commoritur. *Exlit. Mic. Barbasonij ad Marg. Parmensem 30. Maij. et Mart. Delr. lib. 1. Alt. Belg. Tit. Liu. l. 2.* Reliquus Arembergij exercitus dum locorum ignarus in insidias sese induit, à Nassauianis circumuentus, ac magnam partem aut cæ- *Exercitus Hisp. cæsus.* sus, aut saucius, intempestiuæ fortitudinis pœnas dedit. Et quamquam flos ibi cecidit Hispanæ legationis, septem eius Signiferis, quinque Centurionibus interemptis: ac præterea sex Groningensibus tormentis, quibus nomen à primis Musices elementis indiderant, ac mul- *Vt, Re, Mi, Fa, Sol, La.* to ære ad stipendia militum amissis; vnius Ioannis Arembergij, quàm *Elogium Arembergij.* reliquorum omnium, iactura maior fuit. Erat is familia Ligna, Barbansonij Dominus antè appellatus, quàm in Comitis Arembergij nomen ex dote germanæ vxoris immigraret. belli, si quisquam alius, fideique præclarus: eòque donatus aurei Velleris torque à Carolo Imperatore, atque à Philippo filio Frisiæ, Transiselaniæque prouincijs impositus, ac postremùm à Maximiliano Cæsare inter Imperij Principes adlectus. Ducis tamen constantiam, quam ille semper in

bello


Pugna ad Hiligerlæum,
A Hiligerlæum Monasterium.
B Vuinschotum pagus..
C. Lud. Com Nassauius Orangij frater exercitum mouens.
D. Hispani sub Comite Arembergio.
E. Nassauiani.
F. Com. Arembergius, et Adulphus Com. Nassauius mutuis ictibus se se confodientes
G. Insidiæ a Nassauio positæ, erumpentes ad pugnam.
B
N
K
K
D
H
L
F
G
G


Albano Gubernatore 1568.
H Clades Arembergianorum.
I Lud. Nassauius trahens equites ad includendos hostes.
K Fuga Arembergianorum.
L Lud Nassauius ad fugam hostium intercludendam equitatum circumducens.
M Equites Nassauiani properantes ad relicta tormenta capienda.
N Groningensia Hispanorum tormenta.
A
C
D
E
I
M

1568 bello tenuerat, in supremo hoc certamine, conuiciorum impatiens amisit. Quæque causa pacis ante hanc pugnam mensibus Momorantium Galliæ Comestabilem, virum summis parem, exitio dedit: scilicet ne videretur, vti aiebant, affini Condæo, cognatisque Colinijs parcere; eadem Arembergium periculi certum, ne fidei dubius haberetur, animosius quàm prudentiùs in certamen ac mortem extraxit. Scio id à non nemine aliter enarrari, atque infelicis exitum pugnæ Arembergio tribui: qui siue contemptu hostium ex pridiana velitatione concepto, siue cupidine gloriæ, quam cum Megano communicatam nollet, fatum sibi, atque exercitui properauerit: sicuti & vulgo scriptum esse, mortem eius non manu Adulphi Comitis, sed gregarij militis contigisse. Sed ego præsentes pugnæ authores secutus sum. Illos autem facilè falsos arguerim, qui scribunt, paucis interiectis diebus, dum Nassauiani victores à Groningensi obsidione submouentur, sclopo ictum obijsse Comitem Meganum. qui tamen annos ab hac pugna ferè quatuor, Albani iussu, Frisiam gubernauit, Arembergij extincti loco. legiturque Caroli Brimæi Comitis Megani nomen in votiuo monumento, quod ipso Frisiam moderante positum est Leouardiæ, post enormem illam anni septuagesimi primi supra sesquimillesimum, aquarum eluuionem: ac non ante sequentem annum ab ea exundatione, sexto Idus Ian. Suollæ, vt Frisiorum annalibus consignatum reperio, Carolus Brimæus occubuit, vir belli sanè sciens, & consiliorum opportunitate Gubernatrici Margaritæ apprime carus.

Mors eius aliter ab alijs dicta.

Megani mors nô hoc tempore.

Thuan. l. 41. & alij.

An. 1572. 8. Ian.

Sed quatuor post annos contigit.

Pierius Vinsemius l. 2. hist. Frisia.

HÆC porrò Arembergiana clades non magis extulit Orangij, ac Fœderatorum animos, quàm stimulauit Albanum Ducem, vt festinaret ipse in Frisiam cum exercitu, Ludouici conatum, antequam cum Orangio consociaret copias, impediturus. Sed veritus, ne per absentiam suam tumultus cieretur aliquis, captiuorum Nobilium causâ, eo se metu liberare statuit: irâ præsertim accensus ob Arembergij cladem, irritatusque prætereà, quòd inaudiisset, à Ludouico Hispanos quamplurimos suspendio necatos ob dolorem ex Adulphi nece. Et quamuis amicorum nonnulli, quibus haud perinde probabatur Albani consilium, persuadere homini adniterentur; Frustra timeri Belgarum tumultum, à quibus ipse haberet securitatis obsides, dum captiuos haberet. Neque enim magis verendum, ne Belgæ, studio in reos Dynastas, vi attentarent illorum libertatem: quàm sperandum ob eandem beneuolentiam nihil eos moturos, ne populari culpâ priuatam Procerum causam prægrauarent. His tamen Albanus facilè contemptis, quippe à diuturna rerum experientia suspicax, & suopte ingenio ab aliorum consilijs, si vltro præsertim offerrentur, auersus, ac sidus planè retrogradum, ipsis

SVPPLICIA Nobilium ab Albano.

Dissuadent illi amici.

Ipse nô mouetur

Plectit primùm nouemdecim. ipsis Calendis Iunijs, vndeuiginti ex Nobilibus coniuratis, Duode- 1568 *1. Iun.*
cimuirali iudicio, perduellionis damnatos, Bruxellis in foro arenario, capite plecti iubet. Octo ex his catholicè religioséque, reliqui vndecim, vt erant hæresim complexi pertinaciter obiere: eòque illorum cadauera humo contecta, horum verò (præter quatuor primariæ nobilitatis) stipitibus alligata superaffixis capitibus, per
Deinde alios: agros relicta. Idque secutis quoque diebus seruatum est. Namque postridie, eodem in loco, eodemque supplicio Nobiles quatuor damnati. *Risorius, Carloius, Duius, Vilersius.* Ex quibus Vilersius, ac Duius, qui nuper in Iuliacensi prælio Duces capti fuerant, etsi pari vterque, hoc est integra religione, non pari tamen sensu decessere. Vilersius enim palàm testatus est, se quidem ob benefacta ab Albano damnatum, sed illum non diu vindictâ cariturum. Contrà verò Duius, actis Regi Albanoque pro eo fine gratijs, populum orauit, sibi vt ignoscerent, ac diuinam tunc maximè clementiam precibus conciliarent. Ad hæc,
& alios. Viluordiæ, vbi Antonius Stralius Antuerpiæ nuper Consul, Casembrotius Egmontij aulicus à secretis, alijque eandem ob causam attinebantur, consimili per eos dies pœna finiere. Præfuitque horum supplicijs pro Albano Ioannes Spellius, celebris ea tempestate per Belgium Quæsitor capitalium causarum. *Io. Granuls Speel, preuost de cāpagna, à Drossart rural.* quem paulo pòst multorum criminum reum, Albani iussu in furcas actum, magna Belgium gratulatione spectauit. Verùm hisce supplicijs proludebatur duorum Comitum neci, qui supremum funestissimæ tragœdiæ actum, magno hominum terrore, & maiori (quod author nollet) indigna-
Pro Egmontio, & Hornano multorum preces. tione complerent. Nouem iam menses in arce Gandauensi custodiebantur Egmontius, atque Hornanus. Quo tempore apud Albanum, Regem, Cæsarem, Septemuiros Augustales, omnes vbique locorum aurei Velleris Collegas, (quibus videlicet inconsultis damnari posse neminem eius ordinis asseuerabant) nulla pro reis prætermissa comperio officiorum genera: præsertim ab Hornani sorore *Maria Petri Ern. Com. Mansfeldij coniunx.* Maria Momorantia, atque à Sabina Palatina Bauarica Egmontij
ac Sabina in primis pro marito Egmontio. Supplex eius libellus. coniuge. Et huius quidem libellus per Octauium, & Margaritam Parmæ Duces in Hispaniam transmissus, haud facilè sine commiseratione legi à quoquam potest: *1. Octob.* dum aut iura Regi commemorat in causis sodalium aurei Velleris seruari solita, adnotatis legum capitibus, promptis exemplis: aut dum eidem reuocat in memoriam labores singulos, quos vir eius annos nondum octodecim natus pro Carolo Imperatore, ipsoque Philippo Rege, in Algerianis, Geldricis, Gallicis expeditionibus, ac bellis, contempta toties morte pertulisset: aut postremò dum clementiam Principis obtestatur, ne velit infelicem matrem cum vndecim innocentibus liberis, tanta cum iactura, atque dedecore, miserum diuturnumque per omnes gentes

exem-

1568 exemplum circumferri humanæ calamitatis. Sed non ideo minus interea quæstionibus insistebat Regius Procurator, ex eo nouem mensium spatio, menses quatuor conficiendæ accusationi accipiens sibi, quinque concedens ad defensionem reis. Hæc porrò acta si, vti apud me sunt ingenti explicata volumine, hic ego per otium referrem; non dubito quin auidis talium in loco satisfacerem. Sed satius sit, indicatâ quampaucissimis eorum summâ, historiæ dignitati, ac lectoris festinationi iuxtà consulere. Obiectum est Comitibus Egmontio atque Hornano, voluisse illos cum Orangio alijsque Nobilibus, excusso Rege à Belgij dominatu, prouincias inter se partiri. Eò spectasse conatum eijciendi Granuellani Cardinalis, qui eorum consilia introspexisset: nec vnquam aut Cucullorum, aut Sagittarum symbolis conspirationem vtique indicantibus cessatum, donec Regem coëgerint, Cardinalem è Belgio reuocare. Fœderis non modo conscios fuisse, sed etiam ab Egmontio Casembrotium à secretis intimum, qui ei aperuerat, se nomem fœderi dedisse, domo non eiectum, immo ad omnia, vti solebat, adhibitum. Hornanum verò, quum misso à Gubernatrice ductori militum Beaüorio ad expellendum Tornaco Vlersium aliosque coniuratos, fauere debuisset, vti loci Gubernator; de illo vrbe eijciendo cum Magistratu consultasse. Fœderatis, consistorialibus, mercatoribusque patronos sese ambos præstitisse, pollicitos ijs operam vitamque suam. Teneramundæ cum Orangio, Ludouico eius fratre, Comite Hochstratano, & paucis aliquot Fœderatis, de intercludendo Regi aditu in Belgium agitasse, ac sæpe huiusmodi conuentibus interfuisse. Gheusijs templorum populatoribus, à Flandria Egmontij prouincia Iconomachiam exorsis, non obstitisse: Hornanum, eorum aliquos, ac præcipuum inter incendiarios Ferdinandum Martinum violatæ Religionis causâ non semel custoditum, è Tornacensi carcere abire permisisse. Magistratibus ciuitatum, quarum ipsi Gubernatores essent, opem in sacrorum violatores efflagitantibus, eos non tulisse: mandata Gubernatricis aduersùs hæreticos, contra ipsius Gubernatricis mentem hæreticis explicuisse: templa eisdem ad conciones concessisse: aliaque (hæc sanè perplurima numerabantur) contraria hominibus, qui prouinciarum Præfecti, Senatorum intimi, Velleris aurei sodales, subditique Hispano Regi forent, admisisse. Ob quæ legitime obiecta probataque, iure in Egmontium Hornanumque, (conficiebat Procurator) vt in Maiestatis reos, pronunciandam esse sententiam, eosque fortunis, & capite plectendos. Ad hæc autem Egmontius, atque Hornanus (siquidem par erat ferme amborum causa) præfati, nolle sibi fraudi esse, si ipsi, qui legitimum ordinis aurei Velleris iudicem tantummodo

Non desistit regius Procurator.

Obijcit hæc vtrisque, inter alia quamplurima.

Ex quibus animaduertendum in eos conficit Procurator.

Respondent illi ad singula.

Regem haberent cum eiusdem collegij sodalibus; redderent alijs 1568
rationem sui; ita seorsim respondere, vt pleraque ab se facta pernegarent: multa interpretarentur: aliqua non abnuerent, sed iure patrata confirmarent. Agitatum à se de mutando Principe, constanter inficiati sunt: Hornanus etiam querimonias super eo addidit, veluti offensus. De intercludendo Hispanis aditum in Belgium, non negauit Egmontius in Teneramundano congressu dictum aliquid fuisse à Ludouico Nassauio, dissentientibus tamen ceteris: ideoque de colloquio, in quo definitum nil fuerit, non habuisse, quid gubernatricem admoneret. Cum fœderatis Nobilibus quatenus egerint, explicarunt. Nempe coniuratis, iconomachis, hæreticis à se aliqua permissa, sed necessitate ac bono Religionis: quam in Flandria (*Egmontij pronuncia.*) quidem non pauciores sexaginta hominum millibus, qui conciones armati adibant, absque dubio extinxissent, nisi eis aliquid indultum esset, quo templa catholicis erepta restituerent, vti factum est. Nec minore necessitate Tornaci, atque in Tornacesio condonatum fuisse aliquid superanti per ea loca hæreticorum multitudini. In (*Hornani pronuncia.*) Cardinalem iure se commotos, vti prouinciarum regimini perniciosum. Casembrotium in familia retentum ob partes contra sacrilegos ab eo susceptas. Beauorio non eguisse Tornacum satis tunc quidem compositum, ideoque de illo Flandris præsertim rogantibus tribuendo consultatum. Sic per alia accusationis capita (namque omnia vel cursim delibare infinitum foret, siquidem vnius Hornani causa sexaginta capitum erat) eo, quo obiecta fuerant, ordine, sigillatim partitèque ipsi percurrerunt. In quibus quantum crimina eluerint purgauerintque, mihi certò definire promptum non est. Scio equidem nonnulla ex ijs à Margarita Gubernatrice (*Aliqua ex his etiam Gubernatrix illis obiecerat.*) vtrique obiecta apud Regem: immo consilium illud partiendi Regias prouincias video etiam Osnaburgi Episcopo in Vestphalia (*20. Aug. 1566.*) suboluisse, significatumque, ab eo Margaritæ per Cobellium eius consiliarium: idque aiebat, se multo ante à Comite Suarzemburgensi, Orangij Principis affini, atque à Georgio Hollio Tribuno Germano sub cenam exhilaratis audiuisse, quum Daniæ quoque Regem in ea partitione nominarent. Quod & Margarita compositis ad Regem litteris non omisit, vti nos in anno sexagesimo sexto (*28. Aug.*) memorauimus. Populus tamen siue ex odio in Albanum, siue in (*Populus innocentes habet.*) Egmontium amore iudicium ferens, reum absoluebat, culpamque omnem transferebat in Albanum inuidiæ retinentem aduersùs Egmontium, veterem belli æmulum. (*relata in Albanum culpa vti æmulum,*) offensúmque super hæc memorabant, quòd olim aleâ ludenti multa aureorum millia victor Egmontius abstulisset: (*& victum.*) ac postea in publica lætitia, dum vterque explodendo ad signum sclopo ex prouocatione contenderent, superatus

1568 tus esset Albanus, ingenti Belgarum plausu ad nationis suæ decus referentium victoriam ex Duce Hispano. Quæ quamquam aut vana, aut minora, vulgus tamen commiserationi pabula vndecumque congerebat. Neque ego alienum à vero crediderim, in hac reorum causa congestum plus inuidiæ in Albanum, quàm ipse commeruerit. Quin etiam viros sanè quam graues affirmasse legi, post allatam ab Hispania capitis sententiam, scripsisse Regi Albanum, in eius patratione supplicij tardiorem effici quotidie se, ob ea quæ inde secutura præuidebat: Regemque iratum Egmontio partim ob fidem, quam is in Hispania dederat, non seruatam, partim ob Margaritæ Gubernatricis iteratas de illo querimonias ad Regem, accedente Spinosæ Cardinalis, qui pleraque tunc moderabatur, impulsu, increpasse Albani moram, remque protinus confici, vt pridem mandauerat, imperasse. distulisse tamen Albanum tamdiu supplicium, dum Orangio Brabantiam inuadenti obuiàm ire coactus est. Hæc autem quamquam non perinde apud omnes fidem habitura, ego tamen à plurium in Albanum odio deterreri nequaquam debui, quin, vti acceperam, memorarem. Sicuti neque populari fauore in Egmontium præterire habeo, quod video ei à nonnullis crimini datum: nempe acceptâ illum pecuniâ dissimulasse in prouincijs suis aliqua, quæ homo militaris, nec magnopere expendens, quò traherent huiusmodi momenta Religionis, obfutura solido sacrorum rerum statui numquam existimauerit. Hanc tamen culpam, cuius ego vestigium nusquam viderim inter accusationis capita, in quibus nihil vtique per incuriam, aut clementiam prætermissum est; facilè mihi persuadeo, nullam fuisse. Vtcumque res fuerit, in Egmontium, atque Hornanum, Gandauo Bruxellas tertio Nonas Iunij aduectos, ab Albano Duodecimuirali concilij supremo, delegata sibi peculiari ab Rege facultate, quam in Torquatos equites exerceret, capitis sententia Regis nomine lata est: missusque Martinus Rithouius Iprensis Antistes, vltimæ necessitatis nuncius adiutorque. Et Egmontius quidem, etsi finem meritis suis longè imparem doluit, ingemuitque; composito tamen animo, vti fortem virum decnit, solùm de vxore filijsque sollicitus, hanc Philippo Regi epistolam exarauit: cuius ego exemplar Gallicâ scriptum linguâ (sic enim ille scripsit) ad Margaritam à Christophoro Assonuillio missum hic latinè reddo. *DOMINE, quando visum est tibi, addicendum esse morti humilem fidumque tibi subditum ac famulum; qui non aliò vnquam intendit animum ac vires, quàm in obsequium tui: pro quo, vti superiora testantur, nec labori aliquando, nec fortunis peperci meis, immo mille periculis obieci vitam ipsam: quam ego vitam numquam profectò tanti feci, vt si qua fortè in re* officere

Marginal notes: *apud Adrianum Stoperanum.* — *Albano quantâ culpa in hac causa.* — *vide an. 65.* — *An dissimularit aliqua Egmôtius acceptà pecunià.* — *Sententia capitis in Egmontiũ & Hornanum ab Albano dicta.* — *3. Iun.* — *Epistola Egmôtij ad Regē post acceptā sententiā.* — *5. Iul.*

officere amplitudini tuæ vel minimum posset; non eam libentissimè cum morte centies commutassem. Propterea non dubito, quin vbi exploratè cognoueris ea, quæ hîc sunt gesta, planè intellecturus sis, quanta mecum iniuria sit actum, dum tibi de me persuasere id, quod ne cogitauerim quidem. Cuius rei testem appello Deum, precorque, vt huic animæ ante faciem eius hodie sistendæ reddat, si quid omisi ex ijs, quæ Regi, prouinciisque debere me credidi. Oro itaque te, Domine, nihil vltrà oraturus, vt pro mercede laborum officiorumque meorum, commiseratio te capiat aliqua coniugis meæ, atque vndecim liberorum, famulorumque, quos paucis aliquot amicis commendatos relinquo. Id verò facturum te, pro tua innata clementia, mihi certò persuadens, vado mortem subiturus, quam excipio libentissimè, certus hoc meo fine multis satisfactum iri. Bruxellis, quinta Iunij, duabus à media nocte horis, anno millesimo quingentesimo sexagesimo octauo. Maiestatis tuæ humillimus, fidelissimusque atque obsequentissimus subditus, ac famulus mori paratus, Lamoralius Egmontius. 1568 Epistolâ Regi transmittendâ, Iprensi Episcopo traditâ, vitæque noxis apud eum confessione expiatis, noctis reliquum placando diuino Numini, firmandoque animo, Iprensi procurante, transegit: idemque præstitit, eodem Antistite, alijsque adiuuantibus, Hornanus. Manè, ipso peruigilio Pentecostes, conspectum est in foro, Iuliani Romeri legione obsesso, ferale pegma pullo instratum panno, ac duobus puluinis ante argenteam Christi patientis effigiem. Quo perductus sub meridiem Egmontius, comitantibus Iprensi, ac Romero, post aliquot pias preces, exutus per se damascenâ togâ, abiectoque pileo, ac paulum cum Iprensi collocutus, in genua procidit venerabundus ante Crucem, nocturnoque capitis tegumento ad oculos producto; à carnifice, qui sub pegmate latuerat, quemque olim famulum eius à pedibus fuisse ferunt, obtruncatus est. Secutus deinde Hornanus eâdem constantiâ ictum carnificis excepit. Vtriusque capita geminis præfixa pilis ferreis duas horas spectaculo fuere. Corpora statim auecta in vicina templa, ac postridie cum capitibus ad suarum quæque iurisdictionum oppida translata, atque honorificè condita. Funestum Egmontij finem (namque hic in omnium amoribus erat) doluere Belgæ odio maiore, quàm luctu. Fuere, qui linteola, contempto periculo, Egmontij cruore consperserint, seruauerintque, seu monumentum amoris, seu vindictæ irritamentum. Alij plumbeum loculum exosculati, vltionem minitari nullo delatorum respectu ausi sunt. Nec defuere, qui acria illa Belgarum studia, exsecrationemque Albani nominis animaduertentes, affirmarent, ea cæde stabilitas tunc primùm esse Fœderatorum partes: præsagirentque breui Belgium omne tumultibus, contra quàm Albanus existimauerat, inuo-

Ad mortē se tota nocte parat Egmontius.

manè in forum producitur.

& capite plectitur.

Idem Hornanè fnit.

Luctus insolitus in Egmontij necem

non sine multorū minis:

& præsagitionibus.

1568 inuoluendum. Creuitque de ea præsagitione inde quoque sermo, ostento firmatis.
quòd statim post patratam necem, in agro Louaniensi sanguinem pluisse nunciatum est: FACILI multitudine ad ea credenda, quibus odiorum suorum causa haberi diuinitus rata videatur. Et sanè ab aliquibus haud dubitatum est, quin consultiùs egisset Albanus, si clàm punito Egmontio, non eam scenam ac pompam ingratæ nimium populo tragœdiæ conquisisset. Etenim MALE admouentur Inde acre odium in Albanum.
oculi spectando illius supplicio, cuius causam commiseratio meliorem facere videatur. Sed homo in terrorem, quo tunc opus existimauit, intentus, inuidiam odiumque sui facilè posthabuit. Fertur Gallicus legatus, qui spectaculo occultus interfuit, scripsisse ad Dictum Gallici legati.
Carol. IX. Rex. Carolum Regem, *Vidisse se in Bruxellensi foro decussum illum verticem, cuius virtute bis Gallia contremuerit:* clades significans illatas Gallicæ Nobilitati ad Sanctum Quintinum, & Grauelingam: quarum prior magna ex parte, posterior quanta erat, Egmontio debebatur. Decessit annos natus quadraginta sex, relictis ex Sabina Ba- Elogium Egmontij.
uarica, quam Spiræ præsente Carolo Quinto Imperatore duxerat, feminis octo, maribus tribus: quorum primus patris virtutes, secundus non nisi odium in Hispanos relictum sibi putauit à patre, ex tertio Regi fido soboles tantummodo superfuit. Fratrem habuit,
Carol. V. Imp. qui Carolum Cæsarem secutus in Africam, obijt in Italia: sororem; ex qua nupta Comiti Vadamontio nata est Aloysia Henrici Tertij Galliæ Regis vxor. Nobilitas familiæ peruetusta: potentia olim maior, quum Geldriam Egmontij Duces obtinebant. Genti cognomentum ab Egmontio, oppido in extrema Batauia ad littus occidentale, ex quo Comitis appellationem semper vsurpauit Lamoralius, quamuis Gaueræ ad Scaldis ripam sitæ, non procul Gandauo, Princeps esset. A Carolo Quinto creatus aurei Velleris eques: à Philippo Rege nobilissimis prouincijs Flandriæ, atque Artesiæ præfectus est. Vir planè dignus, qui ob heroicas animi corporisque virtutes longè alium sortiretur vitæ finem. Quamquam illa ipsa mortis infelicitas (vt commiseratione crescunt omnia) non parum amplificauit virtutum opinionem, & filijs in paternorum bonorum possessionem à Philippo Rege reuocatis, fraudi non fuit. At verò Philippus & Hornani.
Comes Hornanus, & ipse aurei Velleris eques, quatuor annis natu maior Egmontio decessit: Montinio fratre capitis quoque damnato ob eandem causam in Hispania, quò eum cum Bergensi Marchione legauerat Gubernatrix. Neque Hornano minor, quàm Egmontio nobilitas erat ex Gallica Momorantiorum gente; cui se parem vtique præstitit, rebus ad Sanctum Quintinum strenuè gestis, præfecturisque tum Belgici maris, tum prætorianorum militum magnificè administratis; quum militiæ rudimenta posuisset sub Carolo Impe-

Imperatore, cui ob Hornam Cæsarei iuris oppidum in Geldria subiectus erat: ducebatque inde Comitis titulum, quamuis aliorum in regijs prouincijs oppidorum arciumque potiretur. Defleri profectò haud modicè potuisset huius viri mors, si non Egmontius omnium lacrymas consumpsisset. 1568

EXPEDITIO Albani in Lud. Nassauium.

Vitellius Groningam defendit.

Exequia Arembergij.

HIS IN hunc modum peractis, toto impetu in Frisiam mouere statuit Albanus, præmisso cum parte copiarum Chiapinio Vitellio castrorum præfecto; qui Groningam ingressus, eam vrbem, contra Ludouicum Nassauium obsidentem, strenuè defendit. Tum ipse, iustis exequiarum, mœstâ militum pompâ, solutis Comiti Arembergio; Bruxellis, exeunte Iunio, contendit Antuerpiam: relictoque ibi Gabriele Serbellonio cum octo Germanorum centurijs ad arcis vrbisque præsidium, substitit Buscoduci, expectato Cressonerio cum septemdecim curulibus tormentis. Inde profectus sub initium Iulij, traiectoque apud Grauiam Mosa, Arenacum Geldriæ, dein Dauentriam Transisselaniæ peruenit. vbi paulum retinuit exercitum, certior ab exploratoribus futurus, an pontes aliquot sustinendis tormentorum oneribus pares forent. Et illi non longiùs multo prouecti, tympanorum strepitu procul exaudito, mox & vexillis quatuor inspectis, illico ad Albanum redeunt, aduentare hostem, inque proximo esse re ferentes. Is, etsi ægrè adducebatur vt crederet: quia tamen à speculatoribus diuersæ, vti assolet, nationis id asseuerabatur, properè Tribunos, Præfectosque admonet pugnæ, aciem instruit, simul alios, qui propiùs obseruent hostium numerum ac vires, immittit. Quibus inde digressis in conspectum veniunt vexilla quatuor prælata totidem curribus velo ac fronde intectis, in quibus noua nupta, magno agrestium circumludentium comitatu, in vicinum pagum, belli secura vehebatur. Enimuerò re ad exercitum relata, non magis deridiculo fuit exploratorum incuria, quàm ludo ea rusticorum inter arma simplicitas: versoque proinde in hilaritatem repentino illo pugnæ apparatu, præteriens ante aciem sponsa, festo sclopetorum plausu consalutata est. Mansitque facti memoria in Vuallonica militia, vt procursatores exploratoresque si reditum ad suos paulo meticulosiùs festinauerint, Num sponsam viderint, militari ioco interrogentur. Sed Albanus damnatâ eâ morâ, moræque authoribus acriter increpitis, Groningam intrauit Idibus Iulijs, paulo ante meridiem. eàque ipsâ horâ, vt erat in equo, exploratum hostium castra, quæ tribus Groningâ millibus passuum aberant, ipse paucis comitatus rectà contendit. Reuersus, ac relicto ad vrbis præsidium Brunsuicensi Duce, sequenti die (nam celeritate opus erat) in hostem vadit. Erant ei peditum millia ferme duodecim, tria equitum, veterani milites plerique, centurio-

Albani exercitus iter.

Boldus. *Arnhem.* *Overijssel.*

Exploratores præmissi.

Rerum ridiculus error.

Ex quo factum militare prouerbium.

15. Iulij.

Numerus copiarum Albani:

1568 turiones præsertim, ordinumque ductores. Nec pauciores pedites Nassauius numerabat, equitatu inferior erat. auditoque Albani aduentu, sex inde passuum millibus castra mouerat, subitarioque vallo, & aquis circumsepserat. Insecutus illos Albanus iubet Gasparem Roblæum Billij Dominum, assumptis ex equitatu peditatuque mille ac ducentis sclopetarijs Hispanis atque Vuallonibus, bifariam aggredi castra, non tam spe tunc quidem eorum potiundi, quàm vt exploraret vires hostium, eosque moraretur, dum Cressonerius tormenta promoueret. Sed tantus sclopetariorum ardor, vel potiùs tanta hostium ignauia, siue dissensio maximè Germanorum fuit, vt desertis ex vtraque parte munitionibus in fugam se vltro coniecerint. reliqui incensis, quæ poterant, castris, subtraxere se pugnæ. Ex quibus haud pauci, dum nullo ordine, nullo Ducum respectu diffugiunt, aut fossis, ac paludibus cum equis hausti, aut ab insequentibus, abiectis turpiter armis, proculcati sunt. Cæsi ex hostibus paulo supra trecentos, ex Regijs non nisi nouem: maiori haud dubiè strage futura, nisi suos Albanus signo reuocasset, veritus ne obscuro iam cælo in cæcas fallentesque vbique fossas, inextricabili errore, se se milites induerent. Sed quinto pòst die compensauit. Etenim iussis Cæsare Daualo Marchionis Piscariæ fratre, & Curtio Comite Martinengho cum aliquot turmis fugitiuos non deserere, ipse cum exercitu, vnâ ante mediam noctem horâ, Groningam redijt: statimque euoluta nondum nocte, Dux inquies, & occasionum haud segnis, copias educit, ac duodecimo Kal. Augusti hostem assequitur.


et Lud. Nassauij: *Huius castra.* *inuadunt Hispani.* *Fugientibus inde Nassauianis.* *& aliquibus eorū interemptis.* *21. Iul.*

SVBSTITERAT Nassauius in aditu Frisiæ Orientalis, ad Gemingam pagum, inter sinum Dullartum, ac flumen Amisiam. Habebat à tergo Emdam, partium amicam vrbem, excepturus inde commeatum per Amisiam, atque Orangium fratrem è Germania venientem: circùm, paludes crebræ, & confusa aquis itinera absterrebant subiturum hostem: solùm à fronte inter subiectos instabilesque cœno campos, callis vnus contra fluuij tumores latè firmatus eminebat, atque excurrebat in castra pagumque, isque tormentis decem oppositis inaccessus. Sic ille castris locum delegerat, munieratque. Sed TIMORI nulla munimenta satis sunt. Timorem auxerat iterata Germanorum seditio paulo ante priorem cladem cœpta. Quum enim aliquot illorum cohortes, quia stipendia non soluebantur, Nassauij Prætorium circumstetissent, exprobrantes, quòd eorum aliqui cogerentur fame emori, pane biduum non gustato, ideoque transfugium minarentur; promissis à Iusto Schouuemburgio in sequentem diem viritim ducenis placchis, repressa vtcumque seditio est: quod tamen stipendium, ingruente subitaria, vti narrauimus,

PVGNA ad Gemingam. *Emis fl.* *Situs castrorum Lud. Nassauij.* *Dicco.* *Timor in castris ex seditione militari.* *prius incepta,* *Scuta quatuor.*

nunc iterata; mus ab Duce Albano pugna, persolui non potuit. Idcirco miles 1568
apud Gemingam à fuga consistens promissa repetebat, instaurata
et Hispanis nota. ferociùs seditione. Quæ Albano ex captiuis cognita, atque in exercitum de industria euulgata, adeo militum animos erexit, vt Centuriones ferme omnes, magno nationum certamine sibi exposcerent inuadendum ipsum tormentorum suggestum, idest periculi *Batteria*
Quorum aliqui obliquè vadunt in ipsa hostium tormenta. ac belli summam. Ex quibus Lopesij Figueroæ cohors, quæ in campos descenderat ad Albani sinistram per fluminis aggerem ducentis *Dieco*
exercitum, iussa demum est id attentare. Habebat hæc cohors plerosque militum armatos eo prægrandium tuborum genere, quos furcillis operosè librandos, ab Duce primùm Albano translatos fuisse ad vsum campestris militiæ suprà memorauimus. Hi ergo, *lib. 6.*
Alij aggrediuntur à fronte. dum Albanus quasi à fronte aggressurus hostem, obiectis contra eius tormenta vimineis corbibus se se communit, ac leuibus aliquot prælijs interim proludit; strati prius humi, fusisque ad Deum precibus, (Figueroa insigni erga Dei Matrem fiducia verba præeunte) per cœnum ac paludes enisi, è latere in accliuem tumulum aggeremque tormentorum insiliunt, paucis ab ea parte aditum initio
Priores tormentario suggestu potiuntur. propugnantibus, quasi per sese tutum: mox aliorum accursu, post atrocem dimicationem, tormentis denique potiti, viam, quæ vna aggrediendis castris erat opportuna, ceteris aperuere. Qua parte im-
& ceteris aperiunt viam ad necem hostium. missæ Albani legiones non modò castris exutum extra munimenta vallumque pepulere hostem, sed inde palantem vagumque, quantum ad Amisiam patebat infrà suprâque campus, continenti sex
quæ maxima, si vmquam: horarum internecione deleuerunt. Etenim (vti scribit ad Margaritam Austriacam Hubertus à Valle, qui prælio interfuit) numquam *16 Iul.* *Marg. Par. mensis.*
& par ignauia hostibus fuit. maiori aut ignauia, aut contumacia pugnatum est: si pugna tamen illa, & non veriùs strages fuit. Plerique Germanorum abiectis ad pedes armis quasi se dederent, eo promptiùs trucidati: multos absumpsere paludes, in quas se alter alterum in fuga trudebant: plures ferrum, cui terga dabant, velut obnoxia virgis mancipia: plurimos verò flumen Amisia, quò se præcipites immittebant, licet *Ems.*
nandi rudes, atque armis graues, eòque statim plerique absorpti, paucis exceptis, qui dum aquis assueti tranant, à sclopetarijs in ri-
Victoria fama miro modo Groningâ perlata. pa, tamquam anates, per ludibrium figebantur. Ferunt, visâ ab ijs, qui sinum Dullartum fortè nauigabant, pileorum aquis innatantium multitudine, (nam mare, quod certis increscit, ac decrescit horis, in recessu aquam fluminis, simulque cadauerum exuuias secum attraxerat) intellectum esse, magnam enimuerò pugnam stragemque proximis in campis fuisse commissam: atque ex pileorum forma longè ab alijs diuersa, qua Germanæ cohortes ac turmæ *Bern. Mend. l. 3.*
pro galeis vtebantur, iudicatum, penes Hispanum stetisse victo-
riam.


Pugna ad Gemingam, A
A. Geminga pagus. B. Amisia fl.
C. Sinus Dullartus.
D. Castra Lud. Com. Nassauij.
E. Campus cœno et aquis inuius.
F. Maiores solopetarij Hispani ex aduerso campo aggredientes tormentorum suggestum.
G. Copiæ Albani super aggere fluminis. inuadentes a fronte.
C
N
E
E
A
D
F
D
G
G
H


bano Gubernatore. 1568.
H. Dux Albanus suos promouens ad pugnam.
I. Nassauiani repugnantes.
K. Fuga Nassauianorum.
L. Clades ingens eorundem.
M. Reliquiæ exercitus flumen traijcientes cum Lud. Nassauio.
N. Cadauera et pilei Germanorum a fluuio in mare exonerata.
D
D
D
K
M
L
L
L
B
B

1568 riam. Quo factum, vt nuncius rei bene gestæ Groningam properè immissus ab Albano, repererit præter omnem opinionem ac fidem, ciuitatem rumoris iam plenam, cladisque ac victoriæ non ignaram, nempe ex mercatorum nautarumque narratione præmonitam. Sic *simile quid apud priscos Romanos.* olim confligente cum Sabinis Romano exercitu Anienis ad ripas, *T. Liu. l. 1.* visa Romæ in Tiberi, in quem deuoluitur Anio, cognitaque fluitantia Sabinorum arma victoriæ gaudium nuncijs præripuere. Cæsorum numerus ab ijs, qui interfuere, variè proditus. *Numerus cæsorum:* Propius vero habitum, ex hostibus non pauciores sex millibus: ex regijs non plures septuaginta desideratos. *Thuan. l. 41. hist. ait ex regijs octo solum obijsse, alij quindecim.* Quamquam duodecim millia passuum oppletus cadaueribus hominum equorumque campus immensam oculis cædem latè subijciebat. Nec parum prædæ fuit: viginti hostium signa, decem maiora tormenta, sexque illa musica Arembergio nuper ablata, ingens Nassauij, Hochstratani, & Schouuemburgij suppellex, impedimenta demum omnia in manus Hispanorum deuenere. *& præda.* Hochstratanus pridie quàm pugnaretur à castris æger abierat. Schouuemburgius sub pugnæ principia cladi se subduxit. De Nassauio incertus primùm rumor emanauit, relatis ad Albanum armis ac vestibus, quas illo ipso induerat die: dein rescitum est alio vestitu procul ab hostium conspectu fluuium tranasse, intellectumque vestes consultò reliquisse, vt pro mortuo habitus quæri desineret. *Callida Lud. Nass. fuga.* *Tacit. l. 2. ann.* Planè renouari visa est, in hac Frisiana prouincia, Cæsaris Germanici olim victoria ex Arminio ad Visurgim, alterum Frisiæ amnem: adeò cum barbaris ad Romanorum satietatem ludumque cæsis, cum strage tranantium Visurgim, cum Arminij non agniti fuga, cum prælio totidem horarum ad noctem producto, cum campo totidem millia passuum cadaueribus strato; hæc, quam dixi ad flumem Amisiam, pugna consensit. *Similitudo huius victoriæ ex Nassauio, & Cæsaris Germanici ex Arminio, in hoc eodem loco.* Nec dispar vtrobique victoriæ monumentum ad posteros erectum à Ducibus ex hostium spolijs. *De hoc Tropæo infra, & in principio l. 8.* nisi quòd in Trophæi dedicatione modestè omissam ab Romano memoriam sui, Hispanus liberaliter adiecit: ideoque Germanici appellationem in titulo fama substituit, Albani nomen inuidia citò deleuit. Scio hanc victoriam miraculi loco aliquibus habitam, & Pontificis Pij Quinti precibus, qui Albanum & litteris & pecuniâ in Gheusios animauerat, attributam. *Attributa hæc victoria precibus Pij V.* Certè Christophorus Assonuillius, qui Albanum intimus consiliarius comitabatur, rem vti erat gesta perscribens, affirmat: *27. Iul.* Consideranti sibi delectum à Nassauio locum, ex vna parte adeo & situ & ingenio munitum, vt longè maiorem, quàm Albani exercitum contemnere tutò posset: ex altera tam repentè, tàm facilè à paucis expugnatum; meritò hanc victoriam miraculi similem videri. Et Albanus, ipsa quæ pugnam excepit nocte, nihil prius habuit, quàm vt victoriæ nuncium mitteret

Hh ad

Qui pro ea grates Deo agit solemni ritu.

ad Pium Pontificem. Qui, vt preces pro euentu certaminis ad Deum sollicitè fuderat, ita voti compos, trium dierum supplicatione ad tres vrbis Basilicas, non sine festo tormentorum sono, lætisque per vrbem ignibus, diuinæ clementiæ grates persoluit. Ego verò, etsi affirmare non habeo, diuinitùs hoc factum: quum longè minor in acie seditio & consternatio afferre plurimum momenti quotidie soleat, tamen quum ad facinus respicio Hispanæ cohortis, quæ in apertum discrimen itura, admonente Lopesio Figueroa aduocandos esse Superos in societatem communis causæ, humi prostrata, imploratoque etiam supra vsitatum morem, multis precibus ac votis, magnæ Dei Matris, Diuique Hispaniæ tutelaris auxilio, intrepidè feliciterque inter hostium tormenta victoriam inchoauit; profectò asseuerare non dubitauerim, si quid in ea pugna diuinitùs contigit, Hispanorum quoque pietatem meruisse è cœlo victricem illam opem, & eisdem ad victoriam humana vi comparandam non defuisse virtutem. 1568

An hæc victoria dicenda diuinitus concessa.

Pietas Hispanæ cohortis.

FVROR Sardoæ legionis.

vlciscentis Arembergianam cladem.

incendio plurimum pagorum.

IN reditu victoris exercitus, audax scelestumque facinus admissum est, quod Albani aliorumque lætitiam magnopere interturbauit. Ibat postremo in agmine Sardoa legio, quæ vt in eius loci conspectum venit, vbi pridem multos commilitonum cum Arembergio Duce infeliciter amiserant; insurgente ira, socios vlcisci decernunt memorabili furoris exemplo. Nam cœpta nondum luce, in proximos vicos ignem conijciunt, ducto à villa principio, ad quam confugientes à pugna Hispanos, à rusticis proditos fuisse Nassauianis victoribus inaudierant: inde in alias circà domos ac pagos diuersi pestem extendunt, tanto successu ob tecta flammis obnoxia, vento præsertim in scelus conspirante; vt à sinu Dullarto in Orientalem Frisiam quantum oculi spectare poterant, ferali omnia incendio conflagrare conspicerentur. Perculsus relucente latè flamma Dux Albanus, hostiumque fraudem facilè suspicatus, vbi suorum scelus, & causam comperit; sisti repentè incendiariam legionem ab vniuerso exercitu iubet, accitoque illius Tribuno Consaluo Bracamontio, increpitoque, quòd eo permittente tantam Frisiæ Regique cladem intulissent: (nam & pagi aliquot arserant Regij patrimonij) quodque in Arembergium contumaces, fortissimum Ducem ad pugnam importunè compulissent; militum alios, qui scelus inceptauerant, eodem loci temporisque vestigio suspendi; alios, præsertim qui supplendæ legioni adiuncti erant, eòque culpæ immisti videbantur, ipsumque Bracamontium Tribunum, mutare militiam imperat. Nam hoc quoque militaris animaduersionis genus retentum est ex antiquorum disciplina, qui equitem sæpenumero in peditem, hunc in funditorum numerum, ignominiæ cau-

Mulctatur ab Albano incendiaria hæc legio.

veteris animaduersionis genere.

Val. Max. l. 2. c. 2 de disciplina milit.

1568 causâ transcribebant. Quamquam huiusmodi pœna non magnopere milites affecit; in aliis deinde legionibus parum immutato gradu receptos. Centuriones, Subcenturiones, Signiferos, & super omnes, Tribunum ea ignominia pupugit; quibus in ordinem redactis ad gregarios milites descendendum erat. Itaque eorum aliqui, ac Tribunus in primis, abire militiâ, quàm illo dehonestamento militare maluerunt. hunc tamen Albanus eâ notâ placatus in gradum non pòst multo restituit. Exauthorata in hunc modum mulctataque legione, sed non ideo iacturâ prouinciæ compensatâ, quæ decies centena florênum millia excessisse credita est; victor Albanus Groningam, ipso D. Iacobi peruigilio, cuius opem in acie senserat, ingressus est: iussisque Groningensibus Gnissium designatum pridem loci Episcopum, & Meganum Comitem pro Arembergio prouinciæ Præfectum accipere; vtrique statui firmando arcem Antuerpianæ persimilem, Vitellij, ac Paciotti operâ inchoauit. Quibus ita ordinatis per Hollandiam, Bruxellas rediens obuium habuit Federicum filium natu maximum, Oschæ Ducem, magnum Calatrauæ ordinis Commendatorem, cum duobus millibus, & quingentis peditibus ab Hispania deportatis, regiaque pecuniâ, opportuno nempe subsidio aduersùs Orangij apparatum.

Quanta ex incendio iactura fuerit.

Quadringenta fenetorũ millia.

Albanus Groningã victor redit;

eiusque statum componit.

Aduentus Federici Albani filij.

ETENIM Orangius ingenti cum exercitu in Germania collecto properabat: hæreticis aliquot Principibus odio in Austriacam Hispaniæ domum facilè consociatis. Iuuitque conspirationem auditam cum omnium execratione, Egmontij, atque Hornani mors, auctaque propterea in Albanum inuidia; quam edito etiam libro aduersùs eius tyrannidem inscripto cumulauit Orangius. Erant ei in exercitu apud Aquisgranum lustrato, militum octo & vigintimillia. ex quibus Germanorum peditum sexdecim millia, equitum octo: Gallorum verò Belgarumque equitum duo millia, totidem ferè peditum. Et Germanis quidem legionibus quadrimestre stipendium spoponderant Comes Palatinus Septemuir Imperij, Virtembergensis Dux, & ciuitas Argentoratum: Belgis autem & Gallis tria talarorum millia in singulos menses soluturum se confirmauerat prædiues Antuerpiæ mercator Hispanus: alendum verò equitatum in se receperant partim Orangius ac frater, partim ipsi equitum ductores Casimirus Palatini filius, Comes Suarzenburgicus, duo ex Ducibus Saxoniæ, Comes Hochstratanus, & Gulielmus Lumeius ex Comitibus à Marca. Qui quidem postremus, homo catholico nomini sæuè infensus barbaro se obstrinxisse voto ferebatur, (vti olim Cl. Ciuilis Batauorum quoque ductor aduersùs Romanos) non positurum se antè capillum, quàm Egmontij, atque Hornani mortem vltus esset. Cum hisce copijs, ac viginti campestribus tormentis Orangius opinio-

EXERCITVS Orangij.

Germanorum Principum conspiratione collectus.

Quantus hic exercitus.

Vnde ei stipẽdia.

Strasburg.

Mille & octingenta scuta.

Vetum Gul. Lumei.

Hh 2

Fama exercitus Orangiani. nione celeriùs transmisso Rheno, positisque castris ad Mosæ ripam 1568
haud procul Traiecto, ingenti Belgium fama ac terrore compleuit. *Mastrich.*
quam contemnit Albanus. Quam profectò famam adeo in speciem contempsit Albanus, mi-
rus bellicorum discriminum dissimulator, quique nihil magis ti-
mebat, quàm ne timere videretur; vt Centurioni copias hostium
sollicitè denarranti, amplificantique conspirationem tot Princi-
pum, Regumque, nam ex Dania quoque, & Britannia adesse au-
Dictum eius de fœderatis Principibus aduersùs Regem. xilia memorabat; placidè responderit, Scire se quantum illud de-
mum fœdus esset: nec magnopere timendum ab ea rebellium con-
iuratione, contra quam Rex fœdus longè maius inierit. Conuenisse
enim cum Hispaniarum Rege Reges Neapolis, Siciliæ, Sardiniæ-
que: conuenisse Insubriæ Ducem: Burgundiorum, & Belgarum
Principem: præter Peruuij, Mexici, Philippinarumque Reges. Hoc
autem differre vtrumque fœdus; quòd in illo, nationum ingenio-
rumque dissimilitudo, & (si cetera desint) propria cuiusque vtili-
tas dissensionem, mox & dissolutionem societatis essent allatura:
in hoc, omnibus lubere, quod vni lubeat, eòque æternum fore. Et
Timor Albani à Belgis. sanè Albanus non tàm externum pertimescebat hostem, quàm Bel-
gas ipsos, quorum multis haud ignorabat inuisum se: neque ab re
suspicabatur, ausurum numquam fuisse Orangium inferre arma in
Belgium, nisi inuitatu, atque ope Belgarum. præsertim quum iam
infesta vbique itinera latrocinijs, ac cædibus haberentur ab exulibus
Augent timorē siluestres Gheusij: Gheusijs, quos, quia saltus obsidebant ac siluas, siluestres Gheusios
appellabant. Auxère metum visæ illustri nocte geminæ per cælum
& cœli ostenta. acies bello paratæ, hastisque coruscantibus infestæ. Quibus prodi-
gijs, quoniam multis è locis narrabantur eadem, fides habita: ideo- *Christ. Assonuil. vltima Sept.*
Ipse Traiecti cōsistit occursurus Orangio. que plura in dies nunciabantur. Quo intentior Albanus, munitis
quæ in limite erant, & quibus præcipuè timebat oppidis, Traiectum
ad Mosam cum exercitu properauit, vt ex ea vrbe occurreret Oran- *Mastrich.*
gij consilijs, illumque à transmittendo flumine, disposito per Mo-
Sed Orangius Mosam traijcit. sæ ripas milite, deterreret. Sed vicit Orangij sagacitas & confiden-
tia. fuitque hoc primum eius facinus bellum in Belgium inferentis,
quo quantus Regi hostis pararetur, haud obscurè monstrauit. In-
miro artificio, ac celeritate: uento enim per equites vado, inter Ruremundam, ac Traiectum,
quà fortè Mosa aquæ tum modicus fluebat; arte fortunam adiuuat
in hunc modum. Equitatum, qui vim fluminis refringeret, trans-
uersum adstringit, quàm latè alueus patebat, (quod in transuehen-
dis per Ligerim Sicorimque copijs olim fecerat Iulius Cæsar, alijque *l.7. bell. gall. l.1. bell. ciu.*
post illum) simul per extenuatum ea ratione retentumque amnem
festinare sub vesperam silentio pedites iubet: eâque nocte, regijs
excubijs inobseruabili celeritate, aut potiùs incredibili auso dece-
contra Albani opinionem. ptis, exercitum incolumem traduxit. Idque adeo inopinatum ob- *5. Octob.*
uenis-

1568 ueniſſe Albano ferunt, vt Barlamontium renunciantem, tranſiſſe iam hoſtes, interrogauerit, Num putaret, hoſtium aciem, phalangem auium eſſe, quæ Moſam tranſuolaſſet. At Orangius Brabantiam ingreſſus, auſuſque caſtra ſex paſſuum millibus admouere Hiſpano exercitui, eductis poſtridie copijs, occinentibus tubis, ac tympanis præliarem in modum conſtrepentibus, Albano certamen indicit. Et Chiapinius quidem Vitellius Caſtrorum præfectus, qui ſtatim ab aquis madidum, feſſumque viâ militem, antequam caſtris locum caperet, inuadendum cenſuerat; ne nunc quidem detrectandam omnino pugnam exiſtimabat: quòd famæ intereſſet, hoſtem tranſmiſſo flumine præſultantem, aggreſſione aliqua, virtutis Regij exercitus admonere. Sed Albanus, quòd animo prouideret, tanto exercitui ſtipendia non diu proceſſura, adeoque nec concordiam, hieme præſertim ingraueſcente; iam ſtatuerat, quàm minimo ſuorum periculo, conatus hoſtium eludere, vnicè intentus, ne illi vrbe aliqua potiti prædas pro ſtipendijs haberent. Nullus tamen præteribat ferè dies, quin (vt modico diſtantes interuallo incedebant exercitus) aliquibus inter ſe velitationibus, aut etiam prælijs, pabulationis potiſſimùm cauſâ, laceſſente plerunque Orangio, pugnaretur. Quæ porrò prælia, quibus vtrinque viribus, quoue ſucceſſu quotidie agitarentur, poſſem hîc ego diurna tamquam acta denarrare omnia. Illa enim in ſingulos dies accuratè perſcripſit, qui prælijs intererat, Raphael Barberinus Sancti Stephani eques, mathematicarum bellicarumque artium apprimè gnarus, eaque Romam ſubmittebat è caſtris ad fratres ſuos Franciſcum Barberinum Protonotarium Apoſtolicum, & Antonium Barberinum, Vrbani Octaui Pont. Max. Parentem: quo ſub Principe non litterarum minus arbitro quàm Sacrorum, hæc litteris tradere, ego quidem in parte felicitatis duco. Verùm ex ijs epiſtolis, quarum exempla deuenere in manus meas, conſultius hoc loco habui delibare tantum aliqua, reliquis omiſſis, quæ aut ſimili, aut non ſanè memorando in partem vllam exitu contigerunt.

Offert Hiſpanis pugnam.

accipiendam Vitellius exiſtimat.

non Albanus.

leuibus prælijs contenţus.

Horũ præliorum diarium vnde.

Tongeren.

TERTIO poſtquam Moſam traiecerat die, caſtra ad Tungros Orangius promouit. Cui ſtatim oppido tegendo conuertit illuc exercitum Dux Albanus, nec congrediens, nec abſiſtens, tantum quid conſilij eſſet in horas hoſtibus, ſine fine ſollicitus. Acciditque, vt Vitellium primis tenebris ad exploranda Orangij caſtra cum duobus equitum ſignis profectum, ex inſidijs repentè hoſtis inuaſerit, ac cæſis aliquot ex Vitellianis, reliquos effuſè fugauerit, Vitellio ad ſuos incolumi redeunte, equâ tantummodo, qua vehebatur, non leniter ſaucia. Quam quia is vnicè caram habebat, quippe beſtiarum incitatiſſimam, noctu ſuper cœna cum Raphaele Barberino, veteri amico & contubernali anxiè diſſerens de illius iactura,

VITELLIANI intercipiuntur.

Vitellius euadit.

Dolor eius, & mina ob equam ſauciam.

mina-

minatus est, si dies sibi crastinus illucesceret, effecturum profectò 1568
Orangianos aggreditur, se, vt hostes equæ sauciatæ pœniteret. Nec vanè iactatum. Postridie, dubia adhuc luce, selectis aliquot equitum sclopetariorum, ac lancearioru turmis, ex Hispanis præcipuè, Burgundisque; animaduertens Orangij postremum agmen ab reliquo exercitu procul incedere, diuisis illico turmis cum Camillo Gonzaga Nouellariæ Comi-
& cædit, te, tanta celeritate impetuque hostem bipartitò aggressus est, vt interfectis ex eis ferme quadringentis; quum tamen ipse non nisi quindecim amisisset; præter plaustra complura militari supellectile
equis eorum pluribus captis. onusta, centum quinquaginta hostium equos domum victor abe-
Dictum eius. gerit. Quibus ad Albanum gloriosè adductis, *En*, inquit, *mihi quot equos equa vna peperit*. Non ideo tamen destitit Orangius, secuto post hæc die, disposito exercitu, ad belli aleam Albanum prouocare. Verùm is haud ignarus, hosti commeatum pecuniamque citiùs, quàm audaciam defuturam, cunctatione vires frangere tu-
Orangius ad pugnã variè irritat Albanum. tissimum habebat. Quo ille ferocior modò transuersis itineribus in Albanum incurrendo, modò eos, quos ad lacessendum immiserat, simulato metu reuocando, modò villas ac pagos sub oculis incendendo, irritare Hispani moras nitebatur. Sed repererat hic scilicet
Qui nõ mouetur, cunctando vi-ctorus. Annibal cunctatorem Fabium, qui neque desperato furore hostium, neque suorum vocibus ac penè conuicijs, (namque huic Dictatori suus non defuit Magister equitum pugnæ cupidus) neque vllo rei *Chiap. Vitel.* bene gerendæ inuitamento moueretur. Quin, vt erat futuri prudens, nullis rumoribus ante salutem positis id agebat, vt quam ex hoste fracto eiectoque victoriam sibi pollicebatur, seram mallet ac securam, quàm dubiam cruentamque. præsertim quum iam in Orangianis castris inaudisset, non leuium signa discordiarum apparere.
seditio in Orangianis castris. Nec eum fefellit opinio. Etenim Orangius, vrbibus aliquot frustra tentatis, ex quibus pecuniam & commeatum sibi spoponderat, vix mensem egerat in Brabantia, quum seditione coorta, interfectoque
Orãgij periculũ. à furente militum manipulo Malburgio Centurione, ipse sclopo appetitus, gladij capulo pilam repellente, periculum euasit. Gliscebatque in castris malum haud facilè sistendum, nisi opportunus Gallici auxilij nuncius Orangio spem, turbatoribus metum attulisset.
Nouum ei subsidium ex Gallia. Ergo ad eam legionem quingentorum equitum, triumque peditum millium excipiendam, quam ducebat ex Gallia Franciscus Hangestus, Ienlisij Dominus, factionis Condæanæ Tribunus, exercitum quamprimùm mouit.

DE PVGNA ad Getam fluuium.

IN ITINERE Orangius, capta Trudonopoli, agri Leodiensis, ab- *SanTrud.*
Orangius capta Trudonopoli. latoque inde copioso sanè commeatu, ac ingenti auctus præda ex loci Abbate, atque alijs primarijs viris grandi ære mulctatis; Tille- *Tienen.* montem rectà contendit, vt se cum Ienlisio coniungeret, qui aberat

ab

1568 ab eo loco tria circiter passuum millia. Sed quoniam inter vtrasque copias intercedebat amnis Geta, vt tutò eum transmitteret, dispoṅit in tumulo, qui ripæ imminebat, aliquot leuis armaturæ turmas, sclopetariorum manipulo immistas. Sequebatur à tergo, qui numquam hostem omittebat Albanus, exercitum ferme sexdecim millium bellatorum trahens. eratque primo in agmine Vitellius, qui animaduerso Orangij consilio, properè ad Albanum ducentem postremum agmen, equitem Barberinum mittit, qui quo loco esset hostis, quàmque facilis in traiectu amnis victoria, Ducem admoneat. Albanus abstinere prælio iubet, dum exploratius aliquid ex hoste referatur. At hostis fluuium ingressus cum parte exercitus iam tenebat vlteriorem ripam: reliqueratque sub Tribuno Philippo Marbesio, Louerualllij Domino, dum sclopetariorum peditum millia, & quingentos equites, plerosque Vascones, Vuallonesque, ex omni exercitu delectos, qui Regios assiduis leuibusque velitationibus, dum traijcerent socij, distinerent. Vitellius indignatus eripi è manibus, Ducis cunctatione, victoriam; in legionem ab reliquo exercitu seiunctam, magna parte agminis mouet: simul Barberinum festinare ad Albanum iubet, nunciareque quid consilij capiat. Nec abnuit Albanus, potiùs quia factum erat, quàm quia factum vellet. conuersusque ad Federicum filium, *Vides*, inquit, *tumulum illum equitibus insessum? eò tibi contendendum est. Promoue illuc, nam potes ex hoc aduerso colle, campestria tormenta sex: assumptisque cohortibus aliquot Hispanorum peditum, equitumque ala, statione hostem pelle*. Et verò plus adhuc, quam pater imperauerat, Federicus effecit. Nam & tumulo exegit hostem, & Vitelliano agmini adiunctus, conuersis eò tormentis, plurimum contulit ad victoriam. Etenim iusta iam propemodum acie, non tamen æqua pugnabatur. Quippe subita impressione trepidi, qui nondum aquas traiecerant Orangiani, veritique ne vniuerso in eos exercitu Albanus incumberet, modò amnem & fugam respectabant, modò in prælium, meliorum ductu redibant, eòque inter pugnæ fugæque consilium plures cadebant. Adeo vt Vitellius non dubitaret, si omnibus copijs transmisso amne contenderetur, quin eo die hostis deleri posset; idque significandum Albano, qui ex editiore loco submittebat percè militem, sollicitè curauit. Nec Barberinus & Vitellij iussu, & sua sponte prælij cupidus quidquam omisit; quo Duci suaderet opportunitatem capessendæ pugnæ; *Cæsos iam hostium ferociores; ex alijs victam magnam partem videri, victis pauore animis; atque adeo si porrò pergatur, signisque in hostem omnibus incursetur, antequam Gallorum accessione resumat vires, haud dubiè debellatum esse*. Iratus enimuerò Albanus festinatione Vitellij, quasi prælium extorquentis,

disponit fluuium transmissurus, e ad excipiendū Gallicum auxilium.

Albani exercitus.

qui monere contra Orangiū prohibetur ab Albano Vitellius.

Orangius amnē traijcit.

relicta exercitus parte.

In eam impetū facit Vitellius.

& immissus ab Albano patre Federicus,

collem capit.

Pugna.

Vitellius persequi hostē vltra amnem cupit.

Idque iussus significare Albano Barberinus.

Sed vetat iratus Albanus.

tis, vt erat ſui tenax, atque adeo alieni conſilij impatiens, *Ergo vos*, 1568
inquit, *moderari me bello non ſinetis arbitratu meo? Abi hinc actutum ad Vitellium, iube illum in ripa continere militem, neque deinceps ad me de pugna interpellatum mittere. Nam ſeu tu, ſeu quiuis alius importuni monitores acceſſeritis, per caput Regis adiuro, viui non redibitis.*
Pugna redintegratur in ripa fluminis. Ea denunciatione Vitellius, ac Federicus, coërcito vtcumque milite, iram omnem in obſtantes, pugnamque Hochſtratano duce alicubi ſtrenuè reſtituentes effudêre. Nec erat vna prælij facies apud hoſtem. Alibi conſternatio, & fuga, & vtrobique ſtrages. alibi ex deſperatione ferocitas, & pugnæ reparatio, & victoriæ mora. *Clades Orangianorum.* Conglobati Orangiani aliquot manipuli apud Tribuni Loueruallij vexillum, noui auxilij ſpeciem ferentes in aciem redeunt: impetuque, quantus ſolet eſſe morituris, in Vitellium vadunt, denſam circa eum cohortem aperiunt, proturbantque. *Vitellij virtus.* Vitellius nihil inde animo, aut loco motus Tribunum Loueruallium ante alios dimicantem excipit, illoque grauiter ſauciato, in Signiferum, quanta vi poteſt, inuehitur: ereptumque ei hoſtile vexillum manu attollens non tàm inclamauit, quàm abſoluit, nouo ſuis addito ardore, victoriam. Ferunt delato exinde ad Albanum ſigno, quum is ſtantem in eo *Laudata ab Albano.* columnam intuitus circumlegiſſet, *Neſcit labi virtus, niſi virtute ſuperetur*; multis audientibus dixiſſe, *Profectò à virtute Vitellij ipſam eo die ſuperatam fuiſſe virtutem.* *Numerus caſorum.* Cæſi intra duas ferme horas, non pauciores duobus hoſtium millibus, plerique gladio, qui finis plerunque certaminis. Capti nobiles aliqui, interque eos Tribunus Loueruallius, tribus vulneribus ſaucius, poſtea vltimo ſupplicio Bruxellis affectus. ipſe verò, cuius iacturâ ſuper omnem cladem Oran- *Com. Hochſtratani mors.* gius indoluit, Antonius Lalinius Hochſtratæ Comes, globo traiectus, raptimque mutato equo ad ſuos relatus, haud ita pòſt multo, *Oppidum in Brabātia.* Fidem catholicam palàm profeſſus, occubuit. Ex Regijs vulneratos quidem permultos, non plures tamen octoginta cecidiſſe ſatis con- *Franc. Haraeus in Annal.* *Reliquiæ legionis victæ circumſiſtuntur:* ſtat. Supererant ex hoſtium legione centum quinquaginta milites, qui ſe fortè in vicinam domum è pugna incluſerant: certi non niſi per colloquia, & conditiones ſe dedere, quaſi Antuerpiana in arce forent. Quumque inde à Regijs aliò properantibus extrahi non poſſent; militari veluti corona ambiri domum, atque incendi, ab Duce *Succenditur eorum domus:* Albano iuſſum eſt: ſtatimque fœni plauſtro illuc admoto à binis militibus, ipſo plauſtri obiectu ſecuris, ac ſcintillantibus ſcloporum funiculis ſuccenſo; arſit facilè domus, atque ineuitabili ruina defen- *ipſi variè cadût.* ſores inuoluit. Eratque ferox miſerandumque ſpectaculum, dum alij flammis ambuſti cum parte domus conciderent: alij eruptione facta, in intenta militum ſpicula, velut in venabula erumpentes è latibulo feræ, furioſè procurrerent. Fuere, qui conuerſis in ſeſe ſclo-

pis



Pugna ad Getam fluuium Alba
A Tillemons urbs Brabantiæ B Geta fluuius.
C. Pars exercitus Orangij iam flumen transgressa
D. Pars exercitus Orangij flumen traijciens.
E. Vltimum agmen Orangij in ripa congre-
diens cum Hispanis.
F. Primum agmen exercitus Hispani.
G. Louervallius Orangianæ legionis dux
pugnam instaurans.
H. Chiap. Vitellius è signiferi manu uexillum
extrahens.
J. Willelmus Baur fe.


o Gubernatore . 1560 .
I. Federicus Albani filius colle potitus, expulsis inde hostibus.
K. Auxilia ab Albano. L. Louervallius captus.
M. Comes Hochstratanus saucius, et paulo post extinctus.
N. Albanus vetans suos hostem persequi.
O. Orangiani aliquot e pugna superstites. turri se includentes.
P. Turris ab Hispanis incensa.
Q. Gallorum Legio se Orangianis adiungens.
A
B
K
N
K
K
F
F

1568 pis aut gladijs, nempe vt Hispano qualemcumque prrriperent seu gloriam, seu lætitiam; alrer alterum mutuis impeterent ictibus, transfigerentque. *Aliqui mutuis se se vulneribus conijciunt.* Quum interea qui gladiatoriam illam insaniam spectabant, pars miseraretur, alij sibilis adstreperent, quódque eo labore, puluerisque & pilarum iacturâ liberarentur, grates per iocum agerent, eundemque in hostes suos gloriosum scilicet exitum deuouerent. Fuit in Regio exercitu plurium opinio, si vniuersâ, vti Vitellius optabat, acie dimicatum esset, hostium vires, eâ pugnâ profligari potuisse. *Opiniones de hoste abire permisso.* Sed Albanus, præter insitam homini tenacitatem, de locorum situ, deque Belgarum fide dubius, cauta vbique præhabebat. Sub hæc Orangius Gallico auctus auxilio reparasse haud dubiè cladem videbatur, ni breui intellexisset, militibus quidem, sed etiam difficultatibus auctum se, *Orangius auctus Gallicis copijs.* quum tanto maiore in dies annonæ penuria premeretur. Itaque spe deiectus, qua sibi suisque persuaserat, si Brabantiam cum exercitu intrasset, ciuitates illico plures, prono in partes studio rebellaturas: immo eas expertus æquè infestas ac munitas: quum nouies ac vicies castra mutasset, ac semper lateri incedentem haberet Albanum, qui militiæ vetus captato vbique potiore situ, prohibere aggressiones vrbium posset, extrahi ad periculum vniuersæ pugnæ nulla arte, nulla vi posset; suadente Ienlisio, reliquisque Gallicis Ducibus, statuit Condæo se adiungere tertium ciuile bellum in Gallia reparanti. *& annonæ simul inopia.* *Mirum, quoties mutatis castris vrbem aliquam, aut Albanū circumuentum tentauerit.* *Frustra semper.* *In Galliam cogitat.* Præsertim quòd Leodij Princeps Gerardus Gronsbecus non modò transitum in Germaniam negabat, sed etiam exposito in mœnibus milite, explosisque inde tormentis, Orangium à suburdijs absterruerat. *Episc. Leodiensis.* *A Leodiensi exclusus.* Quam ille iniuriam, incensis aliquot cœnobijs, ferociter vltus, in Hannoniam exercitum deportauit. *vastat eius agrum:* Vbi quum solito inclementiùs in aliquorum Nobilium, qui Compromisso nomen dederant, pagos ac prædia desæuiret, intellectum est, id ab eo fieri, quòd ij sese milites polliciti, bello non adfuissent. *& aliquot Hannoniorum pagos.* At apud Quercetum cum insequente Albano, semperque aliquid nouissimi agminis carpente, commisso plusquam velitari prælio, fugatis aliquot Hispanorum Germanorumque signis, ac multis eorum peremptis: Sancio Auila, ac Cæsare Daualo suorum fugam inhibentibus haud leuiter vulneratis; superiorem cladem vtcumque compensauit. *Quercetum.* *Infert aliquam Albano cladem.* Sed in aditu Galliæ, ab Arturo Cossæo militum Tribuno, qui cum Gallica legione limitem seruabat, iussus minaci Regis Caroli denunciatione, Galliâ cum armis abstinere; dum nihilominus vltrà tendit, atroci in castris seditione, mutare sententiam coactus est: milite in Regem Galliæ arma detrectante, stipendiumque promptis in Centuriones gladijs exposcente. *Prohibetur Galliam intrare.* Quamobrem tot simul aduersis conflictatus, quum sæuiente præter modum hieme, huc atque illuc volitanti nusquam consistere liceret, nec pecunia, vti conuenerat, persolueretur; quod vnum supererat, partim diuendita, partim oppi- *In Germaniā frustratur abijcere dit.*

1568 pis aut gladijs, nempe vt Hiſpano qualemcumque præriperent ſeu gloriam,ſeu lætitiam,alter alterum mutuis impeterent ictibus,transfigerentque. Quum interea qui gladiatoriam illam inſaniam ſpectabant,pars miſeraretur,alij ſibilis adſtreperent,quòdque eo labore,pulueriſque & pilarum iacturâ liberarentur, grates per iocum agerent, eundemque in hoſtes ſuos glorioſum ſcilicet exitum deuouerent. Fuit in Regio exercitu plurium opinio, ſi vniuerſa, vti Vitellius optabat, acie dimicatum eſſet,hoſtium vires,eâ pugnâ profligari potuiſſe. Sed Albanus,præter inſitam homini tenacitatem, de locorum ſitu, deque Belgarum fide dubius, cauta vbique præhabebat. Sub hæc Orangius Gallico auctus auxilio reparaſſe haud dubiè cladem videbatur, ni breui intellexiſſet,militibus quidem, ſed etiam difficultatibus auctum ſe, quum tanto maiore in dies annonæ penuria premeretur. Itaque ſpe deiectus, qua ſibi ſuiſque perſuaſerat, ſi Brabantiam cum exercitu intraſſet,ciuitates illico plures, prono in partes ſtudio rebellaturas: immo eas expertus æquè infeſtas ac munitas: quum nouies ac vicies caſtra mutaſſet,ac ſemper lateri incedentem haberet Albanum,qui militiæ vetus captato vbique potiore ſitu,prohibere aggreſſiones vrbium poſſet, extrahi ad periculum vniuerſæ pugnæ nulla arte, nulla vi poſſet; ſuadente Ienliſio, reliquiſque Gallicis Ducibus, ſtatuit Condæo ſe adiungere tertium ciuile bellum in Gallia reparanti. Præſertim quòd Leodij Princeps Gerardus Gronſbecus non modò tranſitum in Germaniam negabat, ſed etiam expoſito in mœnibus milite, exploſiſque inde tormentis, Orangium à ſuburdijs abſterruerat. Quam ille iniuriam,incenſis aliquot cœnobijs,ferociter vltus, in Hannoniam exercitum deportauit. Vbi quum ſolito inclementiùs in aliquorum Nobilium,qui Compromiſſo nomen dederant, pagos ac prædia deſæuiret, intellectum eſt, id ab eo fieri, quòd ij ſeſe milites polliciti, bello non adfuiſſent. At apud Quercetum cum inſequente Albano,ſemperque aliquid nouiſſimi agminis carpente,commiſſo pluſquam velitari prælio,fugatis aliquot Hiſpanorum Germanorumque ſignis,ac multis eorum peremptis: Sancio Auila,ac Cæſare Daualo ſuorum fugam inhibentibus haud leuiter vulneratis;ſuperiorem cladem vtcumque compenſauit. Sed in aditu Galliæ,ab Arturo Coſſæo militum Tribuno,qui cum Gallica legione limitem ſeruabat,iuſſus minaci Regis Caroli denunciatione,Galliâ cum armis abſtinere; dum nihilominus vltrà tendit,atroci in caſtris ſeditione,mutare ſententiam coactus eſt: milite in Regem Galliæ arma detrectante,ſtipendiumque promptis in Centuriones gladijs expoſcente. Quamobrem tot ſimul aduerſis conflictatus, quum ſæuiente præter modum hieme, huc atque illuc volitanti nuſquam conſiſtere liceret, nec pecunia, vti conuenerat, perſolueretur; quod vnum ſupererat, partim diuendita, partim oppignera-

Aliqui mutuis ſe ſe vulneribus conficiunt.

Opiniones de hoſte abire permiſſo.

Orãgius auctus Gallicis copijs.

& annonæ ſimul inopia.

Mirum, quoties mutatis caſtris vrbem aliquam, nisi Albanũ circumueniente tentaueris.

Fruſtra ſemper.

In Galliam cogitat.

Epiſc. Leodienſis.

A Leodienſi excluſus.

vaſtat eius agrum;

& aliquot Hannoniorum pagos.

Quesnoy.

Infert aliquam Albano cladem.

Prohibetur Galliam intrare.

In Germaniã ſpe fruſtratur abſcedit.

gnera-

gnerata ſupellectili, ac reliquo bellico apparatu, eâque ratione pacatis 1568
vtcumque militibus ac dimiſſis, ipſe in Germaniam cum parte copiarum, exeunte iam anno profectus eſt, bellum melioribus auſpicijs reparaturus.

POST euictum Orangium Albanus mittit in Galliam Manſfeldium copiarū ducem:

AT VERO Albanus belli interim ſecurus, mittit in Galliam pro 1569
Carolo Nono aduersùs hæreticos duo equitum, tria peditum millia, duce Erneſto Mansfeldio: relaturus Regi gratiam, ob Orangium hoſtis loco habitum. *Petr. Ern. Co. Manſfel.* Nec ſanè parum ad eam victoriam apud Monconturium à Catholicis relatam Mansfeldius contulit; incenſus præſertim æmulatione Ludouici Naſſauij, cui mediam eo die Hugonotorum aciem ducenti, ipſe qui contrarium agmen in medio quoque poſitum moderabatur, obiectus, equitatum Naſſauij, *Bern. Mendoz. l. 4.* quamuis pilâ dexterum bracchium traiectus, repreſſit primùm, mox & fugauit.

Non ſine opera fructu.

Triumphans ingreditur Bruxellas.

Albanus autem, eiecto extra Belgium citra vniuerſum certamen, vti deſtinarat, Orangio, multis hoſtium, paucis ſuorum amiſſis, triumphanti ſimilis, Ianuario ineunte, Bruxellas intrauit, indictis per Belgium ob rem benè geſtam publicis ſupplicationibus. Addidit homini gloriam perhonorifica legatio, qua Pontifex Pius Quintus Galerum & Gladium auro margaritiſque diſtinctos, ac Pontificijs precibus ſolenni ritu ſacros, Albano tamquam Catholicæ Religionis propugnatori ab Vrbe tranſmiſit. Ille grandia munera, Archiepiſcopi Mechlinienſis manu, ſub matutinum Sacrificium in templo reuerenter accepit. *10. Mart.* Reliquus dies ludicro haſtarum ſpectaculo, feſtiſque decurſionibus tranſactus eſt: *1 Maij.* non ſincerâ omnium lætitiâ, multorum certè dolore, aut inuidiâ, qui victum Orangium, non victorem Albanum volebant: auctâ præſertim indignatione ex ipſo ludorum campo, ſuperioribus menſibus Belgarum Procerum cæde funeſtato.

A Pontifice donatur Galero & Gladio.

magna eſt ludorum celebritate:

& inuidia.

Trophæū ſibi ſtatuit.

Accedebat & illud ad inuidiam cumulandam: quòd eodem tempore Trophæum ſanè ſuperbum Antuerpiana in arce ſtatuendum, ex tormentis bellicis Ludouico Naſſauio ereptis in Gemingenſi prælio, conflari ſibi iuſſerat, homo in gloriam apud poſteros intentior, quàm ex præſentium offenſione timidus.

Quodnam illud.

Eius interpretatio.

Erat hæc armata eius effigies, nudo capite, dextero bracchio inermi, & in vrbem intento: pede ſtatuas ex ære duas premens, hoc eſt duos ex tribus Belgij Ordinibus, Nobilitatem Populumque, ſicuti & operis inuentor Arias Montanus affirmaſſe dicitur: & Orangius interpretatus eſt, *In Apolog. an. 1581.* Albani faſtum irridens, qui ſibi ſtatuam erexerit ipſe, pede conculcantem Ordines ac populum omnem Belgarum. His verò geminis ſignis manus inerant plurimæ, libellis, crumenis, ſecuribus, facibus armatæ: ora laruis tecta: aures & colla pendentibus grauata caſiculis manticuliſque, Gheuſiorum ſupellectili.

Inſcriptio.

In baſi marmorea Elogium inſcriptum, *Ferdinando Aluarez*

1569 *uarez à Toledo Albæ Duci, Philippi Secundi Hispaniarum Regis apud Belgas Præfecto: Quòd extincta seditione, rebellibus pulsis, Religione procurata, iustitia culta, prouincijs pacem firmauerit; Regis optimi ministro fidelissimo positum*: Basis latera vario Emblemate figurata: infrà additum, *Iungelingi opus ex ære captiuo*. Quod sanè simulacrum, mirum quanto omnium odio inuidiaque spectatum sit: Belgis quippe frementibus, quasi eo in monumento quotidie vinci, quotidie in triumphum duci eorum natio videretur: & Hispanis ipsis homini indignantibus, qui sibi gloriosum acroama canere, quàm audire maluisset. Nec alia crebrior sermonis materia in Regis aula. irridente in primis Roderico Gomesio, veteri æmulo, *fidelissimi* appellationem *ministri*; nempe qui gloriam Principi suo debitam interuerteret, ad seque transferret, tantoque magnificentiùs aliqui efferebant in cælum modestiam Regis, qui aliquot antè mensibus, quum ei nobilis ab Italia Statuarius obtulisset, impositurum se portis vrbium per Insubricam præfecturam Insignia & Simulacrum Regis absque vllo Regiæ pecuniæ dispendio; laudata hominis voluntate respondisset, *Malle se artificem, qui quantacunque impensa suum in cælo signum collocaret*. Quod astu aulico effusè laudabatur in Principe, vt ad magni nominis præconium illustriùs vapularet Albanus. Immo nec Philippo Regi gratam fuisse eiusmodi molem ferunt, cuius iussu, quadriennio pòst sublata est: siue Belgarum offensioni Rex hoc dederit: siue potiùs suæ, quasi ægrè passus, alijs excitari monumentum victoriæ Regijs auspicijs, ac stipendijs reportatæ. Et suboluisse Albano indignationem Regis inde coniectum est, quòd is alteram statuam (nam geminas aiunt ab eodem artifice eâdem formâ fusas) in Hispaniam mittere, vti destinarat, omiserit.

Iacobus Iungelingus. — *Artifex.* — *Magnum inde odium.* — *Belgarum.* — *Hispanorumq́;* — *Alo. Cabr. l. 8. c. 12.* — *Aula quoque Hispanica irrisio.* — *Ruigomez de Silua.* — *Aucta ex comparatione modestia Regis.* — *Ant. Herrera l. 9. par. 2. hist.* — *et Regi indignatio.* — *Albano non ignota.* — *Mich. ab Isselt in hist. & Meter. l. 3. hist. Belg.*

SED nihil æquè odium Albano Duci, Hispanoque nomini cumulauit, ac noua tributi ratio. Ea erat, vt rerum mobilium quoties venderentur, decima, immobilium vigesima; omnium verò centesima semel à Belgis penderetur. Si enim posse aiebant exhausto bellis ærario prouideri, atque adeo prouinciarum securitati. Namque ab Hispania diuturno Maurorum bello implicita, classemque magni vtique sumptus in communem hostem meditante, profectò parum opis expectandum. Nec æquum esse, Philippi Regis curas, atque impensas in Christianæ rei tutelam vnicè intentas, aliò intempestiuè nunc distrahi. Sed Ordines ob eam causam Bruxellis coacti, quod ad decimam quidem attinet, repugnabant, *Interuerti eo tributo commercia, vnicum Belgij alimentum. Quo enim passuros modo mercatores atque opifices, vt procadem re sæpius decimam soluant? quippe antequàm panni, tapetes, quæque alia textilia conficiantur, distrabanturque, soluendam esse decimam pro lana, inde pro filo, tum pro textura, tinturaque, ac pluribus huiusmodi artificijs: ideoque auctis mercium pretijs, emptores absterrendos: aliò potius opi-*

DE TRIBVTO Decima, Vigesima, & Centesima. — *Causa imponendi.* — *Decimā Ordines deprecantur.*

Ii 2 *fices*

fices migraturos, summa interim egestate prouincijs relictа. Reputaret animo Albanus quantum compendij quæstusque Britannis additum sit, ex quo Belgæ ante annos ducentos, eluuionibus natali solo pulsi transtulere pannorum texturam in Britanniam, eius artificij rudem. Opificia in Belgio adhuc superesse, quorum assusi circà populi expertes sint, haud modicè ditandi, si illuc artifices commigrauerint. Sed nihil efficiebatur apud armatum, victoremque, ac nullo ab hoste sollicitum, eòque Belgas obsequij faciliores habiturum. 1569.

immoto Albano.

Lis inter Albanum & Angliæ Reginam.

occasione intercepta pecunia.

M. Isselt in hist. & Meteran. l. 3. & Thuan. l. 44. & Meurs. l. 5. l. 8. Ads. l. 20. & Aloys. Cabrera l. 8. H. Conest. l. 3.

INIECIT tamen interea non parum sollicitudinis Angliæ Regina, nouique rursum belli occasionem Albano præbuit. Cantabrica nauis, & minores quatuor aduehentes ex Hispania in Belgium ad stipendia copiarum Albani Ducis, magnam auri vim (ducenta nummûm aureorum millia scribunt plerique, quadringenta nonnulli, aliquis etiam octingenta) seu tempestate, seu piratarum metu subduxerant se in Angliæ portum. Regina eam pecuniam certa in Belgium non remittere, primò in tabulas referri iussit, dein extractam è nauibus ærarij sui fecit, caussata regni necessitatem; nequidquam reclamantibus Guerrao Despæo Philippi Regis Oratore, ac Stephano Serra Hispanis nauibus præfecto. Inde offenso acriter Albano, ac mercatores Anglos eorumque naues ac bona per Belgium attinente, vti etiam in Hispania factum est; vicissim & Angla in Belgas Hispanosque paria agitante, nihil propius erat, quàm vt arma vtrinque expedirentur. Et allegatus quidem ab Duce Albano in Angliam Christophorus Assonuillius ad repetendam pecuniam, componendamque controuersiam, offensam adeo Reginam furentemque compererat, vt interdictum ei fuerit, mandata vltrà persequi: abnuente Angla cum Albano, aut quoquam alio, præterquàm cum Rege conditionibus disceptare. Nempe hos ei spiritus intendebant (vt legi in litteris Assonuillij) & renascens Maurorum in Hispania tumultus, & nouus per Germaniam belli apparatus in Belgium, & quotidianæ in primis suorum prædæ ex Belgicis Hispanisque nauigijs. Quin per eosdem planè dies Lusitanorum naues quatuordecim, Indicis onustæ mercibus, dum ignaræ inter vtramque nationem diffidij, securè illac præteruehuntur, ab Anglis captæ, inque insulæ portus adductæ, mirum quantum amorem auxerant continuandæ tam quæstuosæ litis. Quò impensior Hispano cura reconciliationis. missusque propterea in Angliam Thomas Raggius, cuius prudentiæ dabat tunc plurimum Albanus, postea Rex ipse fidem viri expertus Quæstorem generalem habuit. Hic & si Reginæ non flexit animum retinendæ pecuniæ obfirmatum, aures certè ad eam diem occlusas ita occupauit, vt non surdam se componendæ rei præberet. Inde Marchioni Vitellio, cum Raphaele Barberino, ac Turrio à secretis, quos postremo allegarat Albanus, honorificentiùs acceptis;

Naues Anglorũ ac bona in Belgicis Hispanisque portubus attinẽtur:

& Belgarũ Hispanorumq; pariter in Angliцis.

Legatus Albani à Regina reiectus.

20. & 24. Maij.

Naues Lusitanæ cũ Indicis mercibus capiuntur ab Anglis.

Thesaurarius generalis.

Noua Albani legatio.

An-

1569 Angla palàm aperit; Certiorem se factam, pecuniam non ad Re- *Regina respondet.*
gem, cui facere iniuriam numquam fuisset in animo, sed ad
mercatores Genuenses pertinere: eâ sibi tunc opus esse, redi-
turâ Dominis non sine vsura ac bona fide. Responsionem ad
Albanum referens, Hispani Legati, ac Vitellij nomine Barbe-
rinus: etsi subdolam Reginæ mentem non ignorabat, quum nul- *Relatio Barberini.*
lus vsquam mercator, qui pecuniam repeteret, appareret: ta-
men reputandum Albano significauit, quanto Belgis quàm Anglis
impendium maius allatura esset ea controuersia. Numerasse se
octoginta & vnam Belgarum, & Hispanorum naues in Anglicis
portubus detentas: inspexisse earum merces quotidie deteriores, &
rapinis expositas. Proinde videri Legato, ac Vitellio, non augen-
das nouis offensionibus discordiæ causas: sperare enim fore, modò
moræ aliquid intercedat, vt exsatiatâ iam irâ per mutua scilicet in-
commoda, paulatim commercium pari vtrinque dissimulatione re-
Commentarij exemplar est apud me. dintegretur. Id autem quo plus momenti haberet apud Albanum,
commentarium ei tradidit à se breuiter appositèque conscriptum
de controuersiæ statu. Hæc porrò quamquam verè dicebantur: vti
tunc patuit, quum composita demum lite, repertum est damnum
Belgis Hispanisque illatum mercatoribus tantùm excedere com-
Octoginta sextorum millia. mune intertrimentum, vt supra ducenta florenûm millia repende-
re coacti sint Angli; non tamen Albanus desistendum sibi putauit, *Lis interim non componitur.*
aut ab vlciscenda persequendaque Anglorum iniuria, aut ab exi-
gendo, quod iam cœperat, Belgarum tributo. quòd illud ad Regis
existimationem pertinere arbitraretur: hoc autem licet incommo- *et Albanus redit ad tributum exigendum à Belgis.*
dum tunc quidem intelligeret turbatæ mercatorum reipublicæ, spe-
raret tamen eorum iacturam breui reparandam, se certè ære ab
Anglis interuerso vacuum videns, æquius putaret opem à prouin-
cijs petere prouinciarum denique bono cessuram. Quare quum ad
postulationes ac monita, minas Albanus adderet: Ordines verò *Qui repugnant.*
necessitatem populorum objicerent: nec deesset, qui Albano per
Plutarch. in Themist. epistolam ignoti nominis significandum curaret, *Si ille Themisto-
clem ageret, duas pro exigenda pecunia Deas afferentem, Suadam, &
Violentiam; esse se Andrios, qui ne eam persoluant, totidem intercedant*
Impossibilitas. *magna quoque Deæ, Paupertas, & Aporia.* Quumque propterea
hinc supplicibus libellis & querimonijs, illinc mutatis aliquoties
edictis, imperioque certaretur: & tamen inter eas contentiones
1570 circumagente se anno, exitum res haberet nullum: indignatus ad
Feb. mens. extremum Albanus prouincias monet, *Rempublicam sibi commissam* *At ille iratus prouincias scripto increpat.*
*sibi curæ futuram: interim parêrent æqua imperanti. ac meminissent,
ciuitates ex eis nonnullas perduellium consilijs implicitas, ab se mulctari
posse longè grauiori pœna; itaque culpam prompto nunc obsequio redime-
rent.*

rent, præsertim quum eam ipse pecuniam non sibi conquireret, aut in Hispaniam Regi transmittendam: sed prouinciarum securitati contra temporum aduersa munimentum pararet. Simul contumacioribus aliquot ciuitatibus priuilegia adimit, alijs præsidia imponit, omnibus metum inijcit. Quo factum est, vt prouinciarum pleræque centesimam consenserint: aliquæ hoc tributum præsenti ære commutauerint. Nonnullæ tamen quasi amplius deliberaturæ, in Hispaniam legatos mittunt, decimam deprecantes; centesimam, supra quam nihil possint, offerentes. Quam profectò prouocationem quamquam Albanus iniquissimè tulit, veritus æmulorum potentiam apud Regem; dissimulandam nihilominus existimauit: atque ad demulcendos populorum animos, generalem culparum veniam ob proximas turbas, quam diu distulerat, hoc demum tempore promulgare statuit.

1570

& re castigat. — *Transigunt aliqua cũ Albano.* — *Aliqua in Hispaniam mittunt.* — *Traiectum ad Rhenum. Vtrecht.* — *GENERALIS culparum pro Belgis venia.*

FLAGITAVERAT illam à Rege condonationem tribus antè annis Margarita Parmensis: quòd videret, quotidie Belgarum plurimos suppliciorum metu anxios, aut aliò commigrare, aut turbarum socios in Belgio sibi adsciscere, quasi tutiores ob numerum. Quippe MVLTITVDINI faciliùs condonatur: &, vbi omnes delinquunt, nemo plectitur. Sed Rex misso, non nisi post biennium, veniæ diplomate ad Albanum, & is additâ vnius anni morâ ad eius promulgationem; vterque magnam gratiæ partem, cunctando corrupêre. Nihil tamen Albanus omisit, quo magnificè id beneficium Belgarum populis exhiberet. Nam profectus Antuerpiam, indictamque supplicationem ad primarium Virginis templum superbo ipse ornatu comitatus, post concionem ab vrbis Episcopo Belgicè habitam, sacrificanti Cameracensi Archiepiscopo cum regio Senatu interfuit. Sub finem Sacrificij ab eodem Cameracensi perlectæ sunt Pontificis Pij Quinti litteræ, quibus hæresi implicitos absoluebat. Addidit Atrebatensis Episcopus super eodem argumento Gallicam orationem, populum cohortatus, grates vt Deo ageret pro ea Pontificis, Regisque clementia, & Albani Gubernatoris operâ. Quæ dum pluribus extolleret, repentinis doloribus correptus, atque è suggesto sublatus, multis ad superstitionem omnia trahentibus inauspicatò dixisse, successuque non fauente suscepisse causam visus est. Ad vesperam verò Albanus Nobilium stipatus agmine in forum maximum venit. forum infinita hominum multitudo oppleuerat, disposito ad capita viarum milite, ac multitudini passim immisto. Ipse conscenso ligneo theatro, conspicuum auro solium sublimis insedit, sacro accinctus gladio, & galero tectus, quos religione gemmisque pretiosos à Pio missos antè memoraui. Tum præconem iussit, propè stantem recitare diploma Regis, quo præteritorum obliuio,

à Gubernatrice Parmensi olim petita. — *25. Mart. 16. Iul.* — *A Rege serò missa ad Albanum:* — *& ab hoc etiam dilata.* — *Promulgationis cærimonia maturata.* — *16. Iul.* — *Supplicatio.* — *Concio Belgica.* — *Sacrificium.* — *Litteræ Pij V.* — *Oratio Gallica.* — *interrupta.* — *Pompa vespertina.* — *Theatrũ in foro.* — *Albanus in solio.* — *Ex litteris Com. Mansf. fol. 9. Aug. ad Marg. Parm.* — *Regis litteræ à præcone gallicè Belgicèque recitatæ.*

1570 uio, turbarumque venia Belgarum populis tribuebatur. Quod ille Gallicè Belgicèque præstitit, adeo rauca compressaque voce, vt quàmpaucissimis perceptus sit: siue id casu euenerit, siue Albani studio quæsitum, qui malebat beneficium ex ea pompa, sparsoque magnificè de generali venia rumore, quàm ex ipso veniæ diplomate, cui tam multæ exceptiones inerant, à Belgis æstimari. Sed planè contrà accidit. Namque ex ipsa apparatus magnificentia, sibi summa quæque polliciti, quidquid infra opinionem accepere, detractum sibi querebantur. Accessit quòd multitudo, quæ procul à theatro spectabat, ignara quantum cuique condonaretur, facilè ab ijs, qui consultà operà beneficium Regis extenuabant, in errorem inducta est. & eorum non pauci, qui propiùs astiterant, ob ea exceptionum capita, non satis sibi adhuc tuti videbantur. Certè obseruatum est, plerosque domum suspensò animo rediisse, nec vllum festis in nocte facibus ignibusque, contra quàm Albanus sibi persuaserat, edidisse gratulationis argumentum. Interea in Belgium venit Anna Maximiliani Imperatoris filia, quæ post Caroli Hispaniarum Principis mortem, cui destinata coniux fuerat, Philippo Patri desponsa tunc erat: perpetuo Caroli fato, vt vxores sibi designatas pater aut viuo præriperet, aut in mortui locum duceret. Hanc vt in Hispaniam Albanus ipse comitaretur, enixè flagitauerat à Rege: honorificum ratus, per eam occasionem abire Belgio satis ab se in præsens repulsis hostibus conseruato, ac fundatis arcibus, vti putabat, in posterum communito. Et quamquam initio Rex assensus non est, dein tamen offensus aliquibus, quæ in administratione Albanus egerat, quòdque turbarum veniam non vti mandatum fuerat promulgasset, (si comperta scripsit ad Margaritam Parmensem Ducem, Mansfeldius Comes, Albano pridem alienus) reuocare illum è Belgio statuit, successoremque nominauit Regiæ nobilitatis virum Ioannem à Cerda, Medinæ cæli Ducem, Nauarræ Proregem: qui tamen non nisi biennio pòst Belgium adiuit, ac breuì remissa alijs ea bellorum mole, rediјt in Hispaniam. Quo tempore venturam ad regnandas prouincias, cum Granuellano Cardinali, Mariam Lusitanam Alexandri Farnesij coniugem, toto Belgio peruulgatum: quamquam omnium vota in eius socrum Margaritam Austriacam Parmensem Ducem conuersa erant. At verò Albanus (quando successor non dabatur) relicto negotio deducendæ in Hispaniam Reginæ Maximiliano Bossuuio, maris Belgici Præfecto: additisque pro se Ferdinando Toletano filio, Cæsare Daualo, & cum sua legione Mondragonio: (breuì dein reuersis in Belgium præter Daualum, qui Ioanni Austriaco in Actiaca pugna, ac Tunetana expeditione adhæsit) ipse interim ad exactionem deci-

Ex litteris Assonuilij 17. Iul. ad Marg. Par.

Sed paucis audita:

& non multis grata.

11\. Aug.

Anna Philippi Regis sponsa.

Isabella Henrici Regis, & Anna Maximiliani Imp. filia.

Deducere illā in Hisp. cupit Albanus,

& abire Belgij præfectura.

Rex assentiebatur:

15\. Sept.

nominauitque successorem.

qui diu aduentū distulit.

Interim sponsa deducendæ negotio alijs dato.

mæ,

mæ, vigesimæque rediji, conditionibus, sæpe ab se mutatis, à populis 1570
sæpe reiectis, pari vtrinque pertinacia. Pertinaciam Belgarum augebat rumor de Albani successore, populis optatus, eòque creditus. vnde ijs minor à cadente metus, ac maior Albano indignatio, tamquam fini eius præsultarent.

Ipse ad exactionē decimæ redit.

INVNDATIO per Belgium.

ACCESSIT & alia dissentiendi ab Albano causa, ex noua subitaque prouinciarum calamitate. Etenim nocte ante lucem, Sanctorum omnium venerationi sacram, intumescens præter modum Oceanus; atque aggeres alicubi supergressus, alibi demolitus, tam prodigiosa, ac supra omnem Belgarum memoriam alluuione contexit aliquot Zelandiæ insulas, magnam littoralis Hollandiæ partem, totam ferè Frisiam, vt exundationem illam, quæ ante annos quadraginta tumulasse dicitur pagos omnino duos ac septuaginta, vnius altitudine pedis excesserit. Strage non modò fortunarum planè incomparabili, sed hominum vel in sola Frisia viginti millium, quos mare hausit accessu recessuque iuxtà sæuum. quorum, iumentorumque cadauera vnà cum domorum supellectili, fractorumque tabulis nauigiorum, per campos nullo iam maris ac terræ discrimine fluctuantia, non aliam ferunt obtulisse oculis imaginem, quàm pereuntis olim Noëtica eluuione orbis terrarum. Inuenio in Frisiorum annalibus, à cimbis per insecutos dies à Magistratu immissis ad colligendas naufragij reliquias, mortalium permultos collibus atque arboribus superstantes, extremumque pænè spiritum trahentes, in tempore exceptos fuisse. interque eos Sneccensi in colle repertum infantem, illuc cum fele cunis aduectum, placidissimè dormientem, diluuij naufragijque vnicè securum. Hac igitur Albanus maritimi Belgij iactura permotus, menses aliquot abstinuit à suscepta contentione, non satis animi certus, quid sibi vniuersè agendum exinde foret. Namque in eius quoque aula opinionibus scissa, variè differebatur. prudentioribus palàm affirmantibus, *Falli rationes Albani, qui sibi persuadeat, ærarium supplendum eo tributo, quod ad egestatem prouincias redacturum sit, ideoque nec diu processurum. Perperam illum gloriari, scriptis etiam ad Regem litteris, compendio vectigalis pecuniæ reperisse se Peruanas auri venas in Belgio. Nempe euenturum ei, quod Antigoni Regis procuratori: qui enato repentè apud Edepsum riuo ægrotis perquàm salubri, quum vectigal aquas bibituris imposuisset, elusa statim auaritia, scatebra simul & vectigal exaruit. Profectò mercaturam quoque simili tributo damnatam, abituram è Belgio, atque adeo tributum ex ea omne cessaturum. Quanto consultiùs fecisse Carolum, qui quum agitasset de centesima mercibus imponenda, iactura admonitus, quam ex alienatis inde mercatoribus, ac translatis aliò commercijs acciperet, nouitatem abrogauit? & quid Belgio superesse mercatura*

1. Nouemb.

supra omnem memoriam.

1530.

Strages.

Apud Pier. Vuinsemiū l. 2. hist.

Mira res.

Ob hanc calamitatem quiescit Albanus ab exactione.

Aliqui illam omnino dissuadent.

Athen. l. 3. Dipnos.

1572 *tura exuto, nisi à paupertate solitudinem, & à locupletatis circà populis seruitutem?* Non tamen contrà deerant, qui ærarium memorabant exhaustum bello non sponte Hispanorum gesto, sed iniecta necessitate à turbatoribus prouinciarum: ideoque par esse, prouinciarum pecuniâ tanto tunc quidem opportuniùs suppleri, quanto propiùs Anglorum arma ostentarentur. Nonnulli, vt decimæ authores Albano fuerant, ita propositi constantiam asserebant: specie retinendæ dignitatis, re autem vera vt ei apud prouincias inuidiæ atque odij summam conficerent, cui succumberet. Quorum consilia, quia ingenio consentanea, homo ad asperiora pronus arripiebat. Itaque contemni Maiestatem Regis ea Belgarum tergiuersatione minaciter questus, noua edictum moderatione temperatum remollitumque, Bruxellensibus, à quibus præsens ipse promptum præ ceteris obsequium sperabat, promulgari iubet, nihil vltrà mutaturus. Sed ij coniunctis vsque adeo animis repugnarunt, vt clausis institorum officinis, toto eo die pistores, lanij, tabernarijque ab opere cessauerint. Enimverò iræ præceps Albanus, quòd videret, se coram, in principe vrbe, ac terroris domicilio, tantam plebi confidentiam esse; illa ipsa nocte suspendi imperat ex eis aliquot pro foribus tabernarum. Iamque miles in armis, lictor cum laqueo præstò erant; quum nuncius de Brila à Gheusijs capta, tamquam Deus è machina, implexæ funestæque tragœdiæ nodum ac laqueum repentè soluit. Nam perculsus inopinata clade Albanus, omittit tandem odiosam quæstionem, duos ipsos annos non alio fructu agitatam, quàm vt auctâ in Hispanos inuidiâ, defectionis agitandæ consilium maturaret. Et sanè patuit, quàm acre telum ad rebellandum tributa sint, quum grauiora populis aliunde commotis imperantur. Etenim Belgarum querelæ de Albani seueritate superbiaque, non vltra exsecrationem atque odium fuere. Certè venienti nuper Orangio cum exercitu nihil auxilij ab offensis Albano ciuitatibus allatum est. Nam supplicia denique paucorum sunt, quantumque multitudinem odio stimulant, tantum metu retardant. At verò tributum propria cuiusque iactura ducitur, qua qui se grauiùs premi vident, cum re proijciunt quoque metum, nullâque futurorum discriminum curâ, auertendæ præsenti tantummodo iniuriæ detrimentoque Ducem quærunt. Id verò cùm alijs gentibus, tùm maximè Belgis vsitatum, quorum plerosque, ac Hollandos in primis, exemptos olim oneribus & collationibus, inque vsum præliorum sepositos à Romanis velut tela atque arma, legimus in eorum annalibus. Nec alia rebellandi causa Belgarum populis quondam fuit, Tiberio Principe, nisi quòd Olennius regendis ijs terris impositus tributum antea modicum augeret, auctum inclementiùs exigeret. apud quem quum nihil

Alij æquâ & necessariam contêdunt.

Aliqui Albanũ fallunt.

Ipse edictum denuo moderatur,

ac tertiò proponit.

Non recipiunt Bruxellenses,

insigni contumacia.

April. mense.

In quos vim & laqueos parat Albanus.

Plura Orang. in Apolog. an. 1581.

Sed aliò repentinus nuncius hominem auocat:

& cogit omittere tributa.

Ea magis nocuere Albano. & Belgis occasioni potius fuere rebellandi, quàm supplicia.

Hollandi olim immunes à tributis.

Tac. de mor. German.

& ob ea rebellarunt à Romanis.

Idem l. 4. Annal.

hil preces quęstuſque valuiſſent, remedium ex bello ſumptum; 1572
quod multis exinde luſtris obſtinatè cum Romanis ducibus geſtum eſt. Ac mihi quidem in Orangij conſilia inſpicienti, quæ parando ille dominatui, tentatâ ſæpius aleâ, dirigebat; tunc videlicet admota fuiſſe ſpei videntur, quum hæc tributorum occaſio denique oblata eſt. Etenim mouit is aliquid ſub Margarita Parmenſi, per eas Epiſcoporum, Quæſitorumque, & Concilij Tridentini turbas. Quibus tamen Regis indulgentiâ compoſitis, pleriſque Optimatum Gubernatrici addictis, veritus in primis Egmontium non paſſurum ex amico Principem; non vltrà tunc quidem progredi eſt auſus. At Albano ſupplicia exercente, abalienata nobilitate, coniectus ipſe in reorum numerum damnatuſque; communem, vt videri voluit, cauſam cum priuata vltro coniunxit, atque arma palàm induit, quaſi famæ ſecurus, quòd haberet, cuius odio bellum imputaret. Sed ciuitatibus ſubita illa pœnarum ſeueritate perculſis, expertus eſt Orangius, inter initia timoris, (cuius nempe acceſſus validiſſimus eſt, diuturnitate verò minuitur, excutiturque) fruſtra populos crudis adhuc humoribus inualidos ad defectionem ſollicitari.

Et nunc ob eandē ſollicitat Belgas ad defectionē Orangius.

Tentatis ſæpe aliijs ad rebellandum viſs.

Verùm vbi moleſta tributorum quæſtione ciuitates Hiſpano fidæ pariter ac dubiæ vrgeri cœptæ ſunt, gliſcente omnium odio, metumque ſuperante, auctâ præſertim ex Albani diſceſſu populorum audaciâ; tunc enimuerò intellexit Orangius maturandæ rebellionis, fundadique, quod diu moliebatur, imperij tempeſtatem adeſſe. Itaque dum totus in eam curam Albanus enixiùs incumbit, imminens occaſioni Orangius populos ab Regis obſequio retrahendi, firmatus occultis complurium ciuitatum conſilijs ad defectionem iam ſpectantium, lecto per otium milite, eas belli faces intulit Belgio, quæ tot annorum ſpatio nullis vrbium concidentium ruinis opprimi, nulliſque cruoris extingui fluminibus potuere.

Nunc demum fit vots compos.

populis audacioribus ob creditū Albani diſceſſum à Belgio.

COEPTVM eſt à Batauico mari bellum: quaſi iam tum vires ſuas præſenſerint, & qua parte dominaturi aliquando eſſent, principiò intellexerint. Et ſanè quum in eam rebellionem intenderint, attentauerintque ſæpenumerò Gheuſij, tum qui in vrbe degentes, vrbanique dicti: tum qui ſaltus obſedêre, ac ſiluestres nominati; ſoli demum aquatiles (ſic enim, & maritimi quoque anſeres vulgò appellati ſunt) felici rem audacia confecêre. Horum Dux aquatilium Gheuſiorum fuit Gulielmus Comes à Marcha, Lumæi Dominus, odium in Albanum profeſſus, depictis in vexillo decem monetis, ad decimi nummi memoriam inuidiamque militibus inſerendam. Commilitones fuere primi, Gulielmus Bloſius Treſlongus, Lancelottus nothus Brederodij filius, Bartholomæus Enteſius, Sonoius, alijque complures: quibus mandauerat Orangius, prædatorijs nauibus

CLADES à mari Albano illata.

Aquatiles Gheuſij.

Dux eorum,

& primarij comites.

1572 uibus oram Hollandiæ, Prisiæque infestam haberent. Illi Hispano- *Piraticam exercent.*
rum odio, ac prædarum cupidine, quarum quintam Orangio par-
Ems. tem pendebant, quantum ab Amisiæ fluminis ostio ad fretum vs-
que Britannicum patet, piraticis excurrebant nauigijs: habebant-
que, si quando aut ab occursu plurium, aut à tempestate declinan-
dum erat, in Britanniæ portubus plerunque perfugium. Qua de- *Portubus Anglicis prohibentur.*
mum statione ceu communes hostes prohibiti Reginæ iussu ab Du-
ce Albano rogatæ, dum Cantabricam inuadunt nauim, atque diri-
piunt, aduersa ventorum vi in Vornam Hollandiæ insulam defe-
runtur. Ibi pro mercatoribus habiti tempestate illuc eiectis, discri- *Brilam capiunt.*
mine in audaciam verso, Brilam insulæ portum adoriuntur, &,
priusquam oppidani bellum aduehi non merces intelligerent; in-
sperabili successu, nemine obsistente capiunt Dominico Palmatum
1. Apr. die: ac Lumæio præeunte, fractis Diuûm imaginibus, nullâque *In res sacras debacchantur.*
omissa in res sacras, sacrumque ordinem irreuerentiâ, portum ita
communiunt, vt accurrentem Albani iussu, cum aliquot signis,
Bossuuium Comitem, Hollandiæ Præfectum, non modò strenuè *Auxiliû Hispanorû repellunt.*
repulerint, sed etiam nonnullas eius naues ab alijs fortè seiunctas
Gul. Blosius Tresl. ductore Gulielmo Treslongo, insigni confidentia, in hostium con-
spectu succenderint. Ad captæ insulæ famam, tamquam ad signum
prouincijs elatum; mirum profectò, quanta per Belgium repentè
mutatio consecuta sit. Quippe ciuitatum complures Fœderatis vltrò *Hinc mira rerû mutatio.*
fauere, nonnullæ etiam inuitare: aliæ inter vtrosque mediæ nec Al-
banum pati, nec ab Rege deficere: paucissimæ obsequij memores pro
Dordrecht Hispanis arma libenter induere. Namque Dordracum, primaria *Dordracum ab Hispanis desicit.*
Hollandiæ vrbs, confugienti ad eam Bossuuio, ingressumque mili-
bus suis petenti, sparso callidè rumore, aduentare Hispanos decimum
nummum exacturos, portis hostiliter occlusis, pernegauit. Flissin-
ga, Zelandiæ portus, & Oceani claustra, ipso Resurgentis Domi- *& Flissinga.*
ni die, Parocho inter sacrificandum, (vt fortè erat ab Hispanis alie-
nus) ad libertatem populum, qui Sacro intererat, adhortante; Hispa-
num præsidium eiecit, eo furentium tumultu, vt Tribunum Aluarum
Pacechum Albani propinquum suspendio necauerint, imperatà
eiusmodi mortis ignominiâ à Treslongo, vlciscente (vt ipse aiebat)
Io. Treslongus. Ioannis fratris necem capite damnati ante quatuor annos à Guber-
natore Albano: eandemque vrgentibus idcirco hæreticis, ne videli-
cet veniæ locum tanto facinori ab iusta Gubernatoris ira Flissingani
sperarent. Nec multò post Enchusa Frisiæ obiecta, qui vnus supere- *& Enchusa.*
rat è præcipuis Hollandiæ portubus, ab Duce Albano defecit. En-
chusam secuta sunt Horna, Alcmaria, Edamum, aliaque Borealis *& omnis ferè Hollandia.*
Oudewater. Bataujæ oppida. ad Austrum verò Gouda, Veteres aquæ, Lugdu-
Leyden. num, Goricomium, ac præter Amstelodamum, & Schonouiam

& magna Zelādiæ pars. Hiſpanis fida, omnis ferme Hollandia, ac magna Zelandiæ pars 1572
Albanum deſeruere: *abiecto Albani metu,* excuſſo vſque adeo viri metu, atque in ludum pænè conſumpto, vt iocularibus eum libellis vltro laceſſerent: & *atque in ludum ex Brila appellatione conuerſo.* captâ ſtatim Brilâ, Albani effigiem grandibus irridendam conſpicilijs, quæ ei à tergo Lumæius imponebat, paſſim expingerent. Nempe vt, quoniam Brilla à Belgis conſpicilia vocantur, idemque apud eos facetè dicitur, naſo ocularia vitra ſuſpendere, ac ori frenos inijcere; infrenatam iam eſſe Albani ferociam eo deridiculo commoſtrarent: ignari, quanta ſibi ab Duce inanium videlicet contemptore, malorum ilias immineret. *Rebelles ciuitates Orangio ſe dedunt.* Et quamuis ex ijs, quas memoraui, ciuitatibus, initio nutauerint aliquæ, certæ quem fugerent, incertæ cui ſe dederent; tamen partim diffiſæ ſuorum magnitudine ſcelerum aduersùs Sacra, Sacerdoteſque: partim nouum tributi onus obfirmatis iam animis haud vnquam paſſuræ, ad Orangij tranſiere partes, in eiuſque tamquam Regij Præſidis verba, Lumæio curante, iurarunt: *Noua ex illis Reſpub.* ab eo præſidiarios milites, naues, arma: ab eo locorum præfectos, ac leges: ab eo reditus ex ſacri Ordinis cenſu præreptos accepere. *prædatorijs nauibus ſupra modum auctæ.* tanta confluentium ex Gallia, Britanniaque, multitudine, prædarum ſpe; vt quatuor intra menſes, Fliſſingano in portu ſteterit inſtructa centum quinquaginta nauigiorum claſſis, auſa Hiſpanarum partium oppida, ac naues frequenter inuadere: *& mari plerumq; victrix.* cum quibus & proſpero tunc ſucceſſu ſæpe pugnaſſe, & deinde intra decennium (quo tempore aliquoties bellatum eſt mari) Hollandos ſemel victos, victores fuiſſe ſemper, Hiſpani ipſi ſcriptores affirmant. Vt profectò ijs iam tum proluſiſſe victorijs videantur, quibus *Ber. Mend. l. 16.* hac tempeſtate, nimis quantum maritima Hollandi potentia per Oceanum excreuit. Atque in hunc denique modum noua hæc extitit ab aquis Reſpublica, parente ambitione, obſtetrice hæreſi, terrore *Occaſione ex tributo ſumpta.* ceu tonitru ante tempus emiſſa. Sanè quum de hac poſtrema rebellionis occaſione quereretur, ſcribens ad Margaritam Parmenſem *24. Iul. an. 74.* Ducem Namurcenſis Epiſcopus, ad extremum conficit, Hoc decimæ vigeſimæque pretio emptas eſſe Orangio maritimas prouincias, nouumque Principatum. Verùm hæc adeo multiplex, ac repentina ciuitatum defectio, etſi Albanum, auditis alijs ſuper alias *Deficiunt & aliæ ciuitates.* cladibus, magnopere commouit; namque in Zutphania, Tranſiſelania, Geldria, Friſiaque non minores interea proceſſus habebat affinis Orangij Gulielmus Comes Bergenſis, vrbibus oppidiſque partim vi captis, partim ſponte, aut metu deditis. *Doesburgū, Zutphania, Hardermouicum, Oldenſalia, Campi, & alia.* Tamen, vt Hiſpanus intentâ erat in Gallos curâ, timebatque Belgio tempeſtatem à terra non à mari, nihil æquè hominem perculit, ac nuncius *Montes à Ludouico Naſſ. capiũtur: Gallis adiuuantibus.* de Montibus, Principe Hannoniæ vrbe, à Ludouico Naſſauio ope Gallorum captis. *Mont. 25. Maij.* Verebatur enim, ne belli principium id eſſet,

quod

1572 quod Carolus Galliæ Rex, Ludouici Nassauij, Gasparisque Colinij suasu, illaturus vulgò ferebatur. Etenim Carolus pace cum Hugonotis vtcumque composita, eorumque primoribus in gratiam aulamque reuocatis, à Colinio illorum duce persuaderi sibi passus dicebatur, vt pro Nassauijs arma submitteret in Belgium. Iamque legebatur per Galliam miles: Coliniusque, quoniam dux expeditionis destinatus erat à Rege, florem hæreticæ nobilitatis Parisios euocauerat, specie Nauarræas nuptias honorificentiùs concelebrandi, re vera autem vires accessu Nobilium confirmaturus. ægrè eorum nonnullis, & quidem callidioribus, in potestatem Regis sese committentibus, mirantibusque, Colinium, qui paucis antè annis Regis nomine inuitatus in aulam præcautè responderat, *In Gallia non esse Comites Egmontios*; nunc tantâ confidentiâ se sociorumque præcipuos Regia in vrbe, Caroli arbitratu, concluderet. Ipse tamen, quòd iam videret, occupatis à Gallo Montibus, læsam cum Hispano pacem, ictumque eâ gratiâ fœdus cum Angliæ Regina; belli nequaquam dubius auxilia quanta poterat à Germaniæ Principibus contrahebat, Belgarum Nobilium fidem pertentabat, ipsumque castrorum in Belgico exercitu Præfectum per certum hominem aggressus, primos ei in Gallica militia honores fructusque pollicitus est, si ad partes Caroli Regis iam iam potituri Belgio maturè transiret. Quumque semel reiectus non desisteret animosus non minus fidei emptor alienæ, quàm venditor suæ; indignatus acceptis eodem internuncio litteris Vitellius, atque in ignem, vt erant obsignatæ, illo præsente coniectis, facessere ab se protinus hominem iussit, & factum responsi loco ad Colinium referre.

ADMONITVS à Vitellio Dux Albanus, simulque ab Hispano apud Carolum Oratore certior factus, quid in horas Parisijs molirentur hæretici, quamquam initio hostem Carolum non crediderat, quippe conscius (vti aliqui scripsere) quid aduersùs hæreticos agitaret animo Rex; tamen auditâ Montium iacturâ, non vltrà Regi fidendum ratus, neglectâ maritimi belli curâ, Federicum filium, & Chiapinium Vitellium, cum parte copiarum obsidendis Montibus præmittit: ipse cum reliquo statim exercitu secuturus. Venientem Federicum egressæ Montibus selectæ aliquot Gallorum cohortes subitariâ excepere pugnâ, ne castris locum caperet Hispanus obsistente nullo. Certè ad famam pertinere existimarunt, specimen sui aliquod præbere hosti à mœnibus procul habito. Quamuis autem in ea velitatione sauciatus à plumbea grande Vitellius in sinistra tibia, curam haud leuem Regijs incusserit, castra tamen, quo ipse destinauerat loco, posuere. Et altero quidem, postquam ea locauerant, die, repertæ sunt per stationes militum, Montenses ali-

quot

Marginal notes:

Carolo Rege conscio.

Colinio auctore.

Qui se nimium confidenter Regi credit.

Ch. Vitellius.

Sollicitat Belgas ad defectionem.

Vitellium pertentat.

Huius praeclarum facinus.

DE MONTIBVS ab Albano recuperatis.

I. B. Adrianus l. 18. & Thuan. l. 36.

Federicus Albani fil. ad obsidendos Montes contendit.

Pugnat cum Gallis de sua tutiori castrorum positione.

Castra tamen ponit.

Mulieres exploratrices.

quot mulieres ab vrbe digressæ, per speciem olera vendendi, Hispanorum agmina & consilia explorantes. quæ Federici iussu, de- *1572*
plectuntur. curtatis paulùm supra genu vestibus (militari huius sexus ignominia apud Hispanos, antiquissimæ Ammonitarum consuetudinis *Ber. Mend. lib. 6.*
non absimili) per castra primùm traductæ exsibilatæque, dein Mon- *2. Reg. c. 10.*
Espinense cœnobiũ expugnatur. tes cum eo dehonestamento remissæ sunt. Nec multo pòst Espinense cœnobium, quod vrbi proximum Montenses insederant, ibi ab Hispanis tentatum, demum eiectis inde acri pugna præsidiarijs captum est.
Exercitus à Colinio submissus, At non segnior interea Colinius liberandæ obsessæ vrbi pedites equitesque in limite conscribebat, præfecto subitæ expeditioni (Regis, vt aiebat, iussu) Ioanne Hangesto Ienlisij Domino, Francisci Ienlisij nuper extincti fratre. Is, quanquam per expeditum nuncium admonitus à Ludouico Nassauio, ne pugnam iniret,
cum Federico confligit: antequàm venienti Orangio sese adiungeret; impatiens moræ, atque consortis, cum quo communicaret laudem liberandæ vrbis: ac militum (sex septemue millia erant) alacritate fretus, cum Federico nullam impigri partem ducis omittente, ferociùs quàm cautiùs
vincitur. collatis signis apud Sanctum Gislenium non procul ab obsessa vrbe, magna suorum strage, profligatus est. Quo sanè die admirationi fuit Vitellij audacia. Qui recens à vulnere quum ingredi, aut
Vitellij audacia. consistere non posset, & tamen abesse à pugna non sustineret; obuiâ fabrûm sandapilâ gestari se voluit: in eaque semistratus aciem cum Federico duce disposuit, insidias struxit, quæque Præfecti castrorum sunt, peregit omnia. Tum primo in agmine, inter dimicantium tela conspicuus, voce, manu, præsentiâ ipsâ, plurimùm profectò valuit ad victoriam. quæ tamen illi, recrudescente pòst vulnere, ac desperatâ valetudine, tantùm non attulit supremum *Barella.*
cæsi & diem. Desiderati dicuntur ex Ienlisianis mille ac ducenti, quum ex
captiui. Hispanis triginta tantummodo cecidissent. Ipse Ienlisius, ac sexcenti milites, inter quos Nobiles ferme sexaginta, in manus Hispanorum deuenere: ex iisque partim in vicinas arces abducti, partim su- *Thuan. l. 54. Hispanos viginti cæsos numerat. totidē Io. Meursius l. 7. & Ber. Mend.*
Reliquiæ à rusticis trucidata. spendio necati. Reliquos, qui ex infelici prælio in siluas saltusque profugerant, locorum ignaros rustici paulo antè crudeliter ab eis
Victoris exercitus lætitia. habiti, pari crudelitate confecere. At Federicus, cuius ab ea pugna virtus inclaruit, reducto victore exercitu in proximum pagum, ad agendas publicè gratias Diuæ Leocadiæ, Toletanæ vrbis tutelari (cuius ibi corpus tunc quidem asseruabatur) diem militari pompa transegit. &, quo rei famam per Hispaniam augeret homo & patratione operis, & ostentatione magnificus, misso Centurione Bobadilla, victoriam Regijs armis auspicijsque relatam Philippo Regi gratulatus est. *Relata est Toletum an. 1587.*

INTEREA Princeps Orangius rebellium prouinciarum spe famaque


Montium recuperatio
A. Montes, Vrbs Hannoniæ.
B. Monasterium Espilenęum, ex quo repulsi Montenses à præmissis Albani copijs.
C Pugna inter Gallos Ienlisio Duce, et Hispanis Duce Federico Albani Fil.
D. Chiap. Vitellius saucius aciem instruens.
E. Ienlisiani profligati.
F. Circumuallatio.
G. Castra Ducis Albani.
H. Locus unde uerberatio in Vrbem.
B
R
C
E
I
L


no Gubernatore. 1572.
Orangij exercitus Montes liberaturus.
Pugna inter Catholicos et Orangianos.
Orangius suos animans.
Albanus suos immittens.
Cohortes Albani in subsidium properantes.
Equitatus Albani eòdem tendens.
Mulieres Montenses exploratrices detectæ.
Festi ignes ob nuncium cædis Bartholomeanæ.
Castra Orangij recedentis noctu aggressa ab indusiatis Hispanis.

Expeditio secunda Orangij è Germ. in Belg. ad liberandum Lud. fratrem.

Ruremundam expugnat.

Louanium muletat.

Mechliniā capit.

1572 que auctus, secundam in Albanum expeditionem confidentiùs adornauerat. trahensque sex millia equitum, peditum vndecim millia, ineunte Iulio, transmissis Rheno ac Mosa, expugnatâque crudelem in modum Ruremundâ; Brabantiam infestus ingreditur, Hannoniam, liberando Ludouico fratri, petiturus. In via paulùm diuertens, Louanium fidam Regi vrbem aggreditur, acceptisque sexdecim aureorum millibus, à vi abstinet. Mechlinienses recusato paulo ante Hispanorum præsidio, eòque impares sponte se dedunt. Idem fatum fuit Niuellarum, Diesthemij, Sichemij, Tillemontis, aliorumque oppidorum ad partes metu aut studio transeuntium. Bruxellæ obsequij constantes Orangium repulere. Teneramunda, atque Aldenarda vi captæ, direptæque. Pagi plerique aduersùs arma inualidi, oblatâ pecuniâ hostilem iniuriam redemerunt. Et profectò miserum, si vnquam, hac tempestate Belgium fuit, quatuor exercitibus hostium, à mari, à terra pariter appetitum. Quum prouinciarum maritima Lumæius, Gallis finitima Nassauius, Germanis contermina Bergensis, media vexaret Orangius. Neque tantummodò subigerent vrbes, repugnantesque trucidarent, ac domos militari licentia auaritiaque diriperent: sed barbara immanitate, nullius ætati, pudoriue parcerent: in sepulcra, & requietem mortuorum desæuirent: omnes æquè noxios haberent: in Sacra præsertim Sacerdotesque fanatici furerent, eosque (nec vllum vitæ pretium erat) quæsitis ad ignominiam cruciatibus mactarent. Quam sacri ordinis carnificinam à Gheusijs, & à Lumæio Gheusiorum immanissimo, plerisque in vrbibus peractam, fuere qui non minore istorum conuicio, quàm illorum præconio, litteris consignarunt. Et quamquam alicubi Regij milites, si Sacrorum iniuriam excipias, inclementer & ipsi victorijs postmodum vsi sunt: quia tamen id à Gheusijs ad Brilam est cœptum, direptâ etiam contra fidem iureiurando obstrictam, Amorfortiâ; Hispanorum ferocia quasi ab exemplo veniam mereri aliquam videri potuit. Certè hoc nomine Orangij militia, ex hæreticorum annalium confessione, per Belgium infamis fuit: & qui eum suscepisse arma crediderant asserendo aduersùs Albani dominationem Belgio; nunc verò nullo amicorum hostiumue discrimine infensum omnibus, atque adeo se in plures ac truculentiores incidisse Dominos querebantur. Sed Orangius, spreto interim ciuitatum odio, Hannoniam in conspectum obsessæ vrbis venit, medio Augusto mense: reperitque Albani, qui illuc aduolauerat, copijs obsessos opinione grauiùs laborare: miratus castrorum munitiones non magis obsidendæ vrbi validas, quàm auxiliarium aggressionibus imperuias. Pleraque tormenta è colle portam Bartimontiam impetebant: vnde ad læuam ducto aggere fos-

Diest. Tilemon. — *Et alia in via. præter Bruxellas.* — *Quatuor hostiles exercitus Belgiā vexant.* — *Guliel. à Marcha. Ludouic. Guliel.* — *& in res sacras, & in sacerdotes desæuiunt.* — *Guliel. Estius Gorcomianus de crudelitate in 21. martyres Gorcomienses. Surius in comment. Arnol. Hauensius l. 3. de erect. ep.* — *Inde malè audire cœpit Orangij militia.* — *Io. Meurs. in Orang. l. 2. & alij.* — *Sed ipse Montes properat.* — *Miratur Albani castra obsidentis vrbem.*

sâque

sâque præmunito vrbs pæne claudebatur, crebris per interualla castellis mutua ope tutis, & interiecta militum statione firmatis. Hæc porrò munimenta dum Orangius copijs suis è vallo eductis frustra perrumpere conatus, leuibus interea prælijs decertat; (nam dei summa non agere certum Albano erat) audit, in Hispanorum castris, sub primas tenebras, ingentis lætitiæ signa hostes edere, scloporum explosione ter repetita, læto tympanorum tubarumque cantu, ac toto circùm vallo festis ignibus collucente; sollicitusque, quid illud esset, clàm ab exploratoribus certior fit, duobus antè diebus, Parisijs patratam esse, Regis Caroli iussu, memorabilem illam Hugonotorum cædem: quam, quòd in nuptijs peracta est Henrici Nauarræi Regis, (qui posteà Galliæ Rex fuit) & Margaritæ Caroli sororis, ipsâ Diui Bartholomæi nocte; Bartholomæanas noctes, seu Parisienses nuptias appellarunt. Ingens profectò facinus, sed meritum coniuratæ in Regem factioni supplicium. certè de eo admonitus à Lotharingo Cardinali Romanus Pontifex, egit in D. Ludouici templo, quò ipse instituta supplicatione se contulit, vltori Deo grates: edito amplissimæ indulgentiæ diplomatê, ad Regi regnoque cælestis opem Numinis implorandam. At verò consternatus inopinato casu Orangius, deque belli euentu dubius, quando interfectis Colinio, & reliquis hæreticorum principibus, nulla ab Rege factioni aduerso sperare posset auxilia; quàmprimùm tentandam cum Albano aleam existimauit, antequam rei fama permanaret ad milites. Sed Albanum militiæ prouidum munitis se castris continentem, atque ex eis vrbem tutò verberantem, quum neque inuadere, neque inde pertrahere in aciem posset, veritus ne Gallorum Duces, præcipuum robur exercitus, audita Parisiensi cæde, mutato consilio dilaberentur; Ludouico fratri significat, rebus suis vt consulat, fatisque cedat. simul ipse Mechliniam exercitum reducit, non sine clade aliqua, vt in receptu euenire solet, accepta. Namque selecti Hispani pedites ferme ducenti, atque octingenti circiter equites, omnes, quo se per tenebras internoscerent, indusiati, hostium castra noctu repentè adorti, trucidatis primis stationarijs, vicina contubernia, stragem terroremque circumferentes, inuadunt: ac priusquàm ad arma conclamaretur, non paucioribus quadringentis hostium iugulatis, aut igne succensis, (nam & ignis in castra stramineis sparsa tuguriolis iniectus est) victores abscedunt: maiori haud dubiè strage secutura, nisi illud ipsum incendium, quod primò metum incussit, dolum citiùs detexisset: eâ causâ nonnullis Hispanorum, vt erant albo præsertim integumento conspicui, faciliùs interemptis. quorum aliquos seorsim à socijs ausos in tentorium vsque progredi Principis Orangij, ipse à catella,

quæ

Margin notes (left): *Frustra ea perrumpere conatur.* — *Lætitia in castris Albani.* — *ob nuncium cædis Hugonotorum.* — *Gratiæ Deo redditæ Romæ ob eandem causam.* — *Orangij desperatio:* — *& abscessus à Montibus.* — *Eius castra nocte inuaduntur ab indusiatis Hispanis.* — *Nouâ audacia.*

Margin notes (right): 1572 — *Henr. IV.* — *Greg. XIII.*

1572 quæ eodem lecto cubabat, contentiùs adlatrante, vnguibusque faciem Heri vellicante expergefactus, accursu militum oppressit. Inde *& Orangij periculum.* noctis reliquo cum trepidatione & curâ traducto, prima luce castra mouit, ac magnis itineribus, transmisso Rheno, Delphos in Hol-
19. Sept. landiam concessit. Nec multo pôst Ludouicus, quem potissimum perculit Colinij cædes, cui videlicet author ipse fuerat, vt se crederet Regis fidei; vrbe non aspernandis conditionibus Albano relicta, *Montes Albano redduntur.* Dilemburgum petijt, primariam sedem Nassauiæ Comitatus. Potitus vrbe ante mensem obsidionis tertium Albanus, quamuis *Albani laus ab ea victoria.* eodem tempore obsideret Vrbem, ipse ab Orangiano exercitu obsideretur, eòque plus claritudinis adeptus apud hostes vtrobique victos; quidquid erat in Flandria, Brabantiaque ab Orangio captum, maiori celeritate, quàm clementia recuperat: oppidorum *Recuperat Albanus quidquid ab Orangio captum.* alijs pecuniâ mulctatis, alijs populabundo militi permissis. Et quidem Mechlinia, vrbs in primis elegans, atque opulenta, paulo *Populatio Mechliniensis.* antè Orangio dedita, Regij furorem exercitus, tridui populatione experta est. Sed nec ea calamitas bonis exemplis caruit. Prædam fere omnem miles attulerat Antuerpiam, vilissimoque, vt fieri as- *Pietas in ea mercatorũ Antuerpiensium.*
Petrus Trigosius. solet, venditabat. Quum Sacerdos è Societate Iesu, gratus apprime Antuerpiensi populo, conuentis amicis aliquot mercatoribus occa-
Io. Buter. in vita Albani. & ex Historia Societ. Iesu an. 1572. sionem lucri pulcherrimam, dignamque Christianis negotiatoribus commonstrat; si ex Mechliniensibus spolijs, quæ miles planè prodigeret, ipsi quantum possent pecuniâ suâ redemissent, dominis eodem pretio reddituri. Sic enim & miseris quàm minimum sentiendam fortunarum iacturam, quas si mercarentur antè propolæ, vtique multo cariùs recuperarentur: & mercatoribus ipsis nihil interim pecuniæ deperiturum, quin famæ accessurum apud homines persanè multum, apud Deum certè huiusmodi mercaturam ijs futuram longè quæstuosam. Placuit ea negotiatio pijs mercatoribus. Prædatritiæ merces magna ex parte & quidem minimo coëmptæ; insumpta videlicet in ijs viginti circiter florenûm millia, quæ ferme centum millibus æstimarentur: ac dominis eodem pretio redditæ, aliquæ etiam dominis non apparentibus, inter inopes distributæ. Immo (vt inest quædam in subleuandis miseris voluptas) ijdem mercatores, collato certatim ære, magnam alimentorum copiam eiusdem Sacerdotis ministerio comparant, oneratamque ijs nauem Mechliniam egentibus subsidio transmittunt. Quo in nauigio (id *& militum.* quod mirandum est magis) à militibus eodem hortatore permotis, imposita comperio centum ampliùs pretiosiora vestimenta, præter aliam supellectilem, quæ religiosis præsertim viris feminisque gratuitò redderentur. Sed non ideo Albani nomen, lacerari *Inuidiã populationis amoliri à se conatur Albanus.* vulgò desijt ex ea populatione: quamuis ipse vulgatis statim litteris

causam contulerit in Mechliniensium perfidiam, qui quo necessitatem obtenderent dedendi se Orangio, Regio paulum antè præsidium consultò recusassent. At non strenuè minus, quàm celeriter, paulo etiam, quàm Albanus pater, inclementiùs agebat in Geldria Federicus: expugnatâque Zutphaniâ, ac pariter direptâ, tantum reliquis circà prouincijs terrorem iniecit, vt fugiente Bergensi Comite paulò ante victore, oppidis omnibus dilapso præsidio vacuis intra mensem potitus sit. Nec minus interea in Zelandia Mondragonius Tribunus, cum bis mille ex omni exercitu selectis militibus, ausus Oceanum pedibus transmittere, quinque circiter passuum millia, admirabili fortitudine Goësium ad Scaldis ostium obsidione liberauit, vniuersamque insulam Zuitbeuerlandiam, exercitu hostium partim cæso, partim fugato, cœpit. Quod viri facinus sanè quàm egregium ac singulare quoniam geminum est ei, quod idem Mondragonius ad Scaldiam Zelandiæ quoque insulam audaciori adhuc traiectu patrauit, illius commemoratione, huius magnitudinem exponere supersedebo. At verò excidium Nardêmi, quod est in limite Hollandiæ, longè alio successu Federico victori stetit. Nam etsi id oppidum, ob fœdam defectionem, susceptumque contempta atque illusa Religione patrocinium hæreticorum, singularis animaduersionis exempla meruerat, super hæc tamen vltio visa est: & trucidatis omnibus quamquam imbellibus innoxijsque, consumptis incendio domibus, mœnibus solo exæquatis, non pœna illa, sed flagitium fuit. Itaque nuncius cladis, Gheusiorum astu in maius auctæ, tanto Hollandorum omnium non terrore, sed odio aduersùs Hispanum nomen numquam deponendo auditus est: vt obfirmatis desperatione animis, extrema omnia perpeti, quàm Albani iussa facere maluerint.

Victoria Federici, — *& Mondragonij.* — *Nardemi excidium,* — *ex quo odium in Hispanū nomen.*

1572 — 30. Nou. — Tergoes. — 20. Octob. — an. 73. — *Mich. ab Isselt in hist. sui temp. Fră. Har. in Annal. Belg. et alij ferè omnes.*

CERTE Harlemum, nobilis Hollandiæ vrbs, quò bellum deportauerat Federicus, Amstelodami fidæ vrbis opportunitate inuitatus, non modò oblatam ab eo veniam superbè reiecit, sed recepto nouo partium præsidio, & vt omnem reconciliationis spem sibi præcideret, exuta palàm veteri Religione, fractis sacris imaginibus, ac violatis direptisque templis; octo mensium obsidionem tulit, pari hostium vitæque contemptu. Vt iam Federicus desperato successu adornaret in Brabantiam reditum, nisi Albanus increpitâ filij inconstantiâ, per litteras monuisset, *Si locum deserere ei in animo esset se quamuis lecto decumbentem in castra venturum: aut (si morbo in horas ingrauescente impediretur) accersiturum denique ab Hispania ipsius matrem, quæ bello imposita, filij partes abeuntis expleret.* Sed quamuis euerberatus eo conuicio iuuenis pluribus inde aggressionibus admoueret omnem expugnandæ vrbi machinam; illi tamen robustiore

DE HARLEMI obsidione. — *Desperat successum Federicus.* — *Increpatur à patre.*

in

1573 in dies audacia nihil omittebant, quo & aggredientium vires armis repellerent, & eorum neglectum nouis quotidie contumelijs præseferrent. *Harlemenses irritant nouis contumelijs Hispanos.* Nam sæpe in mœnibus Hispani complures, qui captiui in vrbe attinebantur, in obsidentium conspectu è furcis pependêre. Quumque è Regijs castris proiectum esset in vrbem abscissum hominis caput, cum elogio, *Caput Philippi Coninx, qui liberando Harlemo cum bis mille auxiliaribus aduenit:* *Hispanorum in Harlemēses militare conuiciū.* Iterumque aliud, titulo fronti adnexo, *Mons* *Caput Antonij Pictoris, qui Monteusem vrbem Gallis prodidit;* Harlemenses captiuis vndecim obtruncatis, eorum capita dolio inclusa, noctu in castra deuoluunt, circumiectâ dolio inscriptione, *Harlemensium responsum.* *Albano Harlemenses, ne ob decimum nummum adhuc non solutum persequatur bellum, decem capita persoluunt: ac pro vsura dilatæ solutionis vndecimum superaddunt.* Ad hæc, impiè ludibundi aras in editis mœnium tumulis constituunt, Diuûm signis exornant, *Eorūdem in res sacras ludibria.* supplicantium hymnosque concinentium more circumeunt sacris vestibus induti: mox ludo in furorem verso stramineas Sacerdotum, Monialium, Hispanorumque icunculas manu prælatas flagris cædunt, confodiunt, amputatisque capitibus in castra deijciunt. Nec deerant, qui eadem Sanctorum, Christique Sanctorum Principis signa pilis Hispanorum impetenda è mœnibus obijcerent, atque impetentibus religionem per iocum incuterent. Sed non impunè sacrilegis ludionibus ea fuere. *Non impund.* Quippe obseruatum, ex illo res Harlemensium cœpisse in peius ruere: donec fame miserum in- 1. Aug. modum absumpti, dedita tandem vrbe arbitrio Victoris, sensere vltorem Deum. *Capitur vrbs:* Constat enim, ex mille ac sexcentis præsidiarijs (ad quem numerum redacti erant vbi se dedidere, quum quatuor millia obsidionis initio numerarentur) vix septingentos superfuisse. reliquos nongentos cum oppidanis ferme quadringentis, plerisque rebellionis incentoribus, præsertim hæreseos administris, *Supplicio affectis quam plurimis.* Feder. Albani F. Toletani sententiâ, continuato multorum dierum ferali spectaculo, aut ferro, aut laqueo, aut demum aquis enecatos, elusi impiè Numinis persoluisse pœnas. Fuit hæc obsidio multis sanè memorabilis. *Memoratu digna in hac obsidione.* Namque in ea repetitum ex antiquitate ministerium columbarum litteras perferentium. *Colūbæ litteras perferentes.* Paulo enim antequam clausa fuisset nuncijs via, Harlemenses ex vrbis columbarijs ad Orangij classem, & vicina sociorum oppida columbas aliquot cicures asportarunt: quæ deinceps, vbi opus fuit, cum litteris subter alas alligatis emissæ, tecti quæque sui prolisque memor, Harlemum reuolabant. ac per aërios hosce tabellarios Orangius ad perferendam tribus postremis mensibus obsidionem ciues obfirmauit. donec earum vna, dum ab volatu defessa castris insidet, à milite artificij ignaro fortè transfixa, litterarum arcana patefecit. Quo factum, vt quot quot exinde

Ll 2 trans-

transuolarent per aera columbæ, quamquam innoxiæ, certatim à 1573 militibus figerentur. Fuit illustris mulierum manipulus Harlemensium, reficiendis ac defensandis alicubi propugnaculis cum virorum sedulitate certantium. Præerat his Kennaua, maris animi femina, propè quinquagenaria: cuius ductu, ausæ pro mœnibus munia militum obire, interque sclopetarios castra Hispanorum lacessere, non minus incitamento suis, quàm hostibus admirationi fuere. Nihil tamen admirabilius ciuium pertinaciâ. qui quamuis tribus magnis exercitibus exuti: quamuis lacera intra mœnia, ac decem millibus (vt memorant) ac trecentis sexaginta ictibus perterebrata malè tecti, non tamen dedendæ vrbis audire conditiones paterentur: redactisque propugnatoribus sanè ad quam paucissimos, ipsi multorum munia vsque adeo assidui dies noctesque in mœnibus explerent, vt quouis temporis puncto quisquis è Regijs castris paulum supra munitiones attolleret caput, illico ex vrbe sclopororum pilis, & quidem plurimis è locis certatim peteretur. Ex quo (vti accepi) sæpenumero Hispani milites partim ludificaturi hostem, partim puluerem ei tormentarium absumpturi, galeas stipitibus imponentes, è propugnaculis semiconspicuas ostentabant: ac destinatis hostium globis momentò figi videbant. Denique quamuis fame duobus supremis mensibus ad deuorandos mures, calceos, obscena quæque adacti; non dum tamen ferociam deponerent, certi in confertos hostes irruere, pugnantesque mori potiùs, quàm tradita in vrbe, pecorum more iugulari. fecissentque, nisi iam iam portis egressuros liberi vxoresque misero eiulatu complexuque retardassent. Denique accessit obsidioni Harlemensi celebritas à similitudine Sancerranæ obsidionis. Eodem mense Sancerra in Biturigibus, eodem Harlemum in Batauis obsessa sunt. vtraque ciuitas aduersùs Regem Religionemque rebellis: vtraque, quòd à Regijs frustra initio oppugnaretur, omissa aggressione consultiùs obsideri cœpta. Par vtrobique mulierum alacritas arma tractantium: & sua Sancerranis Kennaua non defuit, quæ ceteris hortatu manuque præiret. Par vtrobique ciuium pertinacia, illic à Rupellanis, hic ab Orangianis ad octauum vsque mensem, vana spe auxilij, sustentata. Vterque populus fame demum superante, eodem Augusto mense, eodemque propemodum die, ille tamen certis conditionibus, hic victoris arbitrio deditus. Sed in illa obsidione plures fame, atque omnino supra quingentos periere: adeo vt triennis puella paulo antè mortua atque humata, à parentibus ipsis, detestabili exemplo, refossa deuorataque sit. in hac verò ferrum multo plures, nec pauciores tredecim millibus, ac nobiliores absumpsit. Nam ex Regijs desiderati Grauelingæ gubernator Cressonerius, bellicorum ope-

Mulierũ pugnãtiũ manipulus.

Obstinatio, & ferocia ciuium.

Similitudo huius & Sancerranæ obsidionis.

Thuan. l. hist. 55.

Mortui, aut sauciati ex regijs.

rum

1573 rum clarus, rei tormentariæ castrisque muniendis in hac expeditione præfectus. Nec impar artificio Bartholomæus Campius Pisaurensis, præsentissimus machinator: cuius ingenium cùm aliàs sæpe, tùm præcipuè in expugnatione Rhotomagi experta est Gallia. *1562. Roano.* præter saucios ac semimortuos è pugna relatos, Norcarmium Hannoniæ Gubernatorem, Valentinum Mottæum Cressonerij successorem, Iulianum Romerum, Gasparem Billium, Rodericum Toletanum, primarios Tribunos, & ipsum expeditionis ducem Federicum Albani filium, præter Centuriones fermè duodecim, ac milites omnino plurimos: ex quibus non pauciores quatuor millibus *Ber. Mend. l. 9.* cecidisse fatentur Hispani. Ex Fœderatis perempti Gulielmus Bronchorstius Dynasta Batemburgicus Orangij legatus, Vibaldus Riperda Harlemi & militiæ Præfectus, Lancellottus Brederodius, Derdeindius Gallus, & Petrus Iansonius militarium operum conficientissimi, Adrianus Iansenius, Martinus Prusius, Lambertus Virtzenbergius, alijque ordinum ductores. *Mortui ex fœderatis.* Quibus & Gulielmi à Marca Lumæi Comitis exilium adiungi potest. *Lumæius suis offensus.* Hic enim, vt ADVERSA nemo imputat sibi, quum infeliciter ad Harlemum pugnæ alea cessisset, coniectâ in ordines culpâ stipendia malignè suppeditantes, eis minari, quasi in Hollandos conuersurus arma, visus est. Itaque iussu Orangij, qui non æquis, opinor, oculis hominem videbat Hollandiæ liberatorem iactantem vnicè se, legati munere exutus, ac succedente Gulielmo Batemburgico redactus in ordinem, cum *ab Orangio redigitur in ordinē:* *Barthola. Entesius.* Entesio, alijsque asseclis in carcerem conijcitur. Sed emissus, & mox compertus moliri aliquid aduersùs Ordines, à quibus ingratè *conijcitur in carcerem:* acceptum se publicato etiam libello querebatur, quòd sibi, qui primus maritimis prouincijs author libertatis fuisset, docuissetque Hispanos vinci posse; ea videlicet ab Hollandis gratia rependeretur: ex Orangij sententia, sed omnium odio damnatus, abire Belgio iussus est. *pellitur in exiliū:* Quumque quatuor post hæc annos, iterum arma in Ioannem Austriacum induisset, victus Gemblacensi pugna, Leodium *Arnol. Hauensius l. 1. de nou. Ep. Ant. Carnerus in bell. Belg. l. 5. et Franc. Haræus in An.* profugit: vbi rabidi morsu canis appetitus, seu veneno epulis iniecto, homo impiè ferox interijt. *moritur.* Recepti Harlemi victoria, vt in diuturnis obsidionibus euenire solet, plus famæ, quàm fructus Hispano attulit. Namque imminuto non parum exercitu, ac seditione aliqua retardato, digressus inde ad inuadendam Alcmariam Federicus, hiemante iam anno, obsidium soluere coactus est. *Alcmariā frustra tētat Federicus.* Nec melior mari fortuna cessit, capto à Gheusijs fœderatis, nauali prælio, Maximiliano Henninio Bossuuij Comite, Hollandiæ Zelandiæque, & maritimæ Belgarum oræ præfecto, viro militiæ impigro, gratoque in primis Albano. *Bossuuius Hispana classis ductor mare vincitur.* *Heuter. apud Haræū in Ann.* Ferunt in eo certamine solam Bossuuij Prætoriam nauem (Inquisitionem Hispanicam vocitabant Hollandi) à *strenuè pugnās,*

cetera

cetera classe destitutam, octo & viginti horarum spatio contra viginti hostium nauigia strenuè depugnasse, redactamque è trecentis classiarijs ad octoginta, eosque, præter quindecim, saucios fermè omnes, hosti se ad extremum dedidisse. Compensata hæc tamen clades, aliquot in australi Hollandia oppidis expugnatis, captoque apud Hagam Comitis, Philippo Marnixio Aldegundio, primariæ apud Fœderatos existimationis ac loci, adeo vt pollicitus sit Orangius, quæ audiret Aldegundio fieri ab Hispanis, paria se Bossuuio relaturum. 1573

Aldegundius Orangio intimus capitur.

ALBANVS successori tradit prouinciam

INTEREA Belgium aduenerat à præfectura Insubriæ Ludouicus Requesenius, cum duobus tantummodo Italorum equitum vexillis, ductoribus Mutio Pagano, ac Petro Busto: successor Albano substitutus ab Rege, quoniam Medinæ cæli Dux Ioannes Cerda prouinciam detrectauerat, desperatâ eius curâ: onereque pariter & inuidiâ Albano relictâ. Et is cum Federico filio Bruxellas illico reuersus, prouinciâque & exercitibus Requesenio traditis, cœpto Decembri mense in Hispaniam concessit, Belgio sexennium administrato. Albani discessum non perinde habuere omnes hæreticarum partium Duces: quum ægrè id ferrent eorum aliqui, versam hominis fortunam credentes, nec vllum potentius telum sollicitandis ad defectionem populis, quàm Albani odium existimantes. Orangius tamen, qui virum palàm oderat, & clàm admirabatur; eo se liberum gaudebat, quo nimirum hoste numquam prosecuturum se destinata speraret. Neque Catholicorum idem omnium sensus erat. Namque discessum eius inter prospera numerabant aliqui, Albano implacabiles, quòd Belgium, vti aiebant, à Margarita Parmensi Duce quum pacatum accepisset, ijs Nobilium supplicijs, ac tributorum quæstionibus turbatum infensumque relinqueret. ac verebantur, ne sicut arrepta inde occasione Zelandus Hollandusque rebellauerant, ita reliquæ circà prouinciæ eâdem contagione corruptæ Religionem pariter ac obedientiam breuì exuerent. Sed alij media quasi viâ, quemadmodum de Augusto Cæsare dictum est à Romanis, Illum aut non nasci, aut non mori debuisse; sic optandum esse affirmabant, Albanum aut numquam adijsse Belgium, aut non eo tempore deseruisse, quo tempore adulta feliciter Orangij consilia nec iam poterant cuiusquam benignitate flecti, nec vllius armis certiùs frangi, quàm eius, à quo bis è prouincijs, tanto instructus exercitu prudenter iuxtà ac fortiter eiectus esset. At verò in Hispania à Philippo Rege, contra quàm Belgæ existimabant, Hispanorumque aulicorum multi cupiebant, perbeneuolè acceptus est. Qua tamen specie nihil aliqui mouebantur, gnari id moris Philippo esse, vt Ministrorum causam apud alios tueretur: ceterùm iram Principis,

17. Nou. 1573.

& abit.

De eius discessu sensus hæreticorum:

& Orangij:

& Catholicorũ.

Suet. Aug. in vita.

In Hispania benignè accipitur à Rege.

Aulicis nõ creditũ

1573 cipis, quæ tum quidem conderetur, aliquando erupturam: erupiſ-
ſe verò, quum aliquot pòſt annis Vzedam amandatus eſt. Ego liben- *& falluntur.*
tiùs exiſtimauerim, aut ea quæ geſſit Albanus in Belgio, geſta ma-
gnam partem ex præſcripto Regis, eòque indignationem eius non
meruiſſe: aut quidquid ille peccauerit, inferius viri meritis viſum
Regi, cuius ad gratiam quàm difficilis ac rarus acceſſus, tàm eiuſ-
dem firma fuit ac diuturna poſſeſſio. Neque cauſam relegationis *Vera exilij eius cauſa.*
aliam fuiſſe conſtat, quàm quòd Federicus filius nobili puellæ è Re-
gine gynæceo ſe maritum pollicitus, aliam ex Albani conſilio du-
xerat: inde iuſſu offenſi Regis Vzedam fuiſſe deportatum. In quo
ſanè infortunio (quo quid accidere grauius homini potuit ſummum *Aequitas animi in ea calamitate.*
aulæ faſtigium obtinenti?) ſpectata eſt, præter omnium opinionem,
mira eius æquabilitas animi, atque altitudo: ac magnus licet is ha-
bitus fuerit antè dum ſtaret, in caſu tamen ac iacens, ceu proſtra-
tus humi diſiectuſque paries, maior apparuit. certè promeruit, vt
hæc ei calamitas in gloriam poſtremò verteret. Etenim mortuo
Henrico, Regum Luſitanorum vltimò, moturus illuc arma Phi-
lippus Rex, anceps quem tanto exercitui præficeret, poſthabitis
multis in eam ſpem erectis, elegit Albanum: non ſine plurium ad-
miratione, quòd homini ob diuturnum exilium irritato eam expe- *& gloria ex ea.*
ditionem, qua nullam ſuſcepit vnquam ardentiùs, tutò commit- *Euocatur ab exilio ad Luſitanã expeditionem.*
tendam putaret. Immo Albanus ipſe gloriabundus reſpondiſſe fe-
rebatur ei, qui ab exilio illum euocabat, *Admirari ſe, quòd ad Re-* *Dictum eius.*
gnum ſubigendum, opus Regi fuerit catenato Duce. Quod hominis di-
ctum multis ſuperbius viſum, quàm exulem addeceret; Rex tamen
ciuiliter accepit: quippe qui FACTIS intentus facilè verborum li-
centiam condonabat. Neque Regis opinionem fefellit Albanus, *vincit.*
bello in magna Luſitanorum diſcordia feliciter adminiſtrato, ada-
ctiſque in Philippi verba Magiſtratibus, regnique Primoribus. Quæ
Lisbona. dum Vliſſipone anxius curat, ſimul tentata leuiter, ſimul deſpera- *& moritur.*
ta valetudine, Regis ſæpe inuiſentis alloquio recreatus, atque à
Ludouico Granatenſi Dominicanæ familiæ, viro diſertiſſimo reli-
1582. gioſiſſimoque, Sacramentis ritè munitus, fato conceſſit. Cuius
dum morte, & multis, quæ in ea felicitate obuenêre, funeribus in-
doleret Rex; auditus eſt, quum diceret, *Numquam ſe meliùs exper-* *Dictum Regis;*
tum rerum humanarum vices: quòd videlicet, quo tempore tot regnis
Didacus Hiſpaniæ Princeps. Anna Maximil. fil. *augebatur, tunc & primogenito regnorum herede, & Regina vxore, &*
ſummo fidoque militiæ Duce orbaretur. Et ſanè Albanus bellica in do- *Elogiũ Albani.*
mo natus militarem prudentiam pæne hæreditariam habuit. Pater
illi Garſias, qui Africano bello claſſi præfectus à Ferdinando Ca- *Pater,*
1510. tholico, dum in Inſula Gerbenſi, vbi tria circiter Hiſpanorum mil-
lia ſiti aut ferro cecidêre; vnà cum Petro Nauarræo copiarum Du-

ce

ce fugam suorum sistit, arreptâ gregarij militis hastâ fortiter dimicans à Mauris interemptus est. Auus verò Federicus Ferdinandi Catholici consobrinus, Garsia filio vt annis viuacior, ita factis illustrior fuit. Nam & Granatense bellum Bætici exercitus Imperator strenuè confecit: & eâdem virtute Perpinianum, totamque oram illam aduersùm Gallos sæde defendit: & Nauarræ denique regnum ad Hispanum imperium feliciter adiecit. Sed longè quàm Maiorum suorum quisquam, imperatoria Albanus laude præcelluit. Immo Ducum omnino nullus ea tempestate aut tamdiu, aut tam varijs in locis arma tractauit: vulgaremque illam inter milites vocem, DVCEM belli, si bonus sit, haud posse perdiu vitalem esse; redarguerunt illo æuo gemini in primis Duces, ex Gallis Annas Momorantius regni Comestabilis, ex Hispanis Ferdinandus, de quo dicimus, Albæ Dux. Vterque à pueritia ad vltimam vsque senectutem, ille paulo minor octogenario, hic quatuor annis septuagenario maior, continenti militia gloriam extendentes. Ille sub quatuor Galliæ Regibus, octies collatis signis, quater summo cum imperio dimicauit: hic Imperatoris Caroli, eiusque filij Philippi Regis auspicijs, in Germania, Hungaria, Africa, Italia, Belgio, Lusitania maximis expeditionibus præfuit. Sed alter à gentis genio animosior, à suo infelicior, quippe rarò victor, ter captus, ad extremum cæsus: alter cunctando sæpius, quàm manus conferendo, ex rerum gestarum successu gloriosior; bellica virtute pares magis quàm similes habiti sunt. Ceterùm Albanus non minor aula miles, quàm in acie. Licet enim & à natura, & ab armorum tractatione asper, officiorumque aut militariter incuriosus, aut superbè contemptor offenderet apud aliquos; tamen HAVD ingrata Principi ministrorum asperitas, tamquam fraudibus blandientium intractabilis. & militari illa Albanus libertate, quasi Regis causam non minus domi, quàm belli propugnaret, auxit vtique sibi Regis gratiam, quam summa in illum fide, ac diuturnâ militiâ promeruerat. Quamquam ab huiusmodi gratia plus intimæ æstimationis, quàm speciosæ beneuolentiæ retulit. Certè ab exilio vocatus ad Lusitani belli administrationem, quum enixè peteret, vt sibi liceret in itinere Regem adire, dextramque eius osculari; veniæ adhuc ambiguus non impetrauit. Quumque per eos dies ad præstandum solenni pompa Didaco Hispaniarum Principi sacramentum, regni Proceres euocarentur, Albanus quamuis id percuperet, eâdem Regis seueritate admissus non est. Tantum homini Rex tribuebat, vt crederet, posse & illum gratiæ incertum, & fidei securum esse. Cuius obsequij illud meruisse præmium visus est, vt & in summa Regis gratia, inque eius regia, ac pæne inter amplexus eiusdem expiraret: & bello ex animi sententia confecto, inter

Margin notes: 1573 — *Auus.* — *Ipse maioribus suis maior.* — *Comparatio eius & Annæ Momorantij.* — *Momorant.* — *Alban.* — *Momorant.* — *Alban.* — *Bonus quoque Albanus in aula.* — *Principi gratus.* — *intimè magis, quàm in specie.* — *Quantum eius fidei Rex tribueret.*

1573 inter victoriæ plausus, suo in triumpho conderetur. Vir magnis ac priscis haud dubiè Imperatoribus militari scientia conferendus, nisi odium ex nimio rigore, superbiaque, & aliorum despicientiâ promeritum, vt virtutum vim apud præsentes, sic earum famam apud posteros eleuasset.

Famæ eius quid obfuerit.

DE
BELLO BELGICO
LIBER OCTAVVS

REQVESENIVS Belgij præfecturam init.

Spes de illo.

INITIO anni ſeſquimilleſimi ſeptuageſimi 1574
quarti, Ludouicus Requeſenius, magnus equitum Sancti Iacobi in Caſtellæ prouincia Commendator, haud dubia multorum ſpe præfecturam inijt: quòd in pace, atque inter arma, ciuilem iuxtà militaremque prudentiam magnis functus muneribus oſtendiſſet. Et ſuper hæc, facilitate ac modeſtiâ, quas virtutes, Albani comparatio intendebat, conciliaturus ſibi Belgarum animos credebatur. Nec ipſe famæ deerat, partim de induſtria, partim ex Regis præſcripto clementiam præ ſe ferens. Quam ſtatim vulgò laudem eſt conſecutus, coërcitâ præſidiariorum aliquot militum licentiâ, in primiſque depoſitâ, remotâque è conſpectu armatâ Ducis Albani ſtatuâ: mox & ſtatuâ eiuſdem alterâ, iuſſu quoque Regis in Hiſpaniam miſsâ, incredibili Antuerpienſium gratulatione. planè vt aliqui gauderent, pridem erectam homini molem, quo nunc pœnam eius in deiectione deportationemque ſpectarent. Sed non ideo Requeſenius à Middelburgi obſidione remouit arma rebellium. Eam vrbem non Valacriæ dumtaxat, ſed Zelandicarum omnium inſularum caput obtinebat adhuc Tribunus Mondragonius: & crebris eruptionibus minutiſque prælijs, oſtentatione fiduciæ magis quàm virium conſcientia, iam propè biennium ſtrenuè defenderat aduersùm Zelandos. Ad quos mitigandos (namque Albano infenſi, in nouum Gubernatorem haud malè animati dicebantur) quum & litteras caritatis plenas, & nuncios Regiæ ſponſores clementiæ ſubmiſiſſet aliquoties Gubernator; parum vtique profecerat apud eos, qui potiti iam aliquot circà pagis, allicientc ſucceſſu, plus à contumacia, quàm ab inani Regis indulgentia ſperabant: vſitatoque plus nimio multorum more, meliùs habebant mercede delinquere, quàm gratis honeſta ſequi. Itaque Requeſenius à Mondragonio nuper admonitus, fame ſe ad deditionem cogi: inſtructam Antuerpiæ claſſem ſexaginta nauium, liberando Middelburgo properè mittit. Et quoniam vijs adiri duabus ea vrbs poterat, quas Scaldis bifariàm ſectus facit; claſſem partitur inter

Mar. Delr. l. 1. Belg. Turb.

Statuam Albani de medio tollit.

magno Belgarũ gaudio.

Middelburgum premũt Zelandi.

Ad illud liberandũ claſſem mittit Requeſenius.

Aui-

1574 Auilam & Glimæum, qui mortui Beauorij loco vicariam maris præfecturam gerebat, addito huic Iuliano Romero: iubetque Auilam ad læuam per Hontam, (sic illud amnis diuortium à latratu vocant Belgæ) & Glimæum ad dexteram, prono Scaldi, Middelburgum petere. Re intellecta idem consilium Orangio fuit. Nam bipartita classe, partem eius ipse in anchoris tenuit ante Middelburgum, Auilam excepturus: partem ad Tholam insulam direxit Ludouicus Boisottus Hollandici littoris Gubernator aduersùs Romerum Glimæumque. Boisottus (nam Orangius & Auila procul spectauere pugnam) visis ad Bergensis ostij fauces Hispanis, concurrentibus nauigijs prælium committit, initio quidem improsperum, sibi cruentumque, amisso statim oculo ab hostili pila, discerpto prætoriæ nauarcho, ac promptissimis quibusque sauciatis. Sed vt Zelandi, nauium magnitudine numeroque, ac nautarum peritiâ potiores erant, Regij à pluribus circumuenti, Glimæo interempto, Romero scaphâ vix elapso, nauigijs partim vado hærentibus, partim iniecto igne conflagrantibus, ipso prospectante Requesenio infelicis exitum prælij ex aggere Bergensi, casumque suorum miserante, ad extremum superantur. Hostium victoriam deditio Middelburgi, quæ vna fermè supererat Zelandiæ vrbs, illico est consecuta: claro ex ea deditione Mondragonio, laudemque, qualis rarò aliàs legitur, consecuto. Quum enim is pactus esset, si milites, nautæ, machinatores, cum bellico instrumento: si religiosæ familiæ, clericique, sacra cum supellectili; & vtrique cum domesticis prætereà rebus atque impedimentis exirent, ac tuti in proximam Flandriam Zelandicis nauigijs asportarentur; se apud Requesenium effecturum, vt captiuus Aldegundius (quod auebat Orangius) tresque insuper alij, Aldegundij arbitratu, remitterentur in Zelandiam sex intra menses: & ni rem cum Gubernatore conficeret, se intra idem tempus in potestate hostium futurum; tantum eius dicto habitum est fidei, vt admissa conditione, nullis quamquam obsidibus firmata, non dubitarent, si fortè pactum respueret Requesenius, quin hostibus ipse se sisteret Mondragonius: cuius videlicet vnius captiuitate multos compensandos Aldegundios non ignorabant. Et res quidem, annuente Requesenio, processit ex sententia. Nam libertate protinus donati sunt & Aldegundius, & huius designatione Simonius, atque Pettinius Tribuni militum, ac Centurio Cittadella bellicus machinator. Erat hic Francisci illius Cittadellæ pronepos, qui, quoniam Lucensem arcem, cui Paulo Guinisio Principe ipse præfuerat, illo dominatione exuto, patriæ restituit; ab ea voce, quæ Italis arcem sonat, omisso Iacobiorum cognomento, appellari vulgò cœpit: inseruitque familiæ facti memoriam, à qua posteri nomina-

Hôs Belgis est canis. (margin, beside "lam ad læuam per Hontam")

Bergobzo. (margin, beside "ctauere pugnam")

Committitur prælium. (margin)

Vincitur Hispana classis. (margin)

18. *Febr.* (margin, beside "felicis exitum")

Deditur Middelburgum. (margin)

Laus Mondragonij. (margin)

Cui mirũ quantum hostes tribuerint. (margin)

eſt Mondragonio permutatur Aldegundius tresq́ alij. (margin)


Iacobus Simonius, Io. Pettinius, & Franciscus Cittadella. (margin)

1430. (margin, beside "Italis arcem sonat")

Orangij lucrum ex capto Middelburgo. minarentur simul ac laudarentur. At verò ciues Middelburgenses, vti conuenerant, populationem redemêre trecentis florenûm millibus Orangio persolutis: quem tamen ex venalitijs aduenarum mercibus confecisse florenûm decies centena millia compertum est. Sed cladem hanc mari acceptam, terrâ melior Hispanus statim reddidit. 1574 *Largil. ad Mar. Pag. 5. Mart.* *Quadringēta scutorū millia.*

MOCHENSIS pugna. Lud. Nassauij copia, & consilia. DVXERAT è Germania septem millia peditum, quatuor equitum Ludouicus Nassauius Principis Orangij frater, vna cum Henrico fratrum minimo, & Christophoro Bauaro Palatini Septemuiri filio: tentatoque nequidquam Mosæ transitu, constiterat in Geldria, specie quidem Germaniam repetendi, re autem vera Neomago intentus, eâque in vrbe Orangium è Bomeliana insula excepturus. *Nimeghen* Sequebatur illum ex altera Mosæ ripa Hispanus exercitus, ductore Sanctio Auila, veterano milite ex Albani disciplina. Qui opportunum ratus, anteaquàm ab Orangio miles, qui expectabatur, adueniret, aggredi Nassauianos ad Mochemum pagum, inter Vahalim ac Mosam tumultuario aggere communitos, deportatis trans flumen repentè copijs instructisque, bellum pariter ac stragem intulit. *Auila aduersus illum celeritas.* *Mouick seu Moock* Quæ sanè strages, Regijs ob iram ex superiori clade conceptam præter modum ferocibus, tanta duarum spatio horarum fuit, vt exercitus propemodum omnis partim cæsis, partim captis hostibus deletus sit: tresque ipsi exercitus Duces Ludouicus Nassauius, eiusque frater Henricus, & Christophorus Palatinus, seu pugnantes interfecti, atque equis obtriti, seu paludibus hausti, (neque enim vnquam reperti) miserum in modum vnà perierint. *Nassauiani exercitus clades.* *Mors triū Ducū.* Inuenio qui scribant, Ludouicum, quum aliquandiu inter cadauera iacuisset, è cæsorum aceruo clàm proreptasse ad Mosam vsque, ibique à rusticis illac prædabundis repertum vulnera lauantem, nec agnitum, barbarè interemptum spoliatumque. *Mors Ludouici aliter narrata.* *Fr. Hae. in Ann. Belg.* Virum sanè pugnacis animi, militarisque facundiæ: sed turbidum violentumque, ac Orangio fratri vt amore geminum, ita prudentiâ longè alium ac diuersum, quique inconsultè ferox, impetu magis quàm consilio arma circumferens, fortunam plerumque aduersam merito suo expertus sit. Signis, tormentis, castris, omnique præda, paucissimis ex suis desideratis, abunde potiti sunt Hispani. *Huius victoria decus cui tribuendum.* Porrò victoriæ decus tantæ (vti fit in rebus prosperis) mirum quàm multi sibi vindicarint: militibus in summa nationum contentione ductores certatim suos prælhabentibus. Hispani, Auilæ Duci primas haud dubiè tribuerunt, signis præcautè iuxtà ac festinanter illatis: Belgæ, Ægidio Barlamontij Comitis filio, Hiergij Domino; qui cum equitum ala extra ordinem posita, nutantem alicubi aciem opportuna impressione restituerit; Itali, Ioanni Baptistæ Marchioni à Monte; qui lanceario-

rum


Pugna Mochensis Ludouico
A·Mochemum pagus. B.Noemagū urbs M
C. Mosa fl. D. Vahalis fl.
E. Regij milites. F. Nassauiani mil. N
G·Turmæ primæ hostem aggressæ.
H·Raitres a suis seiuncti. O
I·Turmæ in Raitres seiunctos inuectæ.
K·Turmæ subsidiariæ. Q
L·Nassauiani terga uertentes. R
B
D
O
K
G
N
I
H
P
Q
E


Requesemio Gubernatore 1574.
. Lud Nassauius equites mouens in auxilium suorum.
Sancius Auila dux expeditionis nuncium . mittens ad suos in silua.
Equitum manipuli in equitatum Lud. e silua procurrentes . P. Regij nutantes.
Hiergius nutantes in prælium remittens.
. Palatinus agmen suum educens ad pugnam.
Lud. Nassauius á rusticis interemptus.

1574 rum equitum, quibus præerat, agmine in plures paruasque turmas præsenti solertia distributo, atque à latere sæpius incurrens, longè superiorem numero hostilem equitatum astu superauerit. Ego, sicut in campestri certamine locum esse complurium virtuti non dubito; ita magnam laudis in eo partem meruisse Montium facilè mihi persuadeo, quippe donatum hoc nomine à Philippo Rege, annuo reditu quingentorum aureorum. Quamquam iniquè agitur cum militibus, dum omnia transferuntur ad Duces. Perinde ac si solis oculis tribuenda sit pugnæ laus, quòd primi designauerint in hoste vulneri locum: præliaribus verò decretorijsque victoriæ manibus nihil debeatur. Exploratum habeo, Petrum Antonium Perottum Sentinatem, virum non minus à familia, quàm à se nobilem, contulisse persanè multum ad eam victoriam. Idque Hispanorum peditum Tribunum Franciscum Valdesium, & parentibus & priuatis ad Regem litteris testatum reperio, egregiè hominem collaudando, quòd ante omnes Mochensem pugnam fortiter iuxtà ac feliciter inchoauerit. Ducebat hic eo die Camilli à Monte, qui alibi curabat, equitum centuriam. Pugnabatque in fronte Nassauiani exercitus, agmen quingentorum equitum: quorum fermè trecenti ex eo erant Raitrum genere, quos à pluribus breuibusque sclopetis, atque alijs ferreis telis, Ferreolos vocant. In hos educturus Io. Baptista à Monte, quas partitus erat, turmas; iubet Perottum cum vna ex ijs ante alios in hostilem equitatum incumbere. Ille è sua centuria turmam viginti quinque lancearijs constantem tanto impetu opportunitateque impulit in aduersi agminis latus, vt loco motis in fronte sclopetarijs, (qua sæpe de caussa maximæ factæ sunt inclinationes præliorum) sexaginta ex eis ab reliquo agmine abstraxerit: abstractosque faciliùs aggressus, noua præsertim auctus accurrente turma, licet illi & militum numero, & pilarum procella niterentur ad ordines se recipere, intercluso tamen hastis reditu, omnes ad vnum contrucidauerit. Quæ res dissoluto turbatoque præter modum agmine, primus haud dubiè ad victoriam gradus fuit. Namque ab aliarum subinde turmarum incursu magis magisque distractis equitibus, ac fugam circumspectantibus, dum auxilio aduolat selecto cum agmine Ludouicus Nassauius, interceptus ipse à Bernardino Mendoza, atque ab Antonio Oliuera, qui agmina coniunxerant; non modò trepidationem suorum non repressit, sed eorumdem fugâ inuolutus, inuadentium hostium succumbere impressioni coactus est. Sunt qui scribant, in ea primùm pugna visum, vt soli equites lanceis armati sclopetarios equites profligauerint. Ego tamen prælio ad Renteium castrum in Artesia commisso, annis ante Mochensem cladem fermè viginti, Cæsarianos Raitres eodem ar-

Non excludenda militum virtus à communione laudis.

Pet. Ant. Perottius Saxoferratensis.

Lud. etiam Melzius l. 4. c. 2. aliquid de Perotto.

Principium victoriæ.

Raitres loco moti.

A Nassauio frustra adiutus.

A lancearijs, quod earum profligati.

Ber. Mend. l. 2.

Renty. 1554.

mo-

morum genere pugnantes, ab hastatis Gallorum equitibus supera- 1574
Perotti facinus. tos obseruare me memini. At verò Perottus in eo quoque primas tulit inter suos, quòd fractâ in hostem lanceâ, educturus gladium, quum sensisset deesse manubrium pilis hostilibus excussum, vicinum Raitrem ferociter amplexus, ferrum è manu abstulit, eoque suis armis interempto, strenuè, quà maior ingruebat vis hostium, pugnabat; quum traiectus pilâ per renes, nec pugnâ ideo relictâ donec ambiguè certabatur, absolutâ verò, exanimis reductus in castra, ac pænè comploratus est. Conualuit tamen haud multo pòst, eo maiori sociorum plausu, quo pluribus eum laudibus propè funerauerant. Quam ille in exercitu famam vsque adeo cumulauit rebus sub Alexandro Farnesio fortiter dein gestis, vt (quòd ingens ipse virium atque animi foret) militari cognomento, Italiæ Paladinus appellaretur.

SEDITIO prima Hispanorum. TAM prosperæ victoriæ fructum atrox Hispanorum seditio planè perdidit. Multis stipendia multa debebantur, plerisque anno- *Ex litteris Episc. Namurcensis 24. Iul. ad Margaritã Parmensem.* rum trium. *aduersùs Auilã stipendia non soluentem.* Ea Sanctius Auila liberaliter antè certamen pollicitus, illo confecto differebat, vacuus ipse tàm grandi ære, & natura perseuerus. Enimuerò miles & à victoria, & à causa ferocior, quàm promptus antè subierat pugnæ aleam, tàm deinde mercedum pactiones implacabilis exposcebat. Ergo in centuriones insurgere, miscere manipulos, Auilæ accurrenti increpantique, minaciter ob- *Seditiosorum voces.* strepere: *Vbi promissorum fidem? vbi Ducis curam non modò commoda militum non procurantis, sed etiam eorum postulata fastidientis? At profectò militarem obedientiam à Tribunis, à Ducibus magnificè prædicari, exigique. Illorum arbitrio eundum aduersùs ignea tormentorum ora: excipienda constanter vulnera mortesque non alio interdum pretio, nisi vt hostis cadendo necandoque fatigetur: ipsas sæpenumero fossas, si desint virgultorum fasces, suorum aggestu corporum exæquandas. Adeo nihil militum anima vilius haberi. An licere Duci à militibus vitam in horas exposcere, non licere autem militibus à Duce alimenta vitæ in menses efflagitare? Ecquod genus artificum operarumque iustiùs repetere laborum suorum pretia, quàm se, qui non qualemcumque operam sudoremque, sed sanguinem ac vitam alienæ dominationi locent?* Hæc quo- *Auila fugit.* niam versis in Ducem armis obiectabantur, impar gliscenti multi- *Illi Antuerpiam infesti ascendũt.* tudini Auila, quum nullis pollicitationibus semel decepti placarentur Hispani, pedem inde trepidus auerterat. Tunc collatis inter se capitibus tria ferme veteranorum millia nouum sibi Ducem (Electum vocant) ex seditiosorum more creant; nouam ordinant ipsi Remp. ac partiti inter se belli munia instructo agmine Antuerpiam *Spernunt missos à Requesenio.* petunt, melioribus nequidquam obsistentibus: quin etiam spretis, quos re audita, cum certa stipendiorum spe obuiàm miserat Reque-

1574 quesenius. Quorum vni è Societate Iesu delecto, (is erat Petrus Trigosius Hispanus, vir apprime facundus, ac militi acceptus) quum anxiè in eam sententiam, infinitèque declamaret; paucis respondisse feruntur: *Numeraret antè pecuniam, mox concioni attentos habiturum. Satis iam datum esse verborum: pecuniam postulare se, quorum sanguis pro Rege fusus si in altera lance, in altera argentum ab Rege debitum penderetur, facilè illum prægrauaturum.* Inde hominem plura additurum tympanorum strepitu interpellantes, infestis signis Antuerpiam (Hispanis, qui in arce erant, haud grauatè admittentibus) ingrediuntur: partitique sibi ex militari designatione opulentiorum domos, Requesenio, qui eorum postulatu minisque vrbe iam emiserat Vuallonum præsidium, superbè denunciant, Nisi ab eo stipendia illico soluantur, se sibi suo arbitratu soluturos. Quumque promissa in certum diem adhuc differrentur, nouo furore, quasi ludificarentur, impulsi, ante curiam, vbi Electus agebat, armati conueniunt: ibi subitariam attollunt Aram, peractoque in ea Sacrificio, omnes iureiurando se obstringunt, Electo sese obtemperaturos, nec quieturos ante, quàm stipendia ad assem vsque numerarentur. Id verò ita non tumultuosè in eo tumultu, sed ritè atque ordine peragunt, nihil vt per seditionem facere viderentur. Vsque adeo vel armatus FVROR ordinandus est, frustra ne furat. Quin etiam erigunt inibi patibulum: edicuntque Electi nomine, Eo supplicio afficiendum, quisquis in posterum rapinæ, aut furti compertus esset. idque seuerè adeo seruatum à milite, duobus illico suspendio mulctatis, vt nullum exinde crimen huiusmodi Antuerpiæ auditum sit. Et valuit ea modestiæ species, & præteritorum moderatio, vt partim Antuerpiani, imperatâ sibi certâ pecuniæ summâ, partim ex Regis ærario Requesenius, argento etiam ac supellectili sua oppignerata: additis præterea stipendij loco à mercatoribus (nam pecunia satis adhuc non erat) pannis sericis, laneisque; militem post quadragesimum ac septimum diem abunde placauerint. In quo illud vtique memoratu dignum non omiserim, præsertim mihi traditum ab ijs, quorum operâ peractum est. Persoluerat militibus stipendia Requesenius, quum ad eos grandi pecunia ditatos accessere, vti mos est, pauperum complures, & præcipuè emendicantium ordinum Religiosi, stipem in tempore corrogaturi. Et militum plerique in magna tunc quidem nummorum affluentia, (quippe trium annorum stipendijs, aliqui etiam quatuor aucti erant) siue pro innata genti pietate in Religiosas familias, siue quòd OMNIS oborta repentè copia vilior habetur; liberales adeo erga supplices fuere, vt sola Franciscanorum familia quatuor florenûm millibus donata sit. Verùm vbi animaduertêre milites, inter Religiosos propemodum omnes

& pecuniam se lam petunt.

Antuerpiam intrant.

Earum mina:

& solenne sacramentum:

& edictum contra fures.

Stipendia illis persoluuntur.

Pia seditiosorum liberalitas.

Scuta mille ac sexcenta.

Franciscanis quantu dederint.

omnes ope aſperſos aliqua, è Societate Ieſu adeſſe neminem: cui tamen ordini, ob aſſiduos in caſtris labores, atque impenſa in ægrotos milites miniſteria, plus ſe quàm ceteris debere fatebantur; ſubmiſere aliquem ex ſuis, qui Patres animaret, ne in ea publica largitione ſolos ſeſe immunes paterentur. Sed Patres actis homini gratijs, quum paulùm tergiuerſati, denique negaſſent, quidquam ſe accepturos ab ijs, antequàm malè ablata dominis redderentur; illi nihil inde offenſi aut retardati, duobus è ſuorum numero deſignatis, haud exiguam nummorum ſummam coëgerunt, miſeruntque ad Societatis domum: haud ignari, PRÆSENTEM pecuniam non perinde repudiari, atque promiſſam. Enimuerò admirationi Patribus fuit ea militum conſtantia, quos ſuperiori potiùs reſponſo ſuboffenſos opinabantur. Et quando officijs certabatur, partes ſuas duxerunt eſſe, homines præpoſterè pios condocefacere, ex eorumque mentibus aut errorem, aut contumaciam amicè depellere. Itaque adit illos è Patribus vnus militi perquàm gratus, eòque liberiori oratione admonet, *Eorum liberalitatem non reijci ab ſe, quaſi Familia ſua neceſſitatibus non opportunam: ſed CORDI non eſſe Deo largitiones ex alieno. Meminiſſent, quamdiu ſeſe, quàmque lautè apud Antuerpienſes occupatis eorum domibus ſuſtentauerint; quàm minaciter ac prælicenter initio ſeditionis in ciuium fortunas inuaſerint eorum aliqui. Cur igitur, dum homines acceſſunt, in quos vltro pecuniam congerant; illos, quibus iure debetur, iniurioſè prætereunt? Quin potiùs in ea partitione curam ac methodum adhiberent: ac tenuiorem ciuium indigentiam ſubleuantes, offenſæ ciuitatis gratiam inirent, animæque ipſi ſuæ ac famæ conſulerent.* Non fruſtra hæc dicebantur apud milites, qui præteritorum neceſſitatem excuſare hoc quoque liberalitatis argumento cupiebant. Quare ab illorum primarijs vel religione tactis, vel ſeditionis ignominiam abolituris, nouo certè exemplo, multa in ciues diſtribui, nec pauca, quæ vi abſtulerant, cœpta ſunt reddi: tanta Magiſtratuum admiratione plauſuque, vt laudari publicè militem, & exponi populo adhibitam in ea re à Patribus Societatis operam, eorumque commendari continentiam pro concione voluerint. At Requeſenius non ideo militibus fidendum ratus, condonatis & obliuione conſepultis, quæ obuenerant, omnibus, eos ad obſidionem Lugdunenſem, quam ſuperiore Albanus anno inceperat, omnes immiſit: magno ſanè metu, curiſque liberatus, in quas homo plus nimio ſibi de ſuorum obedientia, vana opinione pollicitus, ſe pariter ac ciues imprudenter induerat. Niſi fortè id conſultò permiſſum fuit, ad præſentem inopiam Regij ærarij ſubleuandam: vti ſuſpicatos tunc eſſe aliquos, ſcribit ad Margaritam Auſtriacam Parmenſem Ducem, Epiſcopus Namurcenſis. Ergo Hiſpani Bruxellis à Requeſenio

Margin notes: 1574 — *Inuitant Ieſuitas.* — *Hi cur abnuũt.* — *Illi mittunt ad eorum domum pecuniam.* — *Patrum ad illos adhortatio.* — *& fructus.* — *Multa in ciues diſtributa à ſeditioſis, et multa addita.* — Leiden. — *Suſpicio de rapinis ſeditioſorum.* — 14 Iul.

1574 senio paululum retenti, dum ipse coactis iam prouinciarum Ordi-
8. Martij. nibus, generalem noxarum veniam ab Rege transmissam promul-
6. April. gauit, minore quàm Albanus apparatu, sed ampliore liberalitate, *Promulgatio veniæ generalis.*
Epifc. Namurcen. 24 Iul. fructu tamen ob intempestiuitatem non multo maiore; Lugdunum Batauorum animosiùs quàm feliciùs rediere, Francisco Valdesio ductore.

ET principio quidem Valdesius, expugnatis hostium munitionibus, mox aliquot castellis circumpositis, & intercluso vndique commeatu, vrbi habitatoribus frequenti extremam propè necessitatem indixit: *De OBSIDIONE Lugdunensi.* Addidit tamen ad Lugdunenses clementer epistolam, qua gnarum se illorum inopiæ ostendens, molles nihilominus dedendæ vrbis conditiones offerebat. *Valdesius ad deditionem inuitat Lugdunenses.* Sed illis contemptim ferociterque respondentibus, *Alimenta sibi non defutura, donec læuum bracchium restaret: hoc esuros, dextero ad libertatem tuendam reseruato;* *Illi ferociter abnuunt:* Valdesius *Approxi.* festinatis per iram accessibus, arctiorique in dies obsidione Lugduno imminens, *& acriùs ideo premuntur.* vsque adeo grauem in vrbe tumultum, ciuibus fame passim expirantibus, excitauit, vt plebs vltimum tolerantiæ iam experta, ni Consules deditionem properarent, patefacturam se hosti portas, palàm minaretur. Notum id Valdesio: ideoque nutantem eâ discordiâ ciuitatem impulsurus, aggressionem ab vniuerso exercitu imperat in tertium diem. Interea Hagam, propinquam vrbem, *Haga Comitis.* *Oppugnationem decretā cur Valdesius omiserit.* itare non omittebat, amore captus illustris eo loco feminæ: quam, quia coniugem animo delegerat, (duxitque non pòst multo) assiduis illam obsequijs, atque amatorio ambitu, Belgica libertate, sectabatur. Fortè in eum diem, qui oppugnationem vrbis præcedebat, celebre iam ante conuiuium in feminæ gratiam designauerat Hagæ Valdesius: intereratque, quum tristiorem illam conspicatus, sciscitatusque anxiè causam: respondentem audit, Non posse se non grauiter mærere, obseruante sibi ob oculos Lugduni imagine direptionibus ac cædibus in sequentem diem destinati. Tot enim funera familiarium carorumque, quos publicâ ruinâ inuolui necesse erat, an non satis esse, vt sola tunc quidem consideratione metuque, omnem exuerent animo lætitiam: & audito deinde successu, insanabili pectori vulnus imprimerent? Valdesius, ne coniugij spem incideret, exhilarato illam animo esse iubet, secretò promittens, omissurum se agrediendi consilium, eiusque amori condonaturum obstinatæ ciuitatis stragem. Quod is tanto liberaliùs pollicebatur, quanto certior erat, casuram per se se vrbem esse sine cuiusquam impulsu, sine inuadentium sanguine: expressura videlicet deditionem fame. atque adeo impurandum gratiæ putauit, quod vsui commodoque vertebat. Et sanè altero post omissam oppugnationem die, glíscente acriùs inter plebem vrbanosque milites tumultu,

de mittendis ad Valdesium oratoribus agitari cæptum est. Quum periculo dissidioque Lugdunensium audito à vicinis populis in vrbis auxilium intentis, quando iam nulla processerant adhibita liberandæ vrbi remedia, à desperatione consilium capere constituunt. 1574

Lugduni situs. Lugdunensem agrum, adiacentesque Lugdunensi campos crebri passim nili euripique varijs mæandris ac flexibus pererrant: vrbem ipse interſecat, ac ſparſim alluit Rhenus: Iſela & Moſa, hic ad Roterodamum, ille ad Goudam procul quidem excurrunt, ſed promptis inde aquarum corriuationibus accedunt. Horum porrò fluminum, maiorumque canalium alueos, ne, quam intumeſcentis iram oceani ſentiunt ipſi, in campos effundant, certis aggerum quaſi li-

Ferox vicinorũ consilium. neis circumſcribit hominum induſtria. Igitur Hollandi, conſilio cum Lugdunenſibus, columbarum operâ, communicato, perfoſſis disiectiſque, quas annorum plurium labore ſumptuque contra maris

Fractis aggeribus omnia aquis inundantur. ac fluminum eluuiones oppoſuerant, molibus: Moſâ, atque Iſelâ, ipſoque Oceano, tamquam ſubitarijs copijs, in campos immiſſis; paternos latè fundos, ac vicinos pagos aquarum inundatione texêre: nempe vt per eas ſtrages (non minoris ſeptingentis florenûm millibus æſtimatas) factâ nauibus per agros viâ, obſidentium Hiſpanorum caſtra & munitiones alluerent: ac Lugdunum quadraginta milliarium itinere (quod fidem excêdit omnem) intrepidè cum *Ducenta octogenta ſcutorum millia.*

In ſiluis mare. cibarijs ac milite adnauigarent. Et verò noua illa ſpecies maris inter arbuſta ac villas repentè nati, nauiumque per ſiluas emergentium multitudo, potuiſſet vel Hiſpanorum oculos oblectare, quaſi in Romanorum theatris illa ſpectarent aquarum miracula ſiluis ſuccedentium, ac ludicras concurrentium nauigiorum pugnas: ni ſimul viderent, inſolito ſe demum ſpectaculo peti, atque auxiliares illas è coniurato elemento copias aduersùm ſe dirigi, atque adeo

Claſſis hoſtium per agros nauigat Lugdunum. importato tot onerarijs nauibus ad obſeſſos commeatu, ſpem ſibi omnem præcludi potiundæ vrbis. Cuius profectò vrbis auxilio, haud facile dictu eſt, quàm multa per eam opportunitatem è vicinis vndique inſulis ac portubus apparuerint instructa militibus bombardiſque nauigia, ſumma omnium conſpiratione, parique

Quæ. aduersùs Romanam Religionem odio: quod multi etiam præſeferre gloriabantur, Lunulis pileo præfixis, attexto cum carmine: *Tur-*

& quanta ea claſſis. *ca magis, quàm Papa placet.* Conſtat non minorem fuiſſe claſſem centum quinquaginta nauigijs, omni bellico inſtrumento munitis: neque claſſiarios infra mille ac ducentos, præter nautarum mini-

Obſidētes Hiſpani obſidentur. ſteria, enumeratos. Et tamen non cadebant adhuc animis Hiſpani: coactique, ſuperante mari, deſerere aliqua humiliore ſitu caſtella,

Rarũ conſtantia. alia tamen pertinaci adeò labore mordicus obtinebant, vt alicubi ad aggerem contra vim aquarum atque hoſtium vtcumque attollendum,

1574 dum, quum ligones, atque huiusmodi ferramenta deficerent; terram pugionibus foderent, ac loricis galeisque comportarent. Quod ipsum fecisse olim accepimus simili in necessitate in eodem Belgio Neruios hyberna Quinti Ciceronis obsidentes, gladijsque (quòd alia deessent) molientes humum, ac sagulis exhaurientes. Verùm maiore in horas periculo excrescentium præter modum aquarum, quas in plenilunio, continuato longiùs æstu, flante præsertim cauro, congerebat mare; Hispani obsessi veriùs quàm obsidentes, repentino Valdesij metu serò vtique damnantis omissam potiundæ vrbis opportunitatem, intempesta nocte, depressis in proximas fossas maioribus tormentis, obsidionem quarto pòst mense deseruere. Nec fuga ipsa sine clade fuit: insequente illos hoste harpagonibus armato, idest perticis ferro adunco præfixis, aut vncis per oblongos funes immissis, quibus grauiter Hispanos sauciabant, ac multos eorum captos in naues attrahebant. In quo mirum, quod de Petro Ciacconio Borgiæ Subcenturione commemorant. In hunc, quòd paulo ab alijs diuersus accurrerat ad defendendum pontem, incertus hostium lembus, immissisque quatuor harpagonibus, hominem mordicus arripuit, traiectumque vncis, atque adeo mortuum vti videbatur, attraxit. At ille nauigio impositus, vbi eos videt (sex septemue erant) expiscandis alijs intentos, à tergo exurgens, elatâque, quæ fortè ante pedes erat, securi, quantâ maximâ potest vi (namque arrepta tantùm veste tractus fuerat, corpore integer propemodum erat) vnum, alterum, tertium prosternit: reliqui inopinato rediuiui hominis furore perculsi in aquas desiliunt, Ciacconius nauigio potitur, vtque erat onustum frumento, laboranti ciuitati destinato, ad socios qualecumque victis solatium deducit.

Bern. Men. lib. 11.
Cæsl. 5. de bell. Gall.
Paul. Oros. l. 6.
Antiquorum gemina.
Sprincfluet vocat Belga.
Hispanorum discessus.
non sine clade.
Ciacconij facinus.
Ber. Mend. l. 11.

OBSIDIONIS infortunium nouo tumultu auxere Hispani milites, spe videlicet frustrati Lugdunensis prædæ, stipendiorum loco destinatæ. Incenditque seditionem rumor, quasi Valdesius eius expeditionis ductor, acceptâ à Lugdunensibus pecuniâ, paratam vrbis oppugnationem distulisset. Quod quamquam à Valdesij moribus abhorrebat aduersùs auaritiam incorrupti: nec congruebat Batauorum ad eam diem simplicitati; creditum tamen, aut potiùs compositum ab ijs, qui cetera ignari, improsperum rei exitum imputari nolebant sibi: & occasionem repetendi tamquam à pecunioso [illegible] stipendia conquirebant. Certè exarsit illico seditionis flamma, comprehenditque militum ferme quatuor m[illegible]ia. Qui capto constrictoque Valdesio, Electoque in eius locum [illegible]stituto, quamuis acceptæ pecuniæ rumor illico euanuisset, signa [illegible]amen Traiectum ad Rhenum versis, aggressique vrbem, non antè [illegible]àm ipsius Valdesij operâ repræsentarentur à Requesenio stipendia, sedati sunt. Sed

SEDITIO Hispanorû altera,
in Valdesium cum dubia fidei in obsidione.
Capiunt illum.
Trecht.
Accepta pecunia pacantur.

Hiſpani amiſſum iterata ſeditione, & Lugdunenſi fugâ decus, haud 1575
Res Hiſpanorum proſpera. pòſt multò redemêre, expugnatis ad Iſelam, & in Geldriæ finibus,
ductore Hiergio eius Prouinciæ Præfecto, Burâ, Monfortio, Aquis *Oudenater.*
veteribus, atque Schonhouiâ: vti paulo antè in Hollandia, duce
Vitellio, inter fluuios Vahalim & Leccam, Lerodamo, viciniſque
Lerodamo, Aſperâ, & Huchelio, & contra Gorcomium, Vuorco- *Mich. ab Iſſelt in hiſt. ſui temp.*
mio, aliiſque circà oppidis arcibuſque, magno vtrique incremento
Regiarum partium: quas eodem tempore commodùm auxerat An-
Nouum illis auxilium ab Altempſio. nibal Comes Altempſius, legionem quatuor millium peditum tra-
hens è Germania, Requeſenij iuſſu, qui compertæ hominis fidei,
bono & veteri milite. bellicæque virtuti plurimum tribuebat. Erat hic Pontificis Pij Quar- *Clara Medicea.*
ti ſorore genitus: imbutuſque iam tum nouennis puer ab auunculo *I. Iacobus Mediceus, Marignani Marchio.*
Meleniani Marchione militaribus præceptis, primam ætatem Au-
ſtriacis armis authorauerat: ac multa ſub Carolo ac Ferdinando
Cæſaribus, multa ſub Philippo Rege ſtipendia fecerat in Germa-
Periculum eius ab hostibus. nia, Italia, Belgio, atque in Africa. Acciditque aduentus eius inde
quoque gratior Requeſenio, quòd cæſum illum in itinere, profli-
gatamque, quam ducebat, legionem fama vulgauerat: nec tota ex
vano. Namque, dum ipſe legionem, paucis ſuorum comitatus an-
tecedit, à militibus ferme ſexcentis, ex iis qui à Mochenſi clade
profugerant, in Belgij limine circumuentus, ac duobus vulneribus
ſaucius, medios tamen per hoſtes viam ſibi ſtrenuè dimicans pate-
fecit. Ergo Requeſenius hiſce copiis ad Brabantiæ præſidium oppor-
tunè relictis, quando pacis negotium Bredæ agitatum ab Regiis
Orangianiſque legatis, adnitente, Cæſaris nomine, Guntero Com.
Suartzemburgio ſororis Orangij marito, penitus euanuerat; curas
omnes in expeditionem maritimam, quam dudum moliebatur ani-
mo, feſtinanter intendit.

ZELANDICA expeditio. ETENIM quum Requeſenius animaduerteret, hoſtibus à conti-
Cur ſuſcepta à Requeſenio. nenti magnam partem excluſis, Zelandiæ inſulas perfugio eſſe;
bellum Scaldiam vſque deportare ſtatuit: non quidem per apertum
liberumque mare, (tantum enim haud erat nauium, quibus ſe cum
hoſtili claſſe committeret) ſed per interiecta inſulis freta, quæ pe-
Zelandiæ ſitus. dibus alicubi tranſmitti poſſe inaudierat. Etenim Zelandia flumi-
nibus Scaldi & Moſa in inſulas ſecti, aquis non altè ſtagnantibus al-
luuntur: & Oceanus, qui confuſo cum amnibus nomine illas in-
terfluit, in receſſu vſque adeo alicubi ſubſidit, vt ipſa interdum
culmina pagorum, quos aliquando terris ademit obruitque, mi-
Duces expeditionis Auila, Mondrag. Vitell. ſerabili aſpectu aperiat: atque adeo nauibus per ea quidem loca
viam interdicat. Igitur terreſtri militia Sanctio Auilæ, maritima
Chriſtophoro Mondragonio commiſſa, Vitellio caſtrorum Præfe-
cto vniuerſam expeditionem moderante; Requeſenius horum ma-

ximè

1575 *Sub Albano 1572.* ximè consilio, & Goësianæ traiectionis exemplo animatus, milites qui præirent, & iter præeuntibus designauit. Milites quatuor millia fuere: iter Bergas indictum, inde Tolam, ex hac in insulas Philippolandiam, inde Duuelandiam, postremò Scaldiam, Zelandiæ & expeditionis caput. Et quoniam noritia præcipienda locorum erat, quæ nauibus, quæque pedibus tutò adirentur; datum negotium Ioanni Arandæ, signifero ingentis animi, vt per homines fidos ac gnaros exploraret vada; Raphaëli autem Barberino, equiti strenuo solertique, vt maris stagnorumque mensus altitudinem, apta locis nauigia compararet, deportaretque. Et Aranda quidem edoctus à nautis ac piscatoribus, sub aquis eminentias & colles esse, in quorum iugo præalta illa, quæque inaccessa videbantur, maria, pedum vestigio transmitti possent: exploratum iter Requesénio abunde retulit, eumque ad expeditionem securè capessendam confirmauit. At Barberinus non modò ad transuehendos milites actuarias fabricauit naues, & lembos planioribus carinis, & pontones, & trabibus intextas rates, singula æstimatis antea æstuarijs accommodata: sed etiam, correpto perleui febricula per eos dies Præfecto castrorum Vitellio, eius iussu aliquot subitarias munitiones & castella in aditu Zelandiæ, ad capita & flexus Euriporum excitauit: & itinera, cibariorumque inuectiones in castra communijt: & complura, quæ Vitellij muneris erant, tanta opportunitate confecit, vt ei Vitellius simul facienda præscriberet, simul gratias pro factis ageret: ac re dein bene gesta, amico scribens haud inficiatus sit, multa sibi in ea expeditione laudi data, quæ profectò Barberini ingenio industriæque deberentur. Rebus in hunc modum impigrè curatis, milites Antuerpiâ soluentes, secundo Scaldi flumine, Bergas ad Zomam, inde in Tolam insulam Brabantiæ proximam, ex hac alijs nauigijs impositi in Philippolandiam desertam insulam transiere. Hinc verò in Duuellandiam hostili præsidio validam alia scilicet tranandi ratio ineunda fuit. Distat hæc insula (quæ ante annos quadraginta mari hausta, non multo pòst, excluso, gentis industriâ, truci elemento, incoli cœpta est) freto quatuor millium passuum à Philippolandia. Hoc fretum, quoniam æstu remittente, nauigia non vbique ferret, atque adeo inaccessum hostium classi foret; pedibus transmittendum erat, ea quidem parte, qua vadum à peritis monstraretur. Nam licet alicubi vestigia intra vndas apparerent altioris soli, ea tamen semita perpetua non erat, sed inobseruabiles lacunæ, cæcique subterlabentium riuorum occursus passim intercedere ferebantur. Huic ergo traiectioni certatim obtulere sese ex omni exercitu milites, ostentatione quadam martialis animi, atque ex periculo gloriam accersentes.

Scaldia. *Milites.* *Iter faciendum.* *Aranda iussus explorare vada:* *Barberinus comparare nauigia:* *Illius relatio:* *Huius opus.* *Vitellij loco multa peragit Barberinus:* *Cum Vitellij commendatione.* *Milites in Philippolandiam descêdunt.* *transmissuri in Duuelandiam.* *Quantū, & quale fretum inter vtramq; insulā.* *Et quanta molis illud pedibus transire.* *Offerunt tamen se certatim milites.*

Seliguntur. ſentes: ſelecti tamen primarij ferme Centuriones, ac veterani qui- 1575
que, præſertim ij, vti aſſolet, qui expeditionem impenſiùs proba-
uere, Iſidorus inquam Pacechus, Hieronymus Seroſquequius, hic
Bergarum, ille Goëſij Gubernator: Oſorius Vlloa vetus peditum
Numerus militū. ductor, Barberinus, Aranda, Guiraltus, atque alij omnino mille
ſeptingenti, & quinquaginta, Hiſpani plerique, Belgæ non pauci,
Italique, reliqui Germani, (præter foſſores fabroſque ferme du- *Vallatores.*
centos) magnæ omnes animæ, vitamque gloriæ poſthabentes. Nec
Orangius contrà parat minus interea explorato Requeſenij conſilio Princeps Orangius,
euocato ad ſe Boiſotto Zelandiæ præfecto, cohortes cum eo aliquas
Milites. partim Duuelandiam, partim Ziriczæam, quæ loca bello petebantur,
& nauigia, properè immiſit. Quin & circa Duuelandiam, qua parte procul
ab anguſtijs freti præaltum eſt mare, iuſſit nauigia complura
eouſque accedere, quoad poſſent traijcientes Regios tormentis ac
et nouũ in aquis castellum: miſſilibus inuadere. Denique & illud excogitauit, qua ratione in
ipſo æſtuario repentinum veluti caſtellum tranantibus opponeret.
Namque aliquot onerarias naues militibus ac telis inſtructas, increſcente
mari, ad ea impulit vada, per quæ Regijs tranſitum fore
miro, & audaci consilio. præuidebat, eo conſilio, vt mari abſcedente, ad eminentias terræ
& tamquam ad ſyrtes impactæ certam interea tranſmittentibus inferrent
& ab eo lignorum obiectu moram, & ab armatis illic militibus
cladem. Hiſce tamen delecti milites aut ignoratis, aut potiùs
Non terrentur Regij. deliberato iam animo contemptis, quoniam appetere nunciabatur
hora ſubſidentis freti, exuti armis, ac cetero veſtitu, contenti
Eorum vestitus. calceis, ac femoralibus, binas aut è collo, aut è ſummis haſtilibus,
ne aquis immadeſcerent, ſuſpendêre manticas, nitrato alteram
puluere, alteram nautico pane, caſeoque refertam: geſtantes præter
& arma. gladium, multi haſtam, nonnulli oblongas ſecures, plerique *Alabarda*
Accingunt se operi. ſclopum, alij ligonem, bipaliumue. Hoc ornatu, deducente reliquo
exercitu, ad locum acceſſere, pleni palàm quidem vocibus adhortantium,
clàm verò miſerantium deuotam morti legionem. Et
discriminum, & mortis plena. profectò in mortem ibant, quibus & præſens ab immiti elemento
periculum erat: &, ſi mare pepercifſet, expoſiti ſupererant hoſtium
telis, quorum per mediam claſſem nullo alio, quàm corporum vallo
munitis penetrandum erat: & vtroque demum diſcrimine perfunctis,
vltima reſtabat cum inſulæ præſidiarijs è tuto riparum atque
aggerum expectantibus, iniqua planè dimicatio; quam niſi ſubito
conficerent, intumeſcente interea mari, in hoſtis ſedentis ri-
Huius cum Cæsariana transmissione comparatio. dentiſque conſpectu abſorberentur. Vt hæc ſanè tranſmiſſio nonmodò
committi cum celebri olim Cæſarianorum militum traie- *Cæs.l.5.bel. gall.*
ctione queat: quum illi ex aqua capite ſolo extantes, eo impetu
tranſiere Thameſim, vt hoſtes vim legionum equitumque non ſu-
ſtinen-

1575 ſtinentes, ripas deſererent, ac ſe fugæ mandarent: ſed tanto horum virtus, Cæſarianorum fortitudini præhabenda videtur, quanto Hiſpani pauciores, nec vllo equitum comitatu nixi, nec liberum amnem, ſed inſeſſum hoſtibus Oceanum aggrediebantur: quanto, ſi fortè aduerſa contingeret pugna, minori ſpe ibant recedendi per irremeabilem niſi remis viam: atque adeo quanto certiùs, quum à fronte hoſtis, à tergo hoſte truculentius vrgeret mare; ſi non illico vincerent, vincebantur. Etiam magnanima legio, ſubſidente mari, ſub mediam noctem, iter ingreditur. Ducebat primum agmen, animi magnitudine par agmini ſuo, Ioannes Oſorius Vlloa: vltimum Gabriel Peralta Marchionis Falceſij frater, ingenio ac manu promptus. illud mille ac ducentis, hoc quingentis militibus conſtabat; foſſores, cum ſclopetariorum centuria, medij inter agmen vtrumque claudebantur. Et quoniam monſtrati ſub aquis fuerant à vadorum ſcitis, inter valles voragineſque, colles aliqui ac tumuli, quorum dorſo plures pariter inſiſtere haud poterant; idcirco bini terniue procedebant, incredibili audacia per aquam pectore tenus enitentes. Stabat in littore Requeſenius, iuxtàque Sacerdos propitium vadentibus Numen, ac præſentem opem à cæleſtis militiæ Principe, cuius diem nox illa excipiebat, indeſinenter implorans. Nec fruſtra. Cœcam enim intempeſtamque noctem accenſæ per aëra trabes, rutilanteſque tractim faces, quæque alia oſtenta conflagrantis cæli, præter omnium opinionem repentè colluſtrarunt. Quin etiam viſa ſimul flamma inſtar coronæ in Requeſenium inclinantis, attraxit auidè ad ſeſe militum oculos talium ignaros, ſpeque non dubij ſucceſſus erexit. Qua opportunitate Oſorius arrepta, conuerſus ad ſuos, *Ecquid videtis, Commilitones, extra manipulatim nobiſcum in expeditionem militiam cæli, conſociare nobiſcum arma, præmonſtrare in hoſtem viam, ſignare minaciter vltionem? Equidem antequàm huc deſcenderem, reputata animo periculi magnitudine, Deum anxius adoraui, popoſcique (fateor) non tàm victoriam, quàm honeſtam & non inultam mortem. Nunc verò plenus animi, vota ipſa mea corrigo, extendoque: nec quidquam imperuium nobis, aut inſuperabile iam duco. Magnum ſit licet, quod audemus, Socij, quodque vix credi poterit, homines audere potuiſſe: intraſſe pedibus mare, firmis etiam nauigijs infidum: nec alio quàm corporum remigio ad hoſtium inſulas importaſſe bellum. at non tam temerarium inconſultumque iudicabimus, ſi non ſe quiſque ac vires ſuas æſtimet, nec præſens ab increſcente mari aut dehiſcente periculum metiatur; ſed erectis in cælum oculis, numeret auxiliares inde copias, ac volitantia belli ſocialis ſigna: videat diſpoſitos cælo ignes, quos in hoſtem eiaculatos marini fluctus haud extinguant. Vicimus, Socij, dum non cæli minus intereſt, quàm noſtra viciſſe.*

Deſcendunt in aquas Regij.

Primum agmen Vlloa.

Vltimū Peralta.

Medium foſſorū.

Ordo incedentiū.

Michaël Hernandez è Soc. Ieſu

Requeſenius in littore.

& Sacerdos cū bonis precibus.

Iſſelt in hiſt. Belg. Thuā l. 60. Meteranl. 5. Meurſ in Orāg. l. 10.


Proſpera cæli oſtenta.


M. Hernandes retulit de corona.

Ex quibus occaſio Vlloa animū dat ſuos.

ciſſe. Cordi eſt Deo noſter hic labor: tantoque Auſpice ac Duce ipſi nobiſcum 1575
victoriam ferimus, cauſamque victoriæ. Enimuerò alacres ad ea mi-
Et animati milites feſtinant. lites, quibus eadem perſuaſio cæleſtis auxilij mentes inuaſerat, in-
ſolito aſpectu, ac propè inuitamento Superûm animati, dum, cælo
faces præferente, ſequi tutò licebat viarum duces; Duuelandiam
verſus, quammaxima celeritate, ne mare excreſceret, properabant.
Sed retardat eos anguſtia viarū. Sed quæ feſtinatio eſſe poterat, duobus propemodum hominum
millibus per eas anguſtias gradientibus, quæ quaternis rarò pate-
rent? Nec parum auocamenti afferebant apparentes iam ex aduerſo
& è nauibus proſilientes hoſtes; mari hoſtium naues: quæ licet procul, atque adeo incertis ictibus
iacularentur, exilientes tamen ab eis audaciſſimi nautarum, per no-
ta ſibi vada cum Regijs congrediebantur, nouum inſanumque mi-
ſcentes pugnæ genus: dum vtrique per vndas ſemiconſpicui nunc
eminus ſclopis per aquas ſcintillantibus impetebant ſeſe: nunc co-
minus haſtis & contis è veſtigio eminentioris ſoli ſe certatim pro-
turbabant, reſupinabantque in proximos hiatus, voragineſque. Sed
& hærentia vado nauigia. illa longè grauior ineuitabiliſque pernicies à tranſuerſis, & hærenti-
bus vado nauigijs: quorum cum milite ſclopis atque vncis infeſto
dum alij ex Regijs raptim congrediuntur, alij interim prætereunt;
profectò nonniſi cum magna agminum mora, nec ſine congredien-
tium clade ſuperari hoſtiles hoſce ſcopulos, atrocemque tempeſta-
Vltimum agmen cogitur reuerti. tem neceſſe fuit. Quamobrem æſtuante atque inſurgente iam fre-
to, vltimum Peraltæ agmen parum viæ progreſſum, aqua collo te-
Medium agmen foſſorum partim obruitur; nus inundante, reuerti coactum eſt: &, qui medio inerant, foſſores,
addituſque foſſoribus Belgarum militum manipulus, dum deſpera-
to reditu porrò pergunt, primoſque aſſequi conituntur, partim
partim cæditur ab hoſte. pelago hauſti, partim ab ijs, quas dicebam nauibus iter inſidenti-
bus, immo ab ipſa hoſtium claſſe per auctum iam mare propriùs fa-
cta, adeo ſecura obnoxiaque cæde interempti, vt interfectores ip-
ſos quaſi commortalis naturæ conditione commotos miſeratio ca-
peret aliqua tam infeliciter ac proiectè morientium. Exaudieban-
in hunc modum increpante. turque increpantium voces: *Quò miſeri contenderent? Quorſum im-
protecta inſanè corpora vulneribus obijcerent? Aut quis furor, quæue
merces locare animas Hiſpano, vt velut aquatici canes per vndas im-
miſsi hoſtibus ludos facerent?* Sic illi & feriebant, & miſerebantur. Su-
perfuere ex hac media ducentorum & quinquaginta hominum acie,
Numerus pereuntium. tantummodo nouem. Ex alijs primo in agmine deſideratis, (fuere
duodecim aut tredecim) Iſidorus Pacecchus memorabili exitu fini-
Pacecchi virtus. uit. Namque in pectore traiectus pilâ, dum cadit, ad eumque ac-
currunt, qui circà aderant, milites Centurionem ſuum humeris
Eius ſuprema voces. ſublaturi; collecto vtcumque ſpiritu, *Ite*, inquit, *Commilitones, ite:
neque dum mei vaius, qui iam vixi, cura vos angit, ſociorum veſtro-*

rum


Transmissio Zelandici maris
A. Duuelandia Zelandiæ insula.
B. Ziriczæa urbs Scaldiæ.
C. Lud. Requesenius suos spectans è littore
D. Sacerdos transmittentibus benedicens.
E. Primũ agmen tranantiũ et insulã aggre
F. Insulani repugnantes et mox fugientes
G. Oneraria Zelandica Regios infestans.


Requesenio Gubernatore 1575.
H. Zelandi natantes ad Regios impediẽdos
I. Regij occurrentes hosti.
K. Pugna inter Zelandos ac Regios.
L. mediũ fossorũ agmen crescente freto submers
atiũ. M. Vltimum agmen reuerti coactum.
N. Fulgura et cœlestes faces.

1575 *rum iter intempeſtiuis in me officijs interturbate. Ego fortiter audendo mo-*
rior non indecorè, ne verò infeliciter, vos, vti ſpero precorque, vincend facie-
tis. Sic viro forti, deficiente vita, tantum abundabat animi, vt etiam
moriens alios animaret. Profectò non ego vetera ſic extulerim noſtro- *Eiuſdem cũ Cæſariano Centurione comparatio.*
Cæſ. l. 7. bel. Gal. rum incurioſus, vt hunc Petreio illi Centurioni Cæſariano facilè poſt-
habeam: qui in Gergouienſi oppugnatione acceptis vulneribus pro-
ſtratus, repudiato manipulariũm ſuorum auxilio, *Fruſtra eos conari*
dixit, *opem ferre illius vitæ, quem iam ſanguis vireſque deficerent. Irent po-*
tius ad ſuos, ſeque incolumes reliquæ legioni, dum licebat, adiungerent. Nam
vt ſimilis fuerit in vtroque vitæ contemptus, par cura publicæ ſalutis,
eædem in extremo ſpiritu voces; Hiſpanus certè, quàm Romanus
Petreius. grandius quid agebat, dum hic ab vrbis oppugnatione reiectis effu-
Pacecus. gium commonſtrabat, ille cum Oceano luctantibus expugnationem
prouinciæ ſuadebat. At verò cum reliquo agmine Oſorius nullâ iactu- *Primum agmen Duuelandiam appellit.*
râ perterritus, illuceſcente die, Duuelandiam demum tenuit. Ibi pro-
però ordinata, eo videlicet animo, quem ſuperata pericula faciebant,
aggreſſione: quum ſocios ad victoriam paucis animaſſet, (quid enim
difficile erat perſuadere ijs, quibus & mori perſuaſum fuerat?) ſignum *Pugnat.*
procurrendi in aggerem exemplo dedit: conſertâque illico pugnâ cum
hoſte admiratione audaciæ iam capto, licet is integer, atque ex vallo,
Regij verò feſſi, ac reciprocantibus vndis inſtabiles dimicarent; incre-
dibili tamen fortitudine, quam acuebat ipſa ſpei deſperatio, (quippe
reditu aquis intercluſo, & hoſtium nauibus obſeſſo) non repulere mo- *Vincit.*
dò illos ex aggere, fugaruntque; ſed cæſo inter primos ipſo Carolo Boi-
ſotto Zelandiæ Præfecto, atque inde conſternatis ad Ducis caſum reli-
quis, totâ ſtatim inſulâ potiti ſunt. Vſque adeo NVLLVM eſt telum
ad vincendum potentius neceſſitate vincendi. Id autem vbi proſpe- *Claſſi hoſtili in Scaldiam auxilium transfert.*
xit, quæ in propinquo excubabat, hoſtium claſſis, Scaldiæ timens,
quam ſciebat ab hoſte tot laboribus peti, in eamque inſulam ex Duue-
landia traiectionem multo breuiorem eſſe; continuò verſis illuc naui-
bus, liberum reliquit iter ijs, qui in Philippolandia ſubſtiterant Duci-
bus, Auilæ, Mondragonio, Peraltæ, ceteroque exercitui, vt in Duuelan-
diam properè adnauigarent. Quò appulſis, ac magna ſocios tamquam *Victorum gratulatio.*
vitæ redditos gratulatione complexis, prima in ſaucios impenſa eſt cu- *Et ſauciorum cura.*
ra, qui præſertim ex Nobilitate permulti numerabantur. Hi poſtquam
nauigijs & curribus impoſiti, ex Vitellij præſcripto tranſmiſſi ſunt
Amſtelodamum: tum verò ad reliquum maris tranſnatandum, in lo-
cum ſupplementumque ſauciorum cæſorumque, certatim alij, maio-
re quàm vnquam alacritate, quia priora ſucceſſerant, obtulere ſeſe. Ac
1572. Mondragonio Goëſianæ traiectionis olim duce, in aquis præeunte, *Noua Regiorum tranſmiſſio in Scaldiam.*
ſuperatis, eadem obſtinatione ferociaque, voraginibus ac vadis; Scal-
diam, præcipuam Zelandiæ inſulam, in hoſtium conſpectu admiran-

Pugna cū Scaldianis. tium,ac monstra illos marina compellantium,peruenere.Reiectisque 1575
in insulæ ingressu,dubio aliquandiu marte,præsidiarijs ac munitionibus aliquot eodem impetu expugnatis: *Mors Peraltæ.* amisso interea Gabriele Peralta, animi nimio, fortiusque quàm cautiùs in hostem inuecto; hæsere paulum apud Bommenæam, situ ac defensoribus validam. qua demum subacta, *Regij magnam insulæ partem expugnant.* Ziriczæam, vrbem insulæ principem ac belli caput, coniunctis omnium copijs contendunt. Cuius ab accessu (namque vrbs & ab loci natura,& ab recente subsidio è nauibus exposito munitissima erat)sæpius repulsi,ex Vitellij consilio,ac Requesenij iussu,qui *Ziriczæa obsidet.* iam aduenerant, obsidione illam quàm arctissimè cingunt: ferreamque immensi operis catenam,ne quis pateret auxiliaribus oneratis in vrbem accessus,ad portus ostium circumducunt. Ac post grauissima hiemis incommoda, sæpe etiam apertis ab hoste fluminum emissarijs pæne in castris obruti: tandem reiecto,qui capta Crimponia munitione,victor ab Hollandia huc aduolarat Orangio:ac refectâ immanioribus circulis catenâ,quam hostium naues proris ad carinam vsque ferratis perfregerant,ipso submerso Ludouico Boisotto,eius expeditionis ac maris Præfecto;Ziriczæam nono pòst mense,fame prius domitam, ac Mondragonio deditam subegerunt, quæstu gloriæ maiori, quàm prædæ. *Crimpen.* *1576 2. Febr.* *Denique capiūt.* *1. Iul.*

CHIAPINII Vitellij mors. ET Requesenium quidem,atque Vitellium,qui eam tantopere victoriam expetierant, paulo antè mors abstulerat. Vitellius dum in Scaldia, obsidioni perintentus huc atque illuc recens adhuc à morbo gestatur,sellâ fortè(an dolo?) euersâ,ex aggere decidens,eoque casu,vt erat ætate corporeque grauis, repentè exanimatus in castra primùm, mox inualescente morbo in proximam delatus est arcem: vbi animæ sanitate,quæ sola supererat,Christiano ritu procurata, anno ætatis suæ sexto & quinquagesimo decessit,haud ita magnâ in exercitu mœstitiâ: *Cur ea miles nō multùm indoluit.* pertæsus quippe miles diuturnam prægrauemque obsidionem,Vitellium authorem auersabatur. circumlatum tamen in castris cadauer eius,ac militari pompa defletum est.Maiori luctu,vt iacturæ propior, *At multùm Requesenius.* Requesenius excepto Antuerpiæ cadaueri iusta persoluit. Sed omnes *Plurimùm Antuerpia, funere publica pecunia procurato.* vicit Antuerpiensis Senatus populusque, funere publicâ pecuniâ decreto,perque virtutum eius præconia celebrato,tam procul ab adulatione,quàm à necessitate. Postremò deportatum cadauer in patriam, *Cadauer in patriam relatum.* peractis quàm magnificentissimè parentalibus,in gentilitium Franciscani templi sacellum intulere populares sui. Natus est Chiapinius Vi- *1520. Città di Castello.*
Maiores eius. tellius Tipherni in Vmbria,parentibus Nicolao Vitellio,& Gentilina à Staffa Perusina in militari planè domo; quippe cui & armatam sclopis maioribus equitum turmam, & edoctam in cochleæ morem decurrere peditum phalangem, bellica debet Italiæ disciplina. Et ille quidem quantum martialis animi traheret à Maioribus suis, *Nicolaus Secundus. à Camillo Vite 10. à Vitellozzo Vitellio Nicolai primi filijs.*

pri-

1576 primum eius specimen ostendit aduersùs Hariadenum Othomanicæ classis Præfectum, maritimam Senensium oram rapinis ac

Primum Vitellij militare facinus;

Hariadenus Barbarussa Rex Algerij.

cædibus euastantem. In eum enim properè immissus à Cosmo Florentinorum Duce Vitellius equitum Præfectus, Orbatellum oppidum, cui superbus incenso Herculis portu Hariadenus imminebat, non modo, desperata ab alijs defensione, defendit ipse; sed toto barbaros littore propulsos ad mare, Etruriam deserere coëgit. Acclamatusque propterea ab eius oræ accolis, Etruriæ liberator, Florentiæ militari exceptus est plausu: datumque ei ab Duce, vt quadrigâ, quam primam Florentiæ visam perhibent, per vrbem tamquam in triumpho veheretur. Quibus ille initijs honoribusque parem deinde se præstitit Etruscis in bellis, modò peditum, modò equitum Tribunus: modò Hispanarum simul ac Germanarum legionum ductor. In expugnatione præsertim Herculis portus, oppidique munitione. Quam postremam victoriam, hoc est Senensis accessionis stabilimentum, sicut virtuti potissimum Vitellij acceptam retulit Cosmus, ita illum magnanimus munificusque Princeps donatum Cetonâ, agri Senensis oppido, Marchionem dixit: ac paucis pòst annis institutâ equitum militiâ Diuo Stephano Pontifici sacrâ, cuius nempe die eam victoriam reportauerat; inter primos Vitellium, & quidem magnum Ordinis Commendatorem supremus ipse militiæ Magister adlegit.

ex quo liberator Etruriæ acclamatur:

& primus quadriga Florentiæ inuehitur.

Aduersùs Strozzianos, et Gallos.

Belli munia per eum administrata.

Honores ei à Cosmo habiti.

1554. (rum simul ac Germanarum legionum ductor)

1556. (lum magnanimus munificusque Princeps)

1561. (Senensis oppido, Marchionem dixit)

Inde inclarescere viri virtus, expetique magnis propositis præmijs cæpit: adeo vt Dux Albanus in Paulum Quartum moturus, Vitellio obtulerit equitatus vniuersi præfecturam, ab eo tamen non admissam: quòd diceret, obstrinxisse se voto iamtum concepto, quum primùm militiæ nomen dedit, ***Numquam se arma aduersùs Sedem Apostolicam induturum.*** At reuersus è Melitensi bello, quò eum defendendæ Insulæ Philippus Secundus Hispaniæ Rex immiserat duum millium quingentorumque militum honorariorum Ducem; eiusque Regis inuitatu, Albano in Belgium proficiscenti Castrorum Præfectus additus est: eo successu, vt in Belgico Regis exercitu, in eo Martis campo, ineundis expediendisque, siue in castris, siue inter arma, consilijs, præstantior Vitellio nullus esset. Et verò mirum fuit, hominem obesitate prætumidum, ea valuisse non modò vi mentis, sed etiam corporis expeditè sese inflectentis agilitate: vt in prælijs, ad Ducis prudentiam, non magnopere in illo desiderares bellatoris dexteritatem. Quòd enim sub mediam ferme ætatem, inerescente adeo mole, vt fasciâ è collo demissâ sustinendus venter esset immodicè proiectus, videret tardiorem quotidie reddi se ad belli munia; homo ad militiam cuncta referens, vino sua sibi sponte interdicto, acetum

Preclarum eius votum.

Castrorum Præfectus ab Albano in Belgium ducitur.

Vis animi eius,

& agilitas corporis,

in summa obesitate.

hanc quo modo, quantumque coercuit.

 exin-

exinde bibere ad vitæ vsque finem perseuerauit; effecitque, vt detumescente abdomine, defluenteque ventris pelle, qua ipse se thoracis instar inuoluebat; octoginta septem librarum decreuisse pondo compertus sit. Sed quantum is Italicæ militiæ gloriam auxit apud Belgas, tantum apud eosdem Italico nomini famam pudicitiæ ac pietatis imminuit. 1576

Quid in eo culpatum.

REQVESENII elogium.

VITELLII funus, paucis interiectis diebus, excepit Ludouici Requesenij mors; viri, in quem & paterna Zunicæ domus, & materna Requeseniæ decora confluxere. Nam à Ioanne Zunica patre, magno equitum S. Iacobi Castellanæ prouinciæ Commendatore, idem equestre munus: à matre verò Stephania Requesenia, Dominatum ac nomen accepit. Vnica hæc erat Requeseniæ familiæ, quæ Catalauniæ quidem sedem fixit: alteram enim, quam ex eodem stipite Bernardus Requesenius in Siciliam transtulit, quum eò Prorex venit, Antonij Requesenij Pantellariæ Principis domus prisco adhuc splendore conseruat. A matre autem Ludouicus non magis gentile nomen, quàm maritimi hausit belli peritiam, Requeseniæ gentis dotem. Quippe eius proauus Galceranus Requesenius Catalauniæ Gubernator, Ænarium bellum Præfectus classis Ferdinandi Regis, victis mari Torellijs insulæ Dominis, planè confecit. Et Galceranus alter prioris filius, Triuenti & Auellini Comes, eiusque frater Berlinguerius, ille Neapolitano in Regno, hic in Siculo, Regiæ classis Præfecti succeßere patris oneri gloriæque. Et Berlinguerij filius Ludouicus, paternæ quoque præfecturæ ac virtutis heres, Araisij Solimani classem apud Pantellariam profligauit: vexillis, qui Araisius ex Pontificia Iulij Secundi triteme victor abstulerat, ad Leonem Decimum remissis. Quibus inter alia imbutus exemplis is, quo de loquimur, Ludouicus Requesenius, creato maris Præfecto Ioanne Austriaco, delectus est à Rege, qui adolescentem, Vicarij nomine, moderaretur. Mox eiusdem designatione Regis, in Granatensi bello partes suscepit defendendi maritimas Hispaniæ oras aduersùs Maurorum incursiones, & Selimi Imperatoris auxilia, milite ab Italia deportato. Et in nauali ad Echinandas prælio, Ioanni Austriaco legatus à Philippo Rege datus est, tanta cum authoritate, vt huius ille consilia in primis audire, ac sequi iussus sit. Hæc quamuis impigrè feliciterque gesserit inter arma Requesenius; meliorem tamen in toga, & pacis artibus vulgò habitum non ignoro. Quam ei opinionem cùm mite modestumque ingenium, tùm grauissima ab Rege munia legationesque, & Insubriæ præfectura conciliauerant. Quamquam dissensiones aliquot inter ipsum, Sanctumque Carolum Mediolani Antistitem, nonnihil offecère illius nomini: creditusque non nemini propterea rem Belgicam infeliciter administrasse, ac præpropera morte finijsse.

Maiores eius. — *ex Annal. Arag. Hier Zurita, & aliude.* — *1440.* — *Ischia.*

bello præsertim maritimo clari. — *1480.* — *1516.*

Eadem eius militia. — *1569.* — *1571.* — *Ant Maria Gratia. de bel. Cypr. l. 4. et Thuâ. l. 48. hist.*

Munera pacis. — *An. 1564.* — *An. 1573.*

Dissensiones inter ipsû et S. Carolû. — *Carol. à Basil. S. Petri l. 3. c. 2.*

1576 nijsse. Adduntque, Requesenium in eo morbo sollicitè misisse ad *Io. Petr. Guſſan. l. 3. c. 3.* Carolum, vt ab illo, quem virum Sanctum appellabat, salutari expiatione Crucis impertiretur. Quæ mihi non perinde comperta memorasse non asseruisse, animus fuit. Illud paulo exploratius habeo. Discedentem Mediolano in Belgicas prouincias Requesenium nulla cum offenso Antistite reconciliationis palàm curâ, (nam cum Ecclesia in gratiam redierat, ex Gregorij Tertijdecimi diplomate) in itinere tactum religione allegasse è suo comitatu primarium hominem, qui à Cardinali Antistite piè submissèque deposceret prætetitorum veniam. Quam bonus Pastor libentissimè obtulit, deprecatoremque se pro eâdem à Deo impetrandâ vltro spopondit. *Veniam à S. Carolo abstés petit.* Ceterùm non ego facilè inter infelicia numerauerim Requesenij administrationem, in qua ille sæpius victor, &, quæ omnibus retro victorijs admirabilior fuit, captâ post memorabilem maris traiectionem Ziriczæâ, separatisque inter se Hollandia Zelandiaque, atque adeo faciliore vtriusque prouinciæ recuperatione Regijs partibus effecta, contractiores multo debilioresque, quàm offenderat, hostium vires ad extremum reliquit. *Non videtur infeliciter administrasse Belgium.* Vnum culpæ datum ei non negauerim: quòd ad motus seditiosorum militum compescendos Belgarum populis arma concesserit, ægrè in posterum deponenda. *Quid illud in quo non parum peccauit.* Sed Requesenij successibus nulli obfuere magis quàm milites sui: qui stipendia importuniùs quàm iniquiùs exposcentes, intra biennium ter aut quater seditione renouata, & victorias ipsi suas corrupêre, & Requesenij fato attulere causam. *Plus tamen multo Hispani tot seditionibus.* Etenim Regium equitatum ob dilata sine fine stipendia in Brabantia tumultuantem, quum Requesenius, qui Ziriczæam obsidebat, trepidus inuadisset, veritus, ne aliquot peditum cohortibus idem attentantibus magnorum motuum principium id esset, dum eò protinus contendit, altero quàm Bruxellas attigit die, spe omni vitæ destitutus est. *Et hæc quidem tertia seditio occasio mortis eius fuit.* Ac properè, ne detrimenti aliquid prouincia pateretur, Philippum Comitem Barlamontium, & Petrum Ernestum Comitem Mansfeldium, hunc armorum Ducem, illum Belgij Gubernatorem dixit: iussitque legitimas eius rei tabulas confici, atque ad se referri. *Moribundus Gubernatorem nominat, & armorum Ducem.* *Ex relat. Christ. Assonuillij.* Sed relatæ quoniam antequam legerentur signarenturque, Requesenius vitâ excessit, nulla est habita illarum ratio: *Sed non confectis planè tabulis.* *5. Martij an. ætat. sua 50.* mansitque, pro gentis more, penes primarium Senatum, cui à Statu nomen, Belgicæ administrationis summa, quoad Regi videretur. *Imperij summa mansit apud concilium Status.* Et Rex aliquandiu dubitauit, an ea confirmaret regiminis formam. *Rex dubitat de ea forma regiminis.* Etenim Gregorius Tertiusdecimus, quem inter & Philippum Regem conuenerat, captiuæ Scotorum Reginæ opem ferre; *Et Pontifex proponebat Io. Austriacum.* *Maria Scotorum Regina.* designaturus expeditionis Ducem (Pontificis enim, non Regis nomine suscipiebatur expeditio, ne videlicet æmuli Hispanæ magnitudinis irritarentur) nominauerat Ioannem Au-

Austriacum, maritimis clarum victorijs Imperatorem. Ideoque 1576
Regem hortabatur per Ormanettum Internuncium, vt in Belgium *Nicolaus Ormanettus Episcopus Patauinus.*
Has ob causas. à Gubernatore vacuum, fratrem immitteret: qui & Belgarum populis ob Caroli patris memoriam perquàm carus foret, & inde in Angliam cum classe traijcere, feliciterque, si quis alius, rem gerere proculdubio posset. Quin eidem author erat, vt Regina, (si annuente Deo vindicaretur in libertatem) desponderetur Ioanni coniux cum dotali Angliæ regno: ad cuius aggressionem honestior inde titulus armis Austriacis adderetur. Neque Rex abnuebat. immo (licet expeditionem magis, quàm Ducem probaret) in Belgium iam tum decreuit Austriacum, spopônditque Nuncio se missurum.

Rex tamen Belgico Senatui administrationem permittit; Tamen non ab re putauit, dilata paulum missione, Belgis interea Belgium remittere, permotus videlicet oratione Ioachimi Opperij hominis Belgæ, rerumque in Hispania Belgicarum à secretis: qui *permotus hisce rationibus Opperij.* apud Regem differuerat, Haud dubiè Belgarum Proceres traditam sibi Rempublicam curaturos attentiùs: quamque toties exquisierant à Rege, facturos iam ipsos per sese malo medicinam. simulque Regem, ostensa ea securitate, prouinciarum animos sibi in posterum deuincturum: præsertim quod Senatorum præcipuos, Ducem Areschotum, Comites Mansfeldium, ac Barlamontium, ipsumque Senatus Præsidem Viglium Zuichemum, Religioni, sibique Rex addictos non ignoraret. Sed ea plurium gubernatio (vt nihil interim *Consilium intempestiuum, et Belgio infelix.* prudentiam Regis ab euentu accusem) importuna tunc erat: & TVRBATIS maximè rebus præsentissimum remedium ab vnius imperio peti solet. Certè hanc Principis indulgentiam plus obfuisse Belgio, quàm eiusdem seueritatem, secuta inde prouinciarum pernicies breui aperuit.

INTESTINVM Belgarum bellū. ETENIM populus ab Hispano Rectore liber nouam in eisdem Senatoribus personam nondum agnoscebat: aut potiùs diuisam in multos diminutamque potentiam non magnopere formidabat. Et *ab exigua Senatorum authoritate.* Nobilitas imperium suorum, vti parium, contemptim habebat, eorum mandatis plerunque discordibus facilè elusis. Discordiam ale- *ab eorumdem discordia.* bant Senatorum aliqui Hispanis offensi, atque vltionem meditantes: in primisque Brabantiæ atque Hannoniæ Delegati, quos Re- *Deputati prouinciarum.* quesenius Bruxellas nuper euocauerat. Hi enim, vt erant occultis Orangij artibus delecti, pro ea quam habebant à prouincijs authoritate, Senatum impotentiùs distrahebant. Ac licet vtraque pars nomen & causam Regis obtenderet, adeo tamen studijs consilijsque in diuersa tendebant, vt iam aliqui eorum Hispanienses, alij vulgari nomine Patriotæ dicerentur. Vtque patriæ vocabulum apud populum libertatis imagine falsum fallentemque magnificè iactabatur, dubitandum non erat, quin Belgarum plerique, si armis age-

retur,

1576 retur, in hanc denique partem discessuri essent. Nec diu defuit quæ malum maturauit occasio. Captâ post Requesenij mortem Ziriczæâ, Germanis Hispanisque stipendia certatim exposcentibus, (namque ex ea Insula pecuniæ parum corradebatur) visum est supremo, quem dicebam, Senatui, ad prouincias externæ militiæ onere leuandas, persolutâ pecuniâ dimittere Germanicam legionem Annibalis Comitis Altempsij: quòd hunc inter & Antuerpiæ Gubernatorem Federicum Perenottum Campinij Dominum, exortas super vrbis præsidio simultates, verendum esset, ne publica pernicies sequeretur. At milites Hispani, qui Tribuno Mondragonio Ziriczæam obtinebant, vbi præteriti se, sibique promissa multorum mensium æra in alios spargi animaduertunt, rem longè aliter (nec falsò, vt aliqui affirmant) interpretati, quasi odio nationis id fieret, turbarumque inde necessitas imponeretur; primùm Mondragonio, ni suorum causæ prospiciat, interminantur: mox auditis Altempsij querelis, qui Bruxellis in Senatu palàm testatus esset, dimitti se nullo vrbis Antuerpiæ periculo, nulla suorum importunitate pecuniam efflagitantium, quos semestri adhuc spatio sustentari à se posse pollicebatur; sed solo Campinij astu odioque, qui exclusâ militiâ Regi fida, eòque debilitatis Hispanorum partibus, traditurum se vrbem Orangio speraret. enimuerò & publico periculo solliciti, & priuata iactura tanto ferociùs irritati, quanto ob exantlatos inauditæ fortitudinis in maris traiectu labores æquiora deposcebant; intentatis in Centuriones manibus, ipsi Ducem sibi pro Mondragonio constituunt: præsertim exemplo equitum moti, accessuque partis Valdesianæ legionis aucti. Inde Bruxellas ad Senatum litteras mittunt, pecuniam minaciter orantes. Neque Senatus abnuebat, quippe magna eius parte Regi addicta. Sed Hannoniæ, Brabantiæque Delegati, vti aiebam, Orangio iam pridem empti, publico prouinciarum nomine intercedebant, ærarij difficultatem obtendentes. Dumque Senatores partim illorum denunciationibus deterriti, partim consultationibus impliciti stipendia differunt; Hispani minas contemni suas rati, raptis illico signis in Brabantiam furiosè conclamant, relictâque paucis Vuallonibus Ziriczæâ, relictâ vniuersâ Scaldiâ Duuelandiâque, quas modò insulas tantâ nominis Hispani gloriâ subegerant; nullo satis certo consilio hac atque illac minitabundi per Brabantiam discurrunt: trepidis circà oppidis, suspensisque in quam videlicet partem ea tempestas incumberet. Donec reiectis primùm conditionibus, quas propè Ascam obuiàm factus attulerat, Senatus nomine, Comes Mansfeldius: ac deinde Iuliano Romero ab Hispanis misso ob eandem causam, ne audito quidem: Francisco autem Montesdoca, concussis ferociter armis, & sclopo-

rum

à seditione Hispanorum, quæ fuit quarta.

Occasio, stipendia Germanis oblata, non Hispanis.

Ex relat. Christ. Assonuillæ.

Qui iniuriam agnoscunt,

Mar. Delr. l. 1. Turb. Belg. & alij.

confirmati ex Altempsij querelis.

Inde in seditionem versi,

debitam pecuniã à Senatu flagitant.

sed stipendijs astu dilatis,

in Brabantiam hostiliter contendunt.

Oblatas conditiones reijciunt

Auſtriacum, maritimis clarum victorijs Imperatorem. Ideoque Regem hortabatur per Ormanettum Internuncium, vt in Belgium à Gubernatore vacuum, fratrem immitteret: qui & Belgarum populis ob Caroli patris memoriam perquàm carus foret, & inde in Angliam cum claſſe traijcere, feliciterque, ſi quis alius, rem gerere proculdubio poſſet. Quin eidem author erat, vt Regina, (ſi annuente Deo vindicaretur in libertatem) deſponderetur Ioanni coniux cum dotali Angliæ regno: ad cuius aggreſſionem honeſtior inde titulus armis Auſtriacis adderetur. Neque Rex abnuebat. immo (licet expeditionem magis, quàm Ducem probaret) in Belgium iam tum decreuit Auſtriacum, ſpopondit que Nuncio ſe miſſurum. 1576

Nicolaus Ormanettus Epiſcopus Patauinus.

Has ob cauſas.

Tamen non ab re putauit, dilata paulum miſſione, Belgis interea Belgium remittere, permotus videlicet oratione Ioachimi Opperij hominis Belgæ, rerumque in Hiſpania Belgicarum à ſecretis: qui apud Regem diſſeruerat, Haud dubiè Belgarum Proceres traditam ſibi Rempublicam curaturos attentiùs: quamque toties exquiſierant à Rege, facturos iam ipſos per ſeſe malo medicinam. ſimulque Regem, oſtenſa ea ſecuritate, prouinciarum animos ſibi in poſterum deuincturum: præſertim quòd Senatorum præcipuos, Ducem Areſchotum, Comites Mansfeldium, ac Barlamontium, ipſumque Senatus Præſidem Viglium Zuichemum, Religioni, ſibique Rex addictos non ignoraret. Sed ea plurium gubernatio (vt nihil interim prudentiam Regis ab euentu accuſem) importuna tunc erat: & TVRBATIS maximè rebus præſentiſſimum remedium ab vnius imperio peti ſolet. Certè hanc Principis indulgentiam plus obfuiſſe Belgio, quàm eiuſdem ſeueritatem, ſecuta inde prouinciarum pernicies breui aperuit.

Rex tamen Belgico Senatus adminiſtrationem permittit;

permotus hiſce rationibus Opperij.

Conſilium intempeſtiuum, et Belgio infelix.

ETENIM populus ab Hiſpano Rectore liber nouam in eiſdem Senatoribus perſonam nondum agnoſcebat: aut potiùs diuiſam in multos diminutamque potentiam non magnopere formidabat. Et Nobilitas imperium ſuorum, vti parium, contemptim habebat, eorum mandatis plerunque diſcordibus facilè eluſis. Diſcordiam alebant Senatorum aliqui Hiſpanis offenſi, atque vltionem meditantes: in primiſque Brabantiæ atque Hannoniæ Delegati, quos Requeſenius Bruxellas nuper euocauerat. Hi enim, vt erant occultis Orangij artibus delecti, pro ea quam habebant à prouincijs authoritate, Senatum impotentiùs diſtrahebant. Ac licet vtraque pars nomen & cauſam Regis obtenderet, adeo tamen ſtudijs conſilijſque in diuerſa tendebant, vt iam aliqui eorum Hiſpanienſes, alij vulgari nomine Patriotæ dicerentur. Vtque patriæ vocabulum apud populum libertatis imagine falſum fallentemque magnificè iactabatur, dubitandum non erat, quin Belgarum plerique, ſi armis ageretur,

INTESTINVM Belgarum bellū.

ab exigua Senatorum authoritate.

ab eorundem diſcordia.

Deputati prouinciarum.

1576 retur, in hanc denique partem discessuri essent. Nec diu defuit
quæ malum maturauit occasio. Captâ post Requesenij mortem Zi- *à seditione Hispanorum, quæ fuit quarta.*
riczæâ, Germanis Hispanisque stipendia certatim exposcentibus,
(namque ex ea Insula pecuniæ parum corradebatur) visum est su-
premo, quem dicebam, Senatui, ad prouincias externæ militiæ *Occasio, stipendia Germanis oblata, non Hispanis.*
onere leuandas, persolutâ pecuniâ dimittere Germanicam legionem
Annibalis Comitis Altempsij: quòd hunc inter & Antuerpiæ Gu-
bernatorem Federicum Perenottum Campinij Dominum, exortas
Ex relat. Cirutl. Assonuillej. super vrbis præsidio simultates, verendum esset, ne publica perni-
cies sequeretur. At milites Hispani, qui Tribuno Mondragonio Zi- *Qui iniuriam agnoscunt.*
riczæam obtinebant, vbi præteriti se, sibique promissa multorum
mensium æra in alios spargi animaduertunt, rem longè aliter (nec
Mar. Delr. l. 1. Turb. Belg. & alij. falsò, vt aliqui affirmant) interpretati, quasi odio nationis id fie-
ret, turbarumque inde necessitas imponeretur; primùm Mondra-
gonio, ni suorum causæ prospiciat, interminantur: mox auditis
Altempsij querelis, qui Bruxellis in Senatu palàm testatus esset, di- *confirmati ex Altempsij querelis.*
mitti se nullo vrbis Antuerpiæ periculo, nulla suorum importuni-
tate pecuniam efflagitantium, quos semestri adhuc spatio sustenta-
ri à se posse pollicebatur; sed solo Campinij astu odioque, qui ex-
clusâ militiâ Regi fida, eòque debilitatis Hispanorum partibus, tra-
diturum se vrbem Orangio speraret. enimuerò & publico periculo *Inde in seditionem versi.*
solliciti, & priuata iactura tanto ferociùs irritati, quanto ob exan-
tlatos inauditæ fortitudinis in maris traiectu labores æquiora depo-
scebant; intentatis in Centuriones manibus, ipsi Ducem sibi pro
Mondragonio constituunt: præsertim exemplo equitum moti, ac-
cessuque partis Valdesianæ legionis aucti. Inde Bruxellas ad Sena- *debitam pecuniam à Senatu flagitant.*
tum litteras mittunt, pecuniam minaciter orantes. Neque Senatus
abnuebat, quippe magna eius parte Regi addicta. Sed Hannoniæ,
Brabantiæque Delegati, vti aiebant, Orangio iam pridem empti, *sed stipendijs adiu dilatis,*
publico prouinciarum nomine intercedebant, ærarij difficultatem
obtendentes. Dumque Senatores partim illorum denunciationibus
deterriti, partim consultationibus impliciti stipendia differunt; Hi-
spani minas contemni suas rati, raptis illico signis in Brabantiam fu-
riosè conclamant. relictâque paucis Vuallonibus Ziriczæâ, relictâ
vniuersâ Scaldiâ Duuelandiâque, quas modò insulas tantâ nominis
Hispani gloriâ subegerant; nullo satis certo consilio hac atque illac
minitabundi per Brabantiam discurrunt: trepidis circà oppidis, su- *in Brabantiam hostiliter contendunt.*
spensisque in quam videlicet partem ea tempestas incumberet. Do-
nec reiectis primùm conditionibus, quas propè Ascam obuiàm fa- *Oblatas conditiones reijciunt.*
ctus attulerat, Senatus nomine, Comes Mansfeldius, ac deinde Iuliano
Romero ab Hispanis misso ob eandem causam, ne audito quidem:
Francisco autem Montesdoca, concussis ferociter armis, & sclopo-
rum

rum minis absistere iusso; Alostum Flandriæ vrbem Bruxellis haud 1576

Alostum vi capiunt. *25. Iulij.*

procul sitam inopinatò intercipiunt, Regio illius ministro, qui sollicitè occurrerat, ante portam è furca suspenso: palàm testati, Alostum pignoris loco à se teneri, dum stipendia soluerentur. Id verò simul ac Bruxellas perlatum est, addita, sed falsò, ciuitatis depopulatione ac cæde ciuium; tantus Bruxellensium animos furor incessit, vt Hispanos ad necem tota vrbe conquirentes, obuium fortè famulum Hieronymi Rodæ Hispani Senatoris ante alios Belgis inuisi, quòd & Requesenio Gubernatore pleraque administrauerat, & Regias tunc partes intrepidè sustinebat in Senatu, mulctato fœdè corpore contrucidauerint, Rodam ipsum aggressuri, Alphonsumque Vargam, & Iulianum Romerum, ni se protinus in Curiam, admonente periculo, subduxissent. Quin etiam auditis Hispanorum minis, qui ex Alosto Bruxellas inuasuros sese affirmabant, nisi pecunia penderetur, publico Senatus decreto (neque enim aliter sedari posse multitudinem asseuerabant) rebelles hostesque Regis ac patriæ Hispani, qui Alostum obtinebant, milites renunciantur: & arma Bruxellensi populo ad vrbis tutelam permittuntur. Quo exemplo complures Brabantiæ Flandriæque ciuitates, quòd eadem timere se dicerent ab Vuallonibus ac Germanis, præsidiarijs suis; pari Senatus indulgentia, & Delegatorum instinctu, induêre arma. Hoc autem Hispani per Belgium Duces veriti ne contra nationem vniuersam conspiratio prouinciarum foret, dum ipsi quoque intentiùs militiam procurant, suspecti simul ac suspectantes, augent inuicem odiorum causas: ac dum mutuo metu hostes sese esse suspicantur, hostes fiunt. Quum enim Sanctius Auila, qui militari scientia, & Antuerpianæ arcis præfectura ante alios erat, compositis ad Senatum litteris aliquanto acriùs questus esset, armari ciuitates, ac turbas sub remedij nomine foueri: quumque paria à Senatu responderentur de auctis ab Auila, Senatu inconsulto, præsidijs: ideoque, vt ea Hispani dimitterent, Auila admoneretur; in apertum breui dissidium erupêre. Nam & à Senatu, nouo edicto, Ne quis ope, consilioue seditiosos apud Alostum Hispanos adiuuaret, imperatum est: & ab Auila, quamquam seditiosis irato, ne tamen illi circumuenirentur à Belgis, tormentario puluere, ac tribus campestribus bombardis adiuti sunt. Verùm opportunè per eos dies, reuersus ab Hispania Carolus Croius Marchio Hauræus, Arschoti Ducis frater, cum litteris Philippi Regis ad Senatum, quibus breui affuturum spondebat Ioannem Austriacum Belgio præfectum; non parum ciuilis belli principia retardauit: præsertim quum, ne imputarentur ea sibi, vtraque pars studiosè caueret: ideoque, missis extemplo nuncijs, occupare noui Gubernatoris animum vtrinque certa-

Tumultus Bruxellis.

Hispani Senatoris famulus interficitur.

Scribit Roda nominat Franc. Haraus in An. Belg.

Milites Hispani à Senatu hostes pronunciantur.

Arma in eos permittuntur.

Auila querela aduersus Senatum.

Et Senatus aduersus Auilam.

Edictum Senatus contra Alostanos.

Ex relat. Christ. Assonuil.

Auxilium Auila pro Alostanis.

Ciuilis belli principia retardatur ab Hauræo.

in fine Aug.

1576 certatum est. Sed has velut inducias quoniam trahi à se longiùs haud posse, aduersis prouinciarum Delegatis, animaduertebant

2. Sep.

Senatores Regiarum partium; post Io. Baptistam à Bosco properare iussum in Hispaniam, Maximilianum Rassinghemium & Franciscum Vasseurum ad Regem sollicitè allegant, contestantes:

Vasseur. Moriensar. ii dom.

Ex relat. Christ. Assonuillij.

Litteræ Senatus ad Regem.

Authoritatem Senatus inferiorem esse populorum odio in Hispanos adeo gliscente, nullus vt ferme sit in opificum turba, nullus in agris colonus, coëmendis galeis aut sclopis non intentus. Nec coërceri multitudinem à præsidiarijs militibus, qui stipendijs destituti, ac prædarum spe illecti, oppida passim diuexando, ac Belgium omne minis perterrendo, turbas immensùm augeant. Ærario ne nummum quidem superesse ad stipendia. Accepisse se ab eius Maiestate, Marchionis Haurei manu, septuaginta nummûm aureorum millia: sicut & paulo antè totidem acceperant. Sed hanc denique summam ab Hispania intra sex menses Belgio suppeditatam, vix vnius mensis stipendio satis esse. Sustentatam à se tamen vtcumque Rempub. ad eum diem Regijs promissis, ac nuper ostentato Austriaci Gubernatoris aduentu. Qui si paulum cunctetur, erupturum haud dubiè malum in publicam irreuocabilemque perniciem. Nimirum fluctuanti ac fatiscenti Belgio hactenus subuentum, dum vni rimæ alteriue occurri potuit. Iam si pluribus in locis laxari pergat accedere; verendum, ne dehiscenti nauigio sera sit omnis Gubernatoris industria. Hæc porrò libera Senatorum denunciatio etsi Regem tunc quidem impulit, vt Ioannem Austriacum in Belgium citatis equis festinare iusserit; ea tamen celeritas, vt sæpe ab Hispania, serò vtique parabatur, atque adeo non absque rerum exitio publicarum. Siquidem MAGNO in morbo numquam certior imminet interitus, quàm quum parcè remedia, eaque non tempestiuè adhibentur: si præsertim externa non desint, quæ corruptos à calore immodico humores euentilando, intus ignem acriùs intendant. Etenim Orangius, qui nihil oblatum sibi fortunatius intelligebat eâ Regiorum discordiâ Gubernatorum; vertebat se in omnem partem, crebrisque ab Hollandia litteris ac nuncijs ad libertatis consueta vocabula, dominationis ipse percupidus, Præfectos prouinciarum, Senatoresque sollicitabat. Ferebaturque, per emissarios suos prætentasse Areschoti Ducis animum; vt, quando in Senatu præ ceteris posset, (namque à Rege, quum in demandando Senatoribus Belgio, recensitus esset primo Areschotus loco, veluti Princeps Senatus habebatur) eam potentiam patriæ commodaret, pulcherrimumque Liberatoris Belgij titulum opportunè capesseret. Neque id difficile futurum volenti consilia secum consociare: cum quo certiùs vt vinculum intercederet, matrimonijs posse mutuis amicitiam firmari, si Orangij primogenito Burano Comiti, Areschoti filia: huiusque primogenito

Ioannem Austriacum in Belgium festinare Rex iubet.

Interim Orangius discordijs Regiorum vtitur.

Præfectos prouinciarum vrget in Hispanos.

Areschotum allicit.

Cimacio Principi, filia Orangij deſponderetur. Adduntque, ex eo tempore Areſchotum ab Hiſpanorum partibus abalienatum. Sed quidquid id fuerit, ſatis conſtat, Nobiles complures, Senatoreſque nonnullos dubio in Hiſpanos animo, recente Aloſtanenſium militum progreſſu commotos, (cœperant enim Licherchianam arcem Bruxellis haud longè ſitam) clàm iniiſſe cum Orangio ſocietatem. Idque ſtatim patuit in Senatu, qui auditis Hiſpanorum nouis propioribuſque minis, ſollicitè cum Brabantiæ Hannoniæque Delegatis eſt coactus. Quum enim ſuaderent alij, tam crebras ſeditiones Hiſpanorum, ac poſtremas aduerſùs Regium Senatum minas armis aliquando compeſcendas: alij contrà differerent, debitâ potiùs pecuniâ mitigandas: prædicerentque, arma ſuſcipi in eos, qui carò pellem venderent: neque paſſuros Hiſpanorum Duces, qui pleriſque arcium potiebantur, ea conſpiratione affligi populares ſuos, ſeque & Regem præcipuo veteranarum legionum robore nudari: immo Regem indignè laturum, ſe inſcio, bellum geri aduerſùs militiam ſuam. Enimuerò incredibile dictum eſt, quo Delegatorum Senatorumque nonnullorum ſtomacho, ac pæne conuicijs, horum ſententia reiecta ſit. Quin etiam eâdem ex Senatu ad Bruxellenſem plebem callidè euulgatâ, quaſi Senatores aliqui, fœdere cum Hiſpanis inito, deditionem vrbis agitarent; eo omnes furore ad arma conclamarunt, vt protinus creari Bruxellarum Gubernatorem, Gulielmum Hornanum Heſij Dominum, iuuenem nomini Hiſpano apprime infenſum, iuſque illi armorum illico tribui poſtulauerint. Atque is per ſpeciem placandæ multitudinis, re vera partes ſuas firmaturus, iubet Glimæum Brabantiæ Vuallonicæ Præfectum, cum militum cohorte improuiſò Curiam ingredi, fractiſque aulæ foribus, Comites Mansfeldium, ac Barlamontium, Viglium Præſidem, Chriſtophorum Aſſonuillium, Aloyſium Delrium, alioſque nonnullos Senatores, Hiſpanienſes vulgò appellatos, ex Senatu ipſo abripi, certaque domo cuſtodiri: ne pernicioſa, vti aiebant, conſilia contra publicam quietem inita promouerent. Quo facinore non magis in primarios viros, quàm in Senatum ipſum, adeoque in Principem, cuius perſonam ille ordo ſuſtinebat, iniurioſè imperioſèque peracto; omnis planè concidit Senatus authoritas: atque ille demum dies Regiorum imperio Senatorum ſupremus fuit: iactaque tunc primùm ſunt eius fundamenta regiminis, quod penes Ordinum Procuratores per Belgium Regi ſubtractum hodieque perdurat. Nam licet alijs, in eorum qui capti erant locum, ſubſtitutis, viuere adhuc ac mouere ſe Regius Senatus videretur: vis tamen omnis apud prouinciarum Delegatos erat, quorum videlicet arbitratu aſcriptitius ille cœtus, tamquam lignum alie-

nis

1576

Mar. Delr. l. 1. Turb. Belg.

Senatus de Aloſtanis.

Aliqui ſentiunt armis cōpeſcendos.

Alij non vlterà irritandos.

& hi vaticibantur:

Sed tamen explodantur vti patriæ proditores.

Nouus creatur Bruxellarū Gubernator.

Iuſſu eius Senatores habiti partium Hiſpanarū è Senatu in cuſtodiā trahūtur.

4. Sept.

Regij Senatus authoritas cadit.

Nona regiminis forma per Deputatos.

Statuum Deputati.

1576 nis mobile neruis agebatur. Inde hostilem in modum pleraque ad-
20. Sep. ministrari cœpta: Senatus consultum de Hispanis toto Belgio eijcien- *Ab his edictũ de Hispanis Belgio expellendis.*
dis furiosè conditum: conuocati prouinciarum omnium Ordines:
Ex relat. Christ. Assonuillij. imperata populis arma, atque vnius aurei mulcta recusantibus imposita.

HÆC autem quamuis fierent Rege non solùm inconsulto, sed *GANDAVENSIS fœderis initia.* etiam, vti non ignorabant, inuito, (quippequi Ordines cogi sæpe vetuerat) atque adeo ad rebellionem spectare non obscurè viderentur: eo tamen prouinciarum consensu excepta sunt, vt paucos intra dies Brabantia, Hannonia, Artesia, Flandria, missis ob eam rem Procuratoribus Bruxellas, inter se conuenerint, mutuamque aduersùs Hispanos opem iureiurando condixerint. *Prouinciæ quatuor contra Hispanos opem offerunt.* Quin eodem impetu nobiles viros oratum auxilia contra Hispanorum, sicuti aiebant, tyrannidem allegare ad finitimos Principes: *Contra eosdem auxilium orant finitimorum* in Galliam primùm, Angliamque, deinde in Cliuiam, postremò & in Hollandiam ad Orangium, inituri cum eo fœdus, si missis Gandauum, cuius arcem Hispani obtinebant, *Et cum Orangio paciscuntur:* cohortibus aliquot, ac tormentis, vires consociaret. A quo quàm celerrimè subministratis quæ petierant *à quo adiuuantur ad recuperandum Gandauũ.* omnibus, arce in potestatem recepta, eique propterea pignoribus loco, Neoportu, maritimo Flandriæ oppido interim tradito: ad alias, quas nominaui, catholicas prouincias, Hollandia, Zelandiaque hæreticæ factionis, adiunctæ sunt: *Aliæ prouinciæ accedunt.* interque omnes de fœderis ineundi capitibus, nullo supremi respectu Principis, Gandaui cœptum est agi. Aduenerant in hanc vrbem Regij Senatus inuitatu, *Conuentus Gandaui incæptus.* non modò finitimorum Principum, earumque quas memoraui prouinciarum, sed sacrorum etiam per Belgium Antistitum legati. *Mira contra Hispanos concordia,* Qui quamquam diuersarum factionum Religionumque, quamquam odijs inter se paulo antè ad necem vsque diffidentes, recentique adhuc sanguine in Hollandiæ Zelandiæque bellis aspersi; tamen in illud caput, quod ex vigintiquinque, erat præcipuum, *Vt milites Hispani, externique omnes, coniunctis perpetua pace, ac fœdere Hollandis Zelandisque cum ceteris prouincijs, quamprimùm Belgio eijcerentur:* vsque adeo consensere, tantumque speratæ inde libertatis desiderium apud eos valuit, vt omnes, etiam nonnulli Regijs addicti partibus, *etiam Regiarum partium,* etiam ex sacro ordine complures, maiori sanè studio quàm consilio, in illud fœdus iureiurando nomen dederint. *& Ecclesiasticorum.* Planè vt ijdem esse hodieque Belgæ viderentur, *L. 7. de bel. Gal.* quos olim in se expertus est Cæsar: *Similis olim concordia in eijciendis Romanis.* dum coacto de Romanis eijciendis concilio, tanta vniuersi Belgij consensio fuit libertatis vindicandæ, vt neque beneficijs, neque amicitiæ memoriâ mouerentur, omnesque & animo & oppibus in id
30. Sep. bellum incumberent. Iuuit conspirationem sollicitudo ex primæ velitationis euentu, qua Glimæus Ordinum ductor aggressus consi- *Auget concordiã Belgarũ audita Glimæi fuga, cladesque:*

denter Hiſpanos inter Louanium ac Tillemontem ab Alphonſi Vargæ equitatu fuſus fugatuſque eſt, tanto quidem maiori dedecore, quàm clade, (neque enim plures trecentis Glimæanorum cecidere) quanto certiùs ſibi ſpoponderant de Hiſpanis victoriam, ad quorum ſpectandam haud dubiè cædem vicinos inuitauerant. Sed multo adhuc magis perculit nuncius Gandauum paulo pôſt allatus de Traiecto ad Moſam ab Hiſpanis recuperato, non ſine ciuium cæde, fortunarumque direptione. Vix enim Traiectenſes corrurupto abductoque in partes Germanorum præſidio, eiecerant vrbe Hiſpanos milites, fraude retento ac vincto Franciſco Montesdocha eorum Tribuno; quum à Martino Ayala Montesdochæ vicario, Vuiccham obtinente, (quæ eſt altera trans Moſam pars vrbis ponte coniuncta) confeſtim admonetur, quo res loco Hiſpana eſſet, Ferdinandus Toletanus, qui à Dalemio cum aliquot peditum ſignis illac fortè contendebat: atque in tempore exceptus Vuicchæ, coniunctis copijs ambo procurrunt ad pontem. Sed eius caput diſpoſitis tormentis validum intuentes, id conſilij raptim ineunt. Captas, quas potuere, loci mulieres ante ſe ſtatuunt, obijciuntque: atque eo promoto veluti vallo ſubeunt pontem muliebriter clypeati, ſclopos ſubter earum brachia axellaſque in hoſtem collineantes. In quos dum explodere ciues trepidant, ne conſanguineas affineſue, populares certè ſuas, antequam Hiſpanos, impeterent; audiunt, ex altera Traiecti parte Alphonſum Vargam, inducto per incenſam Bruxellenſem portam equitatu, penetraſſe in vrbem. Inde ad tuendas domos ſuas pleriſque eorum dilabentibus, pons expugnatur, Germani ſe dedunt, Traiectum capitur.

1576

Mar. Delr. l. 1. Turb. Belg.

& Traiectum ab Hiſpanis recuperatū ac direptū.

Maſtricht.

Mar. Delr. l. 1. Turb. Belg. & Chriſt. Aſſenuill. in relat.

Dalem.

Mulieris a…

HÆC vbi Gandauum perlata ſunt, metu, ne idem contingeret Antuerpiæ, intermiſſo paulisper, quod dicebam, fœderis negotio; Bruxellas aduolant Ordinum Delegati, vnàque cum Senatu, nouos imperant militum delectus. Et commodùm per eos dies aduenerat à Germania Philippus Comes Egmontius Lamoralij filius, ingenti Brabantinorum Ordinum gratulatione Bruxellis exceptus. Huic ergo vti futuro necis paternæ vindici, maiorem exercitus partem, partem Marchioni Hauræo, partem Goignio, Caprio, ac Berſelio tradunt: eoſque Antuerpiam cum Germana Oberſtenij legione iungendos properè immittunt. Eam vrbem Federicus Perenottus Campinij Dominus, vrbanam verò militiam Otho Comes Oberſtenius regebant, recentibus odijs, Hiſpanorum partibus offenſi, eòque proniùs excepere miſſos ab Delegatis Ordinum milites: qui, præter Vuallonum Egmontij legionem, tribus & viginti peditum ſignis, equitum quatuordecim continebantur. Quo aucti præſidio Antuerpiani præmunire ſtatuunt viarum capita, vnde ab arce aditus

DE ANTVERPIAE occupatione.

Pro ea vrbe ſollicite Ordinum Deputati copias eo immittunt.

Ex aula Caſ. vbi fuerat à nece Patris an. 8.

Antuerpiani c… …

1576 tus in vrbem: & (quoniam Hiſpani arcem obtinebant, indeque vrbem territabant) ex Campinij conſilio vallum ac foſſam ducere aduersùs arcem tanta celeritate orſi ſunt, abſoluerũtque, vt intra vigintiquatuor horas aggerem in ſexdecim cubitorum altitudinem quibuſdam in locis extulerint: viris, mulieribuſque ſupra duodecim millia inſudantibus operi. Nec ſegniùs ab Auila arcis præfecto euocati qui Liræ, quique Bredæ, quique alijs alij in oppidis propiùs aderant Hiſpani, Burgundi, aliique, pedites equiteſque, ducibus Iuliano Romero, Antonio Oliuera, ac Franciſco Valdeſio, Antuerpiam protinus aduolarunt. [*Hiſpani vndique Antuerpiam accurrunt.*] Quin & eodem tempore à ſuperiore Traiecto [*Maſtricht*] Alphonſus Vargas cum equitatu, quúm tamen ad eos nuncius adhuc nullus perueniſſet: & eâdem propemodum horâ, quaſi eam condixiſſent, qui Aloſti erant Hiſpani, non quidem nouo cuiuſquam inuitatu, quem reiecerant ſemper, ſed vti arbitror, ſubſidio ab Auila paulo antè miſſo prouocati, ſuo cum Electo, præter opinionem affuerunt. [*Etiam ſeditioſi ab Aloſto.*] [*Subſidium tormentorũ & pulueris.*] Exceptique omnes arce, non ſine certa animi perſuaſione, à Deo videlicet illuc euocatos maturè ſe, quo Regis cauſam à Regio Senatu proditam vlciſcerentur ipſi; [*Excipiuntur omnes arce.*] [*Cõcil. Aſſen. in rel.*] paratis ab Auila cibis corpora paululiſper curant, egreſſuri mox in prælium. ſoli tamen, inter eos, Aloſtanenſes, quamuis iter quatuor & viginti milliarium ieiuni confeciſſent, vix epoto vini cyatho, truces adhuc implacatique iurarunt, *Nuſquam ſe niſi capta in vrbe cenaturos*. [*Seditioſorum ferocia.*] Dicti ferociam virtus æquauit. Nam dato ab Auila egrediendi ſigno, erumpentes ab arce omnes, (erant quinque circiter millia, præter equites omnino ſexcentos) calonibus à tergo lixiſque ſtramina ac faces, ſpargendo vbi opus eſſet incendio, deferentibus; [*Hiſpani ex arce in vrbem vadunt.*] tanto impetu vallum aggrediuntur, arce interim in valli defenſores fulminante, vt foſſa atque aggere, quem armatorum ſex ferè millia propugnabant, incredibili præſertim Aloſtanenſium audacia ſuperatis, tripartitis copijs in vrbis interiora penetrauerint. [*Vallũ expugnãt.*] Ibi conſternatis ſubita irruptione ciuibus, [*vrbem intrant.*] nec ſatis concordibus inter ſe præſidiarijs, dum ſinguli ſeorſim conſulunt ſibi, neglectâ publicæ rei curâ, priuatam ſimul omnes amiſere. [*Præſidiarij diſcordant trepidántque.*] Et quamquam his, qui Michaëlanâ viâ irruperant, obtulit intrepidè ſe ſua cum legione Comes Egmontius, [*Egmontius contra tur aliquãdiu*] collectitium tamen ac tyronem militem ductor ipſe non vetus, ægrè continuit contra veteranas Hiſpanorum cohortes: à quibus in Diui Michaëlis cœnobium magna ſuorum clade compulſus, captuſque à Iuliano Romero, atque inde in arcem protinus abductus, [*& capitur.*] animoſiùs nempe quàm fortunatiùs prima poſuit militiæ rudimenta. At renouata apud Curiam dimicatione, dubio aliquandiu marte Hiſpani pugnauere. Namque oppidani, quos ad defendendos patrios lares acriùs multo ſuæ quem- [*Oppidani acrius repugnant apud Curiam.*]

que

que res, quàm peregrinum emptumque ſtipendio militem, vilis nempe merces extimulat; quum Magiſtratuum ædes inſediſſent armati, infeſta exploſione è tuto Hiſpanos impetebant, ſimulque inde manipulatim erumpentes, prompto regreſſu pugnabant, Hiſpanis aliquot, interque eos Damiano Morali Centurione non inſtrenuo trucidatis. Donec ab Alphonſo Varga, qui Georgianâ viâ, ſtratis vbique propugnatoribus, cum equitum turmis illuc aduenerat, immiſſo in hoſtium turbam ad forum vndique accurrentem equitatu, partim cæſi obtritique, partim in Curiam ac vicinas domos repulſi ſunt. Quibus è locis dum adhuc infeſti curſum victoriæ retardant, à binis repentè lixis, non alia re quàm exiguo ſtramine, iniecto in Curiam igne, quamuis ſolido conſtratam marmore, cum ingenti mortalium ſtrage, celebre illud, ſi quod aliud per Europam, ædificium, atque octoginta circiter domus, pleræque mercimonijs opulentæ conflagrarunt; prædâ inter victores ignemque diuiſâ. Tum verò captis iam præcipuis ducum, ac militum fortiſſimis in prælio cæſis, dum reliqui aut commiſſas ſibi ſtationes turpi fuga deſerunt, aut turpiùs ad victores prædatoreſque ſeſe aggregant; Hiſpani deſertâ à defenſoribus Antuerpiâ potiti ſunt. In qua quidquid ira atque auaritia in ſumma armorum licentia perſuadent; id inimica ac prædiuite in vrbe, per cædes ac rapinas agitarunt. At rerum ignari ſecurique Ordinum Delegati ac Senatores, quaſi iam Antuerpiæ præcauiſſent, Gandauum reuerſi, formandæ pacificationi certatim intendebant: quum repentè audita Antuerpienſi populatione, enimuero aucto immenſùm odio in Hiſpanum nomen, turbidi atque in vltionem intenti Gandauenſe fœdus feſtinanter abſoluunt: hoc vno LÆTI, quia cogi videbantur. Miſſoque ſtatim ad Regem in Hiſpaniam, qui recens inde aduenerat, Raſſinghemio, expoſita Hiſpanorum militum ſeditione atque immanitate, compoſitum in eos commune fœdus excuſant: in quo quum prouinciarum ordines ſacer æquè profanuſque conſenſerint, vnicumque pacificandæ patriæ remedium exiſtimauerint: non dubitare ſe, quin eius clementiæ pacem tranquillitatemque ſuorum exoptanti, pro ratione temporis probandum ſit. Nec minus de Regis animo ſolliciti Hiſpani duces, eodem tempore ad eum allegant, qui callida Belgarum Procerum conſilia, vim Regijs Gubernatoribus in Senatu ipſo illatam, vſurpatam à prouinciarum Procuratoribus adminiſtrationem, conuocatos Ordines, imminentem Belgij defectionem ob oculos ponat. *Peccaſſe quidem Hiſpanorum cohortes, ſtipendiorum loco, Aloſto intercepto; ob idque facinus, ac præcipuè ob diuturnam inexpugnabilemque pertinaciam, vti hoſtes, Hiſpanis Tribunis non abnuentibus, indicatos. Quamquam non ignorare ſe, eam occaſionem inducendi*

[Margin notes, left: *Sed eam demum incendunt Hiſpani;* — *& Antuerpia potiuntur.* — *At deputati de fœdere Gandaui agitant.* — *Audita clade fœdus abrumpunt* — *Et in Hiſpaniam allegant, qui Regem hæc doceant.* — *In Hiſpaniam quoque mittunt Hiſpani duces,* — *hæc Regi memorantes.*]

[Margin notes, right: 1576 — *Com. Egmõtius. Caprius. Goignius.* — *4. Nouem.* — *7. Nouem.*]

1576 *ducendi in Hispanos arma à nonnullis Belgarum primoribus auidè arreptam, & solutis Germanæ legioni non Hispanæ stipendijs, astu quæsitam: Sed quo idcumque consilio factum sit, se vtique dissimulasse. Ac vbi audierint, ictum in Hispanos omnes furiale fœdus, euocata in Belgium Galliæ Britanniæque Principum arma, pacem cum Orangio, Religionis Regisque ac patriæ ipsius hoste compositam; profectò partes suas existimasse, coniunctis omnium viribus conniti, ne Fœderati, eiecta è Belgio Regis militia, Regis imperium (quod iam moliebantur) excuterent. Populationem Antuerpiæ omnibus quidem accidisse luctuosam, sed ciuitati meritam, admissis in eam, contra fidem Sacramento obligatam, militibus Fœderatorum, & arce ab ijsdem oppugnari iam cœpta: à quorum aggressione quo potuisse modo Hispanos se atque arcem tueri, nisi commilitonibus aliunde in vrbem euocatis? Quamquam ne euocatis quidem eorum plerisque, sed iniecta diuinitus mente simul accurrentibus. Qui si in arce defendenda, excludendisque ab vrbe hostibus, ferociùs sese, rapaciùsque gessere; misera id necessitate factum ab ijs, quibus aut subeunda, aut inferenda mors esset. ÆGRE autem contineri manus inter arma, dum victoria vindictam pariter & prædas ostentet.* Sed excusauerint illi, vt libet, militarem licentiam. non absoluit publica eos fama quàm in expugnanda vrbe fortes aduersùm viginti defensorum millia, tàm in diripiendo tribus continenter diebus opulentissimo Europæ totius Emporio inexplebiles: coactis ditioribus ciuibus ac mercatoribus merces suas domesticamque supellectilem, ac nomina syngraphasque numerato statim pretio redimere. Ex quo vicies centena nummûm aureorum millia inde contracta esse: ac militum multos pugionum gladiorumque manubria ex auro solido, immo ex auro galeas, ex auro loricas, sed colore, ne agnoscerentur, infuscatas, confici sibi curasse: & quam vrbem pauperes ipsi diuitem ingressi essent, diuites pauperem reliquisse, odioso enimuerò Hispanæ fortitudinis præconio, litteris consignatum est. si modo ad gentis inuidiam, vt aliàs euênit, aggesta non fuere multa. Quamquam non ignoro, hæc ipsa à gregarijs plerumque militibus, ac Centurionibus patrata: Tribunos ac Duces, culpæ, quæ ea cumque fuit, omnes quidem immistos, prædæ verò non omnes. Certè compertum habeo, Sanctium Auilam arcis Præfectum plurium furorem militum imperio ac pœnâ frenasse: & Camillum à Monte, qui inuadendæ vrbis pars magna fuerat, Florentinis præsertim mercatoribus in tuto ab se collocatis, quum ingentem ex eare pecuniam deriuare posset; nihil ex præda tam grandi præter catellam accepisse, quasi tantæ populationis culpam eâ continentiâ expiaturum. Neque illud me fugit, Antuerpiæ cladem non fuisse tantummodo facinus Hispanorum: sed Belgas quoque in tragica illa

Inuidia Hispani nomini ex ea populatione.

Quanta illa populatio.

Milliones duo.

Et à quibus præcipuè patrata.

Camilli à Monte continentia.

illa conflictatione partes suas, Burgundos atque Italos suas, suas & Germanos, & horum quidem aliquos, etiam quàm Hispanos, luctuosiùs peregisse. Sanè pecuniosos aliquot ciues ab Hispanis captos, à Cornelij Vanindemij militibus ad prædam accurrentibus, eamque eripere frustra conantibus; desperatione atque inuidiâ crudeliter interfectos accepimus. Quos inter commiserationi fuit Ægidius Smissartus, insignis ea in vrbe Gemmarius, eòque auidiùs à prædabundo milite conquisitus: qui demum repertus, ac florenûm millia planè decem pro vita fortunisque Hispano pactus; ne sic quidem mortem vitauit: superueniente enim illuc Germanorum globo eundem quæstum inhiantium, ab vno eorum, exortâ iam pugnâ, à tergo hastâ transfossus, infelici diuitiarum fato expertus est, quanto FACILIVS insidiantium manus fugiat, quisquis inuidentium oculos non allexerit. Nempe NVDVS expeti spoliorum causâ non potest: & MINIMA quæque paruitate sua tuta sunt. Porrò de cæde, deque mortuorum numero infinitè variant, qui spectarunt, quod ad Hispanos attinet; quorum minimùm ducentos aliqui affirmant, ipsi verò nonnisi quatuordecim. At ex Ordinum militibus ciuibusque, excessisse omnino sex millia mirè consentiunt Belgæ Hispanique: nisi fortè illi odiosè, hi superbè numerum augent. Ex hoc autem numero, ferro peremptos tradunt ferme tria millia: incendio, ac ruinâ combustos, aut obtritos mille ac quingentos: totidem in fuga aquis vrbem alluentibus, & Scaldi amne submersos. In quo illud memorant, equitem Belgam insequente Petro Taxio fugientem, vt erat lancea armatus, incitato equo è mœnibus in vrbis fossam sanè præaltam immisisse se, aquam cum equo tranasse, incolumemque ne hastili quidem fracto euasisse. Et tamen eodem tempore fugiens Comes Otho Oberstenius, Germanorum Tribunus, vrbanæque militiæ Præfectus, dum loco ex æquo cimbam saltu petit, fallente vestigio, aquis momentò absorptus est. Vsque adeo SPERANDVM, ac desperandum est nihil: quando & stantes plana præcipitant, & præcipitia cadentes deponunt.

1576

Infelices diuitiũ casus.

Numerus interfectorum.

Felix sors equitis Belgæ.

Infelix Oberstenij.

DE

DE BELLO BELGICO LIBER NONVS

1576 4. Nou. QVO die capta est ab Hispanis, externisque militibus Antuerpia, Belgium intrauit non sanè in tempore Ioannes Austriacus Caroli Quinti Imperatoris filius, itinere per Galliam duobus tantùm comitibus festinato. Quorum vni, (is erat Octauius Gonzaga Molphetani Principis frater) mancipium se finxerat, infuscato ore, vibrato capillo ac barba, Æthiopis in modum. Sed Lucemburgi, amica in vrbe, depositâ eâ personâ, Gubernatorem Belgij missum se à Philippo Rege primùm aperit: auditaque Antuerpiensi clade, compositis illico litteris, Bruxellas ad Senatum, ad Hispanorum Tribunos Antuerpiam; illum de aduentu suo, deque commissa sibi ab Rege prouinciarum administratione certiorem facit: his verò, vt ab armis interim absistant, pro imperio mandat. Et Hispani quidem paruere: Senatores autem Delegatique Ordinum, siue recenti iniuria exacerbati, siue imperium ægrè deposituri, de admittendo nouo Gubernatore dubitarunt: præsertim Orangio, delphico partium oraculo, nondum consulto. Cuius auditâ sententiâ, Austriacum cum imperio ne admitterent, neue redemptam sanguine libertatem nouo iterum Domino venderent: aut certè Gubernatorem non antè susciperent, quàm eiectis è Belgio Hispanis, externisque militibus, Gandauensem pacificationem sacramento ipse confirmaret; Senatores hanc posteriorem partem secuti, ad Ioannem Austriacum ea super re Ischium allegant, mandatis instructum superbis adeo & inurbanis, vt is offensionem Regij iuuenis non ab re veritus, de obeunda legatione dubitaret. Feruntque, quum hanc animi molestiam nobili cum hospite Ischius domi suæ conferret, doluisse hospitem amici sortem non euitaturi in eo munere indignationem, aut Austriaci, si eiusmodi mandata exponeret: aut Senatus, si quidquam omitteret. addidisse tamen, inīri à se posse rationem, qua nodus ille feliciter explicaretur. Ischio percontanti; qui tandem id esset; *Gladium*, inquit, *Alexandri tibi suadeo ad hunc Gordij nodum. Nempe vbi Austriacum solus solum conueneris, stricto non timidè*

Io. Austriacus in Belgium venit.

in itinere ignotus.

Lucemburgi se detegit.

Senatores de eo accipiendo dubitant.

Monentur ab Orangio, ne accipiant, nisi certis conditionibus.

Mittunt arroganter ad Austriacum.

Quid huic Nuncio suadeat amicus non amicè.

Mar. Delr. lib. 2. Tur. Belg.

midè

midè ferro, virum fraudulentum perniciemque Belgio apportantem confode, securus à mortui offensione, certus gratiæ à Senatu. Sed Ischius hominem indigna suadentem, veteraque Chij Theodoti consilia Ptolemæo Regi data) impia ostentatione renouantem, vultu ac verbis acriter auersatus, Ioannem Austriacum adijt: expositisque, quanta maximè potuit moderatione, Ordinum mandatis, nec Austriaci patientiam læsit, nec muneri defuit suo. Quamquam, vt fuerat Austriaci amore captus, magnis in eum laudibus apud Senatum importunè congestis, multorum odium incurrit. Valuit tamen ea virtutum commemoratio apud plerosque, vt noua legatione priorem corrigentes, Ioannem Funcqium cum longè modestioribus mandatis ad Austriacum mitterent, deque illo suscipiendo, modò Gandauensi pacificationi subscribere dignaretur, officiosè transigerent. 1576

Plut. in Pomp.

Nuntius modestè agit cū Austriaco.

Delegati per alium Nuntiū petunt ab Austriaco, vt pacificationi Gandauensi subscribens demittat Hispanos.

DE HISPANORVM missione.

Consultat Austriacus.

Gonzaga negat dimittendos.

AVSTRIACVS animi dubius spatium ad consultandum accipit: Hispanorum enim missio mentem versabat. aduocatisque ad se Octauio Gonzaga, & Ioanne Escouedo, consiliorum intimis, & arcanorum arbitris; quid sibi authores sint, anxiè sciscitatur. Et Gonzaga quidem promptè negauit, id aut conducibile, aut decorum esse. Nam, *Si Orangius*, inquit, *in consilium adhiberetur hodie nobiscum, quid aliud credimus suasurum, quàm vt remissis in patriam Hispanis Belgarum regimen Belgarum caritate, non externa inuisaque militiæ terrore firmares? hoc est, vt tuorum exarmatus præsidio, faciliùs hominum turbulentorum fraudibus insidijsque pateres: accepturus videlicet imperium nunc quidem precarium, mox ad quamcumque motæ multitudinis auram omnino nullum. Fallimur, si gentem hanc non morum, non linguæ, multos nec Religionis commercio nobiscum cohærentes, omnes verò recenti nostrorum efferatos victoria, speramus ingenio suo, non armis nostris contineri posse. Vt Gubernatorem admittant, conditiones tibi præscribunt armato: quid facient inermi? Sentiant Caroli Cæsaris aduenisse filium, imperio non animo, patre minorem: cuius sit, conditiones imponere, non accipere. Sed illis, nisi sibi in hanc conditionem indulgeatur, decretum est, Belgio Præfectum non admittere. Cogantur. An fortè, si armis decernendum sit, alius erit nostris & illorum militibus animus, quàm qui esse victoribus & victis solet? Præpropera est, si quæris, ista benignitatis laus, nec diuturna apud superbos, & à modestia nostra peruicaciores. HONESTIVS cum victoria veniene hæc humanitatis & indulgentiæ nomina, quum non necessitatis illa, sed moderationis argumenta erunt. At enim boni quique ciues Regijsque addicti partibus hanc peregrinæ militiæ dimissionem non auersantur. Ego verò peruelim scire, quinam sint Belgæ isti Regiarum partium: nam multos audio nobiscum in aula versari, qui mente animoque in Hollandiæ litore*

tore

1576 *tore cum Orangio degunt, quorum quo maior consensus conatusque Hispanos eijciendi, eo cautiùs à nobis suspectandus est. Certè frater tuus Philippus Rex, quum adhuc in Belgio esset, Belgis pollicitus abitum Hispanorum, vbi conatum eorum obseruauit coniunctis omnium animis in eam eiectionem incumbentium; ex ipsa conspiratione cunctatior factus, promissa tamdiu distulit, dum Gubernatricis Margaritæ precibus victus est. Et tamen rebelles ab Rege animos tunc quidem Belgæ non gerebant. Quid tibi nunc & promissione vlla nexo, & populos palàm infensos armatosque nacto faciendum sedulò sit, prudentissimi Regis exemplo vides. Et hæc quidem à me sunt dicta, quasi extrahere milites nostros è præsidijs, atque amandare protinus è Belgio, effectu promptum sit, atque sub manu. Quid si, vbi intelligant, exilio suo pacisci tecum Belgas, in seditionem versi, cui plus nimio insueuere, arces atque vrbes deserere non sustineant? Profectò & apud tuos, quippe Belgis posthabitos, reuerentiam amiseris: & apud Belgas, quasi abs te ludificatos, inuidiam auxeris. Denique vt in Regis prouincias iniquioribus conditionibus Regis frater ingrediaris, quàm Albanus ac Requesenius Regis administri accepti sunt; author vtique non ero.* At longè alia mens erat Escouedo. Vtque in Austriaci animum fortè introspexerat, eo securius in hunc modum exorsus est. *Ego, Austriace, quid sentiam, quàm quid suadeam, promptiùs apud te dicere consueui. Nam & tu libertatem probare soles consilij mei, & ego admirari in deligendis consilijs sapientiam tuam. Nunc tanto id libentiùs exequar, quanto veriora, credo, videbuntur ea, quæ hominem Hispanum coëgerint aduersùs nationem suam arbitrari. Sed necessitas ante patriam est. Neque semper in consultationibus rationi permittitur eligere: interdum necessitate circumscribimur; quo tempore QVÆLIBET statio ceu tempestatem fugientibus pro portu habenda est. In Hispanorum missionem conuenere ex Gandauensi pacificatione prouinciæ ferme omnes, sacer æquè ac profanus ordo, sacramento adacti, Non passuros quemquam Belgio imperare, nisi externa militia antè dimissa. idque fixum adeo immotumque, vt desperanda nobis sit, nisi per hanc semitam; in Belgium via. At aperiendum armis hunc aditum, Gonzaga, commonstras. Facis tu quidem, quod assuetum militiæ Ducem, apud inuictum præsertim Imperatorem, polliceri decet. Nec dubito, si res ferat, quin animosè præstiteris, quæ magnificè suaseris. Sed ego, qui timidiùs fortasse, non incautiùs certè circumspicio præsentem statum, experiri priùs omnia, quàm vim atque arma inferre opportunius existimo, tuque ipse votum id esse mandatumque Regis haud ignoras. Nam quid, obsecro, ad hanc diem nostris armis effectum cum hac gente? Albanus tot copiarum fama Belgium ingressus, tot victorijs, tantoque Belgarum sanguine formidatus, ad extremum amissis maritimis ac validioribus prouincijs, Belgium, quod integrum accepit, scissum reliquit. Et ta-*

Margin notes: 1559. (beside "lippus Rex"); Escouedus dimittendos censet. (beside "ptiùs apud te dicere")

tamen cum Albano, eiusque cum successore (cuius haud felicior euentus 1576
fuit) pleræque tunc prouinciæ ac Belgica nobilitas pro Rege arma gestabant. Nunc verò quanta circa nos solitudo Belgarum sit, vides. Duæ ex omnibus prouinciæ nobiscum agunt: reliquæ, si vis intendatur, consociatis sacramento animis, condixere bellum. Atque hoc ipsum est, quod Orangius cupit: hanc belli occasionem occultus quærit: idque vnum, si huic interesset consultationi, nobis vtique suaderet, non autem Hispanorum expulsionem: hanc enim mihi crede Austriace, idcirco persuasit ille prouinciis, quoniam, quum nihil magis timeret, quàm ne ipse à Belgis admittereris; eam Gandauensi fœderi conditionem inseri non incallidè curauit, quam speraret à te neutiquam accipiendam: ideoque tibi à Belgii præfectura excluso imponendam illico necessitatem armorum, quæ homo in dominationem intentus, pro arbitrio administrasset. Sed eludenda est machinatoris astutia: probataque interim, contra quàm putauit, Gandauensi pacificatione, capessendum Belgii regimen: ad quod semel admissus efficies omnino tu clementia comitateque tua, quod alii perseuero armatoque imperio nequiuere. Notum est Liuiæ consilium suadentis Augusto, medicos vt imitaretur: qui vbi vsitata remedia non procedunt, conuertunt sese ad contraria. sic ei, qui seueritate nihil adhuc profecisset, tentandum, quomodo clementia succederet. Paruit vxori Cæsar: nec vllis inde appetitus insidiis, fidos obsequentesque Senatum ac Populum Romanum perpetuò habuit. Et sanè si quis est hominum, cui tentanda sit hæc via maiori spe successus, tu vnus es, Austriace. Omitto, quod te vti ortum in Germania, vti Belgæ Principis filium, alio videlicet animo, quàm Gubernatores Hispanos, Belgæ complectentur. Fama rerum à te gestarum, mores tui, quibus quantum in animos hominum valeas, expertus es: aspectus iste etiam hostibus amabilis, conciliabunt haud dubiè tibi populorum obedientiam, studium, amorem. Sic est Belga: mollibus plerumque remediis meliùs sanatur: contra vim peruicax obnititur: sequiturque faciliùs, quàm ducitur. Adde quòd Primores ipsi in obsequium festinabunt, præteritas rebellionum culpas alienæ superbiæ non contumaciæ suæ imputaturi. Vnum est, quod tibi horum beneuolentiam penitus extinguat, externus, si apud te retinueris, miles. Hæret adhuc in Belgarum oculis Antuerpiæ conflagratio, ciuium cædes, fortunarum præda. Implacabile in Hispanos odium te quoque, si tecum erunt, comprehendet. NEQVE enim qui tuos oderint, te amauerint. NEQVE tu tutus vnquam eris inter illos, qui à tuis se tutos non existimant. Nempe SECVRITAS securitate mutua paciscenda est. Itaque si Belgæ remoueri sibi ab oculis recentium odiorum causam abs te rogant, indulge: &, quod illis armis fortasse peruincent, fac beneficium tuum. quo beneficio & tibi Belgarum animos immortaliter deuinxeris: & Philippi Regis gratiam bellorum curas sumptusque pertæsi, pacato absque armis Belgio, promerueris,

Senec. l. 9. de Clemen. Dion. in Augusto.

1576 *rueris. Nec magnopere verendum, ne probante Rege externorum discessum, imperata facturi non sint Hispani milites: quod enim obsequium*
1560. *Parmensi Gubernatrici præstitere olim Belgio abeuntes, id in præsentia tibi Regique ipsi procul dubio non negabunt. Quod si profectis hinc Hispanis, periculum sit, ne Belgas, sollicitante Orangio, breuì capiat obliuio clementiæ tuæ; num idcirco nos fraude circumuentos, simul & armis oppressos existimabimus? Num prouinciarum, quas fidas habemus, qualicumque auxilio sustinere primos tumultuantium impetus tamdiu non poterimus, dum videlicet & è Burgundia proximè, & è Germania non longè miles aduocetur? Tunc autem tanto quàm nunc de belli exitu sperare felicius licebit, quanto maioribus à Rege copijs, mandata nempe sua defendente submissis, rebellium perfidiam iustiùs vlciscemur. Quare, vt verbo absoluam, non ego negauerim, ab externo milite seu*
Ex retento milite. *retento seu dimisso periculi aliquid imminere; sed, quum videam inde certum bellum, non dubiam Regis offensionem, exitum nullum: hinc ob-*
ex dimisso *latam regiminis possessionem, spem pacificandi Belgij, Regis gratiam opemque, atque adeo si bellum ingruat, momenti plurimum ad victoriam; hoc illi anteferre consultius habui.* Austriacus, quamquam nudari se ægrè ferebat Hispanorum militiâ, ad illorum tamen dimissionem occultius aliquid, præter ea quæ dicta erant, mentem eius impellebat. Nam, si fortè prouinciarum pacem, cuius ineundæ rationem super omnia commendatam sibi meminerat à Philippo Rege, retentis ipse exercitibus interturbasset, vereri admodum poterat, ne tamquam nouæ potentiæ, perque eas armorum occasiones, maioris fortunæ cupidus insimularetur apud Regis aures huiusmodi suspicionibus obnoxias. Præterea insederat altè in animo Britannica expeditio, quam, si Belgico implicaretur bello, elapsuram sibi è manibus præuidebat. Accedebat & pertinax quædam persuasio, posse Belgarum animos superiorum Gubernatorum armis oneribusque exasperatos contrarijs artibus conciliari. Itaque more humani ingenij, plus sibi ac moribus suis, quàm fraudibus hostium tribuens, auidusque vnicè referendi inconcessum alijs titulum Pacificatoris Belgij, probare demum Gandauensem conuentum, conditionibusque eius subscribere decreuit. Præsertim quòd in ijs sibi quidem satis videretur esse consultum Religioni Regique, dum fœdus in postrema hæc verba sancitum esset: *Nos Ordinum Delegati, qui Ordines conficimus, hic subscripti, promisimus promittimusque ictum hoc fœdus perpetuo retenturos, ad sacrosanctæ nostræ Fidei, & Apostolicæ Romanæ Religionis conseruationem: ad huiusce Gandauensis Pacificationis perfectionem: ad Hispanorum, eiusque inhærentium eiectionem: obedientia Regiæ Maiestati debita interim semper salua.* Placuit nihilominus Austriaco, rogare antè sententias virorum omni doctrinæ genere

[Left margin notes: *Vide l. 8. post medium.* (beside "di suspicionibus obnoxias"); 1577 *Initio Ianuar.* (beside "que eius subscribere decreuit")]

[Right margin notes: *Austriacus inclinat in hanc partem.* — *Causa.* — *Timor ab Rege.* — *Cupido Britannicæ expeditionis.* — *Spes pacificandi Belgij.* — *Admittere statuit Pacificationem Gandauen.* — *Motus etiã hac Ordinum subscriptione.*]

nere

Expendenda proponit fœderis capita. nere præſtantium; an ex illis capitibus, quæ accuratè omnia expen- 1577
denda tradiderat, detrimenti aliquid capere videretur Orthodoxæ
Fidei, Regiſque dignitas. Quumque ij nullum inde periculum af-
firmarent, præcipuè nouo ſi additamento caueretur, Nihil in eorum
ſingulis aut vniuerſis ſancitum placitumue aduersùs Religionem
Catholicam, ac Principis authoritatem; Auſtriacus horum ſen-
Miſſa ad Regem Rex probat. tentiâ firmatus, ipſa eorundem conſulta, Epiſcoporumque litteras
in eandem ſententiam miſit ad Regem. Quo annuente, ſimulque
fidem ſuam obligationibus Rodulphi Cæſaris, Leodienſis Antiſtitis,
ac Ducis Cliuiæ oratoribus; noua pacificatio, Edictum perpetuum,
Ex iis noua Pacificatio componitur. appellata, Marchæ in ſamina, quod eſt oppidum Lucemburgenſis
prouinciæ, concepta eſt. In qua & ab Legatis Auſtriaci, Hiſpano- 17. Febr.
rum miſſio, totumque Gandauenſe fœdus confirmatum: & ab Or-
cui vtrinque ſubſcribitur. dinum Delegatis, præter cetera, Religioni atque Obedientiæ
aduersùs Regem, quas ſe perpetuò retenturos iureiurando affirma-
promulgatur. bant, iterum ac diſertè cautum. Tunc verò Auſtriacus, Pacifica-
tione Bruxellis primùm, dein Antuerpiæ, aliiſque in vrbibus pro-
mulgari iuſſa, obuiis Belgarum Proceribus, magnâque Nobi-
Et Belgij Gubernator acclamatur Auſtriacus. lium frequentiâ, Lucemburgo egreditur; ac Louanij, ineunte Mar-
tio menſe, Belgij Gubernator, ſumma omnium gratulatione ſalu-
Vrget diſceſſum Hiſpanorum, tatur. Ibi commorandum ſibi aliquandiu duxit, vt ex ea vrbe fe-
ſtinaret, qui tardè procedebat, abitum Hiſpanorum. Etenim gra-
ægrè patientium. ue iis iniurioſumque videbatur, tot arces vrbiumque præſidia, quæ
magnis ipſi diuturniſque prælijs obtinuerant, Belgarum arbitrio
ſimul omnia repentè deſerere. Accedebat, quòd eorum multi an-
nos iam plures in Belgio verſati, vxoribus impliciti, liberis aucti,
agris ditati, neſcio quam caritatem ſenſumque veluti natalis ſoli
paulatim hauſerant. Nec deerant, qui turbidos incenderent: *Eam-*
Eorum querela. *nè laboribus ſuis, ac fuſo toties ſanguini honeſtam miſsionem dari? Sic*
denique ora cicatricibus intereiſa, trunca membris corpora, fractos ac
fatiſcentes artus, pro quiete ac fomento, ingrata ſuorum obliuione, aut
neglecto, publico certè Belgarum odio & execratione compenſari? Quid *Mar. Delr. l. 2. Turb. Belg.*
dicturus Gallos? quid Italos? quid ceteras nationes? niſi militem Hiſpa-
nus nuſquam locorum tolerari poſſe. Ante ſexdecim annos, Margari-
ta Auſtriaca Gubernatrice, Hiſpanos è Belgio miſſos: nunc Gubernatore
Auſtriaco, iterum expelli; tanto tunc quidem maiore cum dedecore,
quanto tunc illi quæſita ſaltem ſpecie abeundi in Africam, ſupplendis le-
gionibus euocabantur à Rege; nunc verò palàm publiceque edicto, per-
duelles videlicet ſe, hoſteſque Regis ac Belgij, (qui tamen Regi Belgium
aſſeruerint) ideo communi fœdere prouinciarum eiici, quoniam ſimul
incolere Belgium non poſsint Pax, & Hiſpanus. Hæc quamquam do-
Et principium ſeditionis. lentiùs, quàm minaciùs iactabantur: gliſcente tamen, vti aſſolet,
ira

1577 ira ex occursu aliorum, & communicatione querelarum; quanto propior aderat profectionis dies (quum videlicet acrior doloris sensus) tanto aduersùs imperia contumaciùs obnitebantur: præsertim Antuerpiæ, vbi & numero, & recenti victoria ferociores non facilè videbantur arcem omissuri. Sed valuit Tribunorum huc illucque volitantium cura, & Regij sanguinis reuerentia apud fidas quasque cohortes, & veteri disciplina imbutas, vt amor obsequij paulatim rediret. Et Antuerpiæ tumultuantium animos Ioannes Escouedus, homo apprime sagax, ab Austriaco properè illuc missus, apposita oratione sedauit. *Quâ componere conatur Escouedus,* Recitatis enim Regis litteris, in quibus imperabatur Hispanorum missio, exorsus ab eorum seditionibus ac turbis, citra querelam commemoratis; admonuit, *Posse illos, si quid fortè licentiùs ab vltimis hisce annis egisse Principi viderentur, præsenti obsequio non tantùm eluere, sed eius etiam abunde promereri gratiam, à quo longè plura mansuraque, quàm quæ in Belgio ipsi relinquerent, speranda essent. An fortibus viris exercendæ virtutis copiam alibi non esse? REGIBVS latè dominantibus nec requiem vnquam futuram à bello, nec defutura præmia bellatoribus. De aliorum autem opinione super eo discessu illos immeritò esse sollicitos: constare, quorum hominum conatu, quoue artificio illa cuderentur. Nempe QVOS timeant, eorum præsentiam pati non posse: nec mirum, si minores, expertique sese non semel impares, timerent. Spectasse finitimos, longinquos audiuisse, quoties Hispani cum rebelli hoste confixerint: iniisse expugnationum & victoriarum numerum: obseruasse, ex omnibus prælijs toto decennio terra commissis (nam mari variatum) semper Hispanos, vna excepta Arembergensi clade, victores extitisse: immo nec illud ignorasse, in tanta hostium cæde, quam non minorem triginta hominum millibus Belgæ faterentur; ex Hispanis adeo non multos occubuisse: vt DENI QVIQVE Hispanorum singulis hostium millibus profligandis satis fuerint. Stragem profectò miserandam, ac silentio inuoluendam, ni pro Religione ac Rege contra vtriusque rebelles edita fuisset. Quòd si hoc ipsum rebellis nomen in tumultuarios nuper Hispanos, furiali Ordinum Edicto, collatum sit; abunde nunc ab Austriaco prouisum esse, nouo Edicto ab se composito, veterique illo damnato. Sic eorum meritis consultum, & obsequium prouocatum: quo videlicet honorificentiùs imperata facientes, non magis fortitudinem aduersùs hostem, quàm fidem erga Principem coluisse: & siue indutis armis vrbes atque arces obtinendo, siue prompto inde obsequio abeundo, pari vtrobique cum laude, Regi suo Belgium conseruasse dicendi sint.* *apposito ad Hispanos alloquio.* Mouit hæc postrema potissimùm pars orationis nutantes militum animos, quippe seditio magis quàm ira resederat: *Pacantur Hispani.* inspectoque perhonorifico de se Edicto multis in locis affixo: traditis in Ordinum manus arcibus Antuerpiæ, aliarumque vrbium; *Et arcibus,*

Tra-

Traiectum ad Mosam abiere omnes. Ibi primùm redditi vtrinque 1577

& captiuis redditis; *Maßtrich.*

captiui: ab Hispanis quidem Egmontius, Goignius, Caprius, sexque alij, in Antuerpiæ expugnatione victi: ab Ordinibus verò quinque, in primisque Billius Frisiæ præfectus, inter eas prouinciæ turbas à militibus suis præfecturâ exutus, & à Georgio Lalinio Villæ Domino in Leuardianum carcerum traductus: ac præterea Mondragonij vxor, quam in Gandauensis arcis obsidione, absentis viri partes viriliter obeuntem victores cœperant, & tamquam in triumpho duxerant Ordinum duces. Post captiuorum libertatem, stipendia solui cœpta sunt, quæ pacti erant Ordinum Procuratores sexcenta florenûm millia: ex quibus tunc quidem numerarentur trecenta millia, totidem per tesseras collybisticas Genuæ repræsentarentur. Sed post centum millia persoluta, reliquam pecuniæ summam non expedientibus Ordinum Delegatis, Austriacus ære suo ducenta florenûm millia, reddenda videlicet numquam, mutua dedit Ordinibus, Hispanorum abitum, ne retinere videretur, impellens.

Gaspar Robles.

Rineberg ij Comes postea appellatus.

& accepta stipendiorum partes

Mar. Del. l. 1. Turb. Belg.

Ducenta quadraginta scutatâ millia.

Idem l. 2. & Christ. Assonuill. rel.

Belgio abeunt.

ductore Mansfeldio.

Sic exeunte Aprili mense, Hispani, quique erant Itali, quique Burgundi Belgium reliquêre, ductore Petro Ernesto Comite Mansfeldio: quem deligi placuit, dirimendo nempe dissidio inter Alphonsum Vargam, Sanctium Auilam, Iulianum Romerum, & Franciscum Valdesium, honestiùs externo Duci quàm alterum alteri pariturós. Ibat ea migrantium multitudo, quàm lætis accurrentibusque spectaculo Belgis, tàm ipsa tristis atque infensa spectantibus: quantoque plures erant, (nam præter milites, ac militaria impedimenta, equi currusque mulierum ac liberorum, continenti agmine implebant vias: nec pauciores triginta capitum millibus, homines ac iumenta numerabantur) tanto ægriùs ferebant, obseruari se, longumque per vrbes præbere spectaculum. Quamquam inter eos non deerant, qui, perspectis altiùs Belgarum consilijs, sopitum illud armorum incendium breui exarsurum, eique restinguendo Hispanos denique milites euocatum iri præcinebant. Interim ipsi, relicto Belgio, nec impetrato apud Ioannem Austriacum aditu illum de via salutandi; (quod magnopere doluere, quasi ea seueritate damnari viderentur eorum acta) per Lotharingiam, Burgundiam, ac Sabaudiam, in Italiam descenderunt: atque Insubriam ingressi, à Marchione Ayamontio eius prouinciæ Gubernatore, per Liguriæ montes (Langas vocant) iussu Regis, vti obtendebatur, distributi sunt: vbi grassante per æstatem morbo correpti, & rerum inopia, & ægritudine animi, quòd ab Rege contra quàm meriti essent, ea se perpeti rebantur; eorum, & quidem veteranorum non pauci occubuere.

Abeuntium sensus.

& prædictio.

Iter eorũ in Italiam:

Al. Cabrera in Philip. 2. l. 11 c. 15 Mar. Del. l. 2. Turb. Belg.

& distributio per Liguriam.

Idem in eodem lo. Turb. Bel.

INGRESSVS Austriaci Bruxellas.

AT VERO Austriacus, quo tempore Hispani Belgio excedebant, in

1577 ingenti ſanè pompa, medius inter Pontificis Internuncium, & Leodienſem Epiſcopum quàm apparatiſſimo omnium Ordinum comitatu Bruxellas ingreditur. Augebat ipſe pompam decorus aſpectu, iuuentaque duos & triginta nondum annos attingente, famâ bellorum terra marique inclytus, patremque Carolum Cæſarem, gratum Belgis ac populare nomen repræſentans. Atque hæc ipſa, vt primùm adminiſtrationem ſolenni ſacramento ſuſcepit; incredibili clementia, benignis alloquijs, omni officiorum genere, inauditaque vel in homines ſibi infenſos liberalitate cumulauit: adeo, vt capti ea morum ſuauitate ciues, contra quàm animo conceperant, aut fando inaudierant, effuſi in eius laudes, cuius præſertim beneficio liberos ſe ab externorum militum onere aliquando videbant, rediſſe cum Auſtriaco priſtinam Belgio felicitatem ſibi gratularentur. Non pauci tamen in eo ipſo prudentiam hominis requirebant: quòd ſe inermem in manus Ordinum armatas, tantâ ſui fiduciâ tradidiſſet. quem dimiſſis Hiſpanis inualidum, ac traditis arcibus intutum ſi ſubitò inuaſiſſet Orangius, qua ille vi repugnaret, quòve confugeret? Et ſanè breui conſtitit, quantum nimiâ illâ indulgentiâ peccatum ſit, quantoque ſapientiùs eundem Belgarum conſenſum flagitantium emiſſionem Hiſpanorum ſuſpectum habuiſſet olim Philippus Rex. Etenim Orangius, qui certò ſibi perſuaſerat, Hiſpanos numquam emittendos ab Auſtriaco, ideoque nec præfecturam Belgij capeſſendam; vbi audiuit Hiſpanos Belgio ceſſiſſe, Auſtriacum Bruxellis magnâ omnium lætitiâ inauguratum eſſe, eique à finitimis Principibus aduentare quotidie gratulationis nuncios; nam & ipſa Angliæ Regina in id officij deſtinarat Eduardum Horſeium Vectæ inſulæ præfectum: ad hæc vbi miſſis ab Auſtriaco, atque à Senatu legatis, exigi à ſe vidit, vt Edicto perpetuo ipſe, Hollandique, & Zelandi, qui ſupererant ſoli, ſubſcriberent; homo nullis conditionibus depoſiturus, quam iam manu teneret, dominationem; reſpondet, religione impediri fœderatas ſecum prouincias, ne de Romana Fide retinenda cum alijs conſentirent. Vrgenti Areſchoto Duci (is enim miſſus fuerat) vt commune prouinciarum fœdus ratum vellet; negauit id fieri poſſe, cauſamque diſſidij, Caluinianam profeſſionem ſignificans, nudato capite ſubridens, *Vides*, inquit, *hoc caluitium? ſcito me non magis capite, quàm corde caluum eſſe*. Dein verò totus huic intentus curæ, clàm Senatores, Ordinum Delegatos, amicos quoſque, litteris, nuncijſque commonere, miſerari, ſubiraſci; *Quid agerent? quò illis animus, quòue conſilium excidiſſet? Admiſſum ab ijs fuiſſe Auſtriacum, non modò non auctis, ſed nec firmatis iureiurando priuilegijs prouinciarum. Adeone vana illa humanitatis ſpecie captos, vt aucupij*

Marginal notes:
1. Maij. (beside "comitatu Bruxellas ingreditur")
Pompa, & ipſe omni pōpa maior.
Benignitas eius.
Populorum gaudium & amor erga illum.
Aliorum iudiciū improbantiū indulgentiam eius.
1559. (beside "ctum habuiſſet olim Philippus Rex")
Orangius dolet admiſſum Auſtriacum.
24. Maij. (beside "inauguratum eſſe")
Negat ſe eſſe prouinciis ſuis Edicto ſubſcripturū.
Conatur auertere animos Belgarum ab Auſtriaco.

genus fallendis dulcedine cantus auiculis non animaduerterint. Satis iam compertum, AB Hispania alios aduenire homines, non alios mores: in ea quippe officina vno omnes exemplo conflari. Hunc verò præ ceteris cauendum, quo magis animum gerat Cæsaris sanguine, & armorum imperio tumidum: quem si nunc ille submitteat, priuatorumque in mores ciuiliter inflectat; quanto hæc magis insolita homini superbo imperiosoque, tanto citiùs exuenda, inque maius seruitium eruptura. NVLLVM vnquam superbum seruire nisi dominandi spe. Cur enim custodes corporis sui milites delegit, si homo popularis omnia in ciuium caritate collocauit? An dubium cuiquam esse, quò spectent immodicæ largitiones ac promissa, quibus corruptor animosus immeritos meritosque iuxtà onerat? Et tamen reperiri, qui, quum videant, emi obuia ista munificentia Belgij libertatem, non vile ducant liberis animis pretium seruitutis. Proinde intentis hominem oculis circumspiciant, sibique persuadeant, amari Belgium non posse ab eo, qui Carolum Hispaniæ Principem Belgarum Proceribus fauentem, Philippo parenti prodidit, perdiditque. 1577

Omnia similiter propter dominationem

Rumor sparsus ab Orangianis.

Neque his contentus Orangius, per excursores suos, ac præcipuè per Terronium Vasconem, recens partium additamentum, rumorem clàm subdit, Milites Hispanos externosque, quos abijsse tantopere gestirent Belgæ, (ne errarent) partim in Lucemburgensi prouincia delitescere, partim in Burgundia substitisse, partim aduersùs Hugonotos militare in Gallia, in ijsque locis expectare illos Austriaci nutum in Belgium reuolandi.

Litteræ Austriaci interceptæ.

Addidere his fidem litteræ Austriaci & Escouedi ad Philippum Regem in Gallia interceptæ, ac Bruxellis per eos dies euulgatæ: quibus (vt aiebant) & querelæ aduersùs Ordines, & belli gerendi necessitas, & pecuniæ ad eam rem postulatio continebantur: quæ varijs commentationibus in maius auctæ ab Orangianis, atque in lucem editæ, tantum authoritatis ac beneuolentiæ Austriaco ademerunt, vt quidquid is ageret, siue beneficentiam intenderet, siue remitteret, captis semel suspicione animis, omnia secus interpretarentur.

Decrescit Belgarum amor erga illum.

Crescit suspicio & abalienatio.

Illi ipsi paulo antè perofficiosè ab eo habiti, honorumque gradu, immo & censu nummorum annuo donati, versa statim mente non modò conspectum illius fugitare, ceu perforato animo ac transmittente accepissent omnia: sed etiam palam obloqui, conuicia in eum iacere, & ARGVMENTVM nihil debentium, odio quærere. Vsque adeo INSINCERAS animas, sicut impura corpora, quo magis nutrias, eo magis lædas.

Hessus in primis.

Oblivio beneficiorum in odiũ vertitur.

Neque hîc sese deferebant hæretici, dicta factaque eius vti subdola criminantes.

Hæretici ignem ventilant.

Quin apud multorum animos nimia hominis facilitate suspensos occultè sermonem serere, *Non esse quòd magnopere iurando confiderent, quo Austriacus Edictum perpetuum tam libenter admiserat. Nempe in Hispania illum antè iurasse, nihil se in Belgio*

Ex relat. Christoph. Assonuill.

1577 *gio contra Regis commoda consensurum: quo sacramento obstrictus, & tamquam occupatus, posterius velut priori contrarium nihili sibi faciendum religiosus animus existimauerit. Inualuisse hanc in aliquorum*

Vide etiam Guiciar. l. 2. hist.

aula doctrinam, & principalem morem iam factum. Sic ludificatos à Carolo Octauo Gallorum Rege Florentinos: quibus iuratus se illis quamprimum Pisas redditurum; fidem dein repetentibus responderit, se prius Pisanis iureiurando contrarium promisisse. Quæ vbi ex animi sententia fluere animaduertit Orangius, ratus posse Austriacum armorum præsidio, & populi beneuolentiâ destitutum facilè opprimi;

Consilium Orangij de Austriaco capiendo:

S. Aldegundis gentilitiu: Marnixij pagus.

negotium dedisse ferebatur Philippo Marnixio à Sancta Aldegunde, quem propterea Bruxellas immiserat, & Guilelmo Hornano Hesij Domino, pollicitis captum, seu vi seu dolo Austriacum in Zelandiam se deportaturos.

hisce ministris.

Quod sanè facinus & si non abhorrebat à reliqua vita aut Aldegundij, hominis ingeniosissimè nequam, qui Caluinum puer docentem audierat, senex iam alios ipse docebat: aut Hesij, cui bono vertebat, abstrahi quoquo modo Bruxellis Austriacum, eòque gubernandam sibi vrbem relinqui: quique capite postea damnatus, idem aduersùs Alexandrum Farnesium prætentasse creditus est.

Aldegundio,

& Hesio.

tamen, an illi re ipsa moliti hoc sint, vt Austriacus multis authoribus existimauit: an potiùs, ex Orangij consilio, famâ tantummodo, incussoque eius rei metu contenti fuerint, affirmare non ausim: quum ad serendas inimicitias inter Austriacum & Belgarum primores (quod auebat Orangius) tantundem esset, siue is captiuitate, siue captiuitatis opinione prouocaretur: immo illud inuidiosius videbatur, & ab Rege vindicandum: hoc verò dubium, nec facilè assequendum, & fortasse ab Austriaco belli causas quærente simulatum credi poterat. Et sanè processisse Orangij artificium compertum est.

Dubium an tentatã hoc fuerit.

DE FVGA Austriaci.

ETENIM Austriacus, vbi authoritatem suam quotidie imminui, odium augeri, relatis conspirationibus se peti sensit; non vltrà Bruxellis moraturus, locum circumspectare cœpit aliquem, ex quo repellere, aut etiam inferre vim posset. placuitque Namurci arx, munitione ac situ valida, excipiendoque externo militi peropportuna. Ergo nouis insidiarum indicijs maturatâ fugâ, Mechliniam specie dirimendæ litis, inter legiones Germânicas, & Ordinum Quæstores super stipendijs exortæ, clàm Bruxellis abscedit.

Mechliniã concedit specie Germanos cõponẽdi.

3. Iunij.

Neque ibi, vt sibi videbatur, adhuc tutus, occasionem nactus occurrendi Galliarum Regis sorori ad aquas Spadanas proficiscenti; (si modò hisce sub aquis aliud non latebat) magno Nobilium comitatu Namurcum venit.

Margarita Nauarræi Regis vxor. Spà.

Inde Namurci alio prætextu.

Quam vbi perhonorificè excepisset, abeuntemque prosecutus esset; postridie quasi venaturus, ex composito arcem Namurci obequitans, laudare locum numquam antea æstimatum im-

Arcem Namurci occupat.

1577

Aegidius Dominus Hiergij. Lancellotus Mega Comes. Florus Floionus. & Claudius Hanitepenius.

pensè cœpit: inuitatusque ad eum introspiciendum à Barlamontij eius Prouinciæ Præfecti filijs, non inuito arcis Gubernatore ipse comitesque ingressi sunt, statimque occupatis munitionibus, mutatis præsidiarijs, Gubernatore nihil vereri iusso, quòd diceret, non aliena se violenter inuadere, sed quæ Regis essent, ea repetere; conuersus ad comites, gratulatusque hunc primum regiminis sui diem, ad quem vsque diem nihil ex ea gubernatione præter titulum habuisset, facti rationem exposuit: questusque de illatis in se suosque sæpenumero contumelijs, ac binis præterea litteris ostensis, in quibus de insidijs sibi paratis admonebatur; in eam se arcem contulisse affirmauit, vt securitati suæ consuleret, non vt quidquam ex composito rerum statu mutaret. Simul scriptâ ad Delegatos Ordinum epistolâ, ac misso ad eos, cum iisdem insidiarum indicibus litteris, Maximiliano Rassinghemio, partium vtrarumque nuncio perpetuario, causam discessionis, ac securioris in posterum digniorisque regiminis sui rationem edocuit. Id verò Ordinum Delegatos Senatoresque variè habuit. Multi sublatam inde spem reconciliationis omnem dolebant. Plerique lætabantur, eo veluti classico, quod Austriacus ipse cecinisset, ad arma cogi se aduersùs Ducem militibus exutum: laudabantque propterea peropportunum Orangij Principis astum, cuius opera insinuatum Austriaco eiusmodi fugæ consilium dictitabant. Omnes tamen, metu ne renouatum fortè bellum illis imputaretur à Rege, repetitis continuo litteris ad Austriacum nuncijsque, Repentinam mutationem queruntur: inanes metus ac suspiciones vti deponat, comprecantur: ac Bruxellas reuerso pollicentur, se in insidiarum, si qui sint, reos accuratè inquisituros. Negabat Austriacus rediturum se, donec Hesius multa aduersùm se impiè ingratèque molitus (namque annuo sex millium florenûm reditu illum nuper auxerat) arma cum Bruxellensi populo non deponeret: donec Aldegundius ac Teronius, quos ad se circumueniendum missos ab Orangio constabat, Bruxellis agitarent: donec ipsi Ordinum Procuratores, renunciatâ Orangio, cum quo colludere viderentur, amicitiâ, illum æqua postulata recusantem, seriò non cogerent Gandauensi fœderi, Edictoque perpetuo, vti conuenerant, omissis ludificationibus, obtemperare. In quam sententiam compositâ ad Prouincias epistolâ, ac nominatis tum eorum nonnullis, à quibus adornatas sibi insidias affirmabat: tum honestis aliquot ac primarijs viris, interque eos ipso Areschoti Duce, à quibus id genus multa compererat; non inanes, aut simulatos ab se metus ostendit: simulque Orangij fraudes opprimere per eas discordias vnicè conantis Religionem Catholicam, ac Regis authoritatem, abunde nec falsò aperuit. Sed interea detecto Austriaci consilio Antuerpianæ

Exponit facti facti rationem.

Idemque scribit ad Ordinum Deputatos.

Varius deputatorum sensus.

Iul. et Aug. mensibus.

Horum littera ad Austriacum.

Austriaci responsum.

Mar. Del. l. 3. Turb. Belg. Aloys. Cabrera in Philip. 2. l. 11. c. 13. & cap. 16.

Littera Austriaci ad prouincias.

1577 pianæ arcis in poteſtatem ſuam redigendæ: ne aut Orangij emiſſarijs, vti inaudierat, aut Ordinibus traderetur: capto Ludouico Bloſio Treslongi Domino, arcis Præfecti vicario, eiectiſque non ſine cæde, qui Auſtriaco fauebant, militibus; in Ordinum manus Antuerpiæ arx, aliæque nonnullæ deuenerunt. Quo facto exacerbatis vtrinque animis, ac ſparſis vltro citroque minacibus libellis: quum Ordines Deum hominesque teſtarentur, concordiam à ſe optari, ab Auſtriaco belli cauſas ficto inſidiarum metu quæri: Auſtriacus contrà ſatis oſtendiſſe ſe diceret, quo animo eſſet aduersùs pacem, qui dimiſſis Hiſpanis, ac reliquâ militiâ ſpoliatus, omnem ſibi viam bellandi præcluſiſſet; vtrique à ſe belli, ſi quod ſequeretur, amoliri cauſas & odia conabantur: atque ideo reconciliationis interea curam, ſeu curæ ſpeciem non omittebant: adnitentibus antè omnes Vernero Gimnicho, ac Leuino Torrentio, Iuliacenſi Ducis, ac Leodienſis Epiſcopi Legatis. In id verò operoſiùs intendebat Auſtriacus, quippe imparatus incertuſque Regis animi, trahebatque propterea moras, dum litteræ ab Hiſpania, quò Eſcouedum miſerat, afferrentur. Aduenerat haud ita multò antè Philippus Sega Apoſtolicus Nuncius in Belgium, quò illum ex Picentina præfectura properè allegauerat Gregorius Tertiusdecimus: vt, quoniam inaudierat, Ioannem Auſtriacum cum Belgarum prouincijs diſceptare de conditionibus, in quas antè iuraret quàm adminiſtrationem capeſſeret; Nuncius, cuius prudentiæ plurimùm Pontifex tribuebat, in tempore adeſſet Auſtriaco, ne quid incautè aduersùs Religionem confieri pateretur in earum conceptione legum. Simul vt, vbi pacem cum prouincijs compoſitam videret, illum ad Britannicam expeditionem, vti inter Pontificem Regemque conuenerat, animaret. Verùm quum iam reperiſſet Nuncius, Auſtriacum ſubſcriptis conditionibus in Edictum perpetuum conſenſiſſe, & rurſum turbatis domi rebus, inque bellum propediem erupturis, ſpem nullam apparere externæ traiectionis; quod reliquum erat, firmare inter ea turbamenta iuuenem inſtitit non optimis modò conſilijs, ſed, quod pluris tunc erat, quinquaginta nummûm aureorum millibus, quam Gregorius ſummam Britannico bello deſtinatam ei ſtatim offerri iuſſit: ſubſidium eo ſanè gratius, quo Duci opportunius à milite, atque à pecunia deſtituto. Neque Delegatos Ordinum Senatoreſque Nuncius prætermiſit: Sed Bruxellas Namurco digreſſus, Pontificias, vti iuſſus erat, litteras exhibuit, ac benigna Patris hortamenta ad reſumendam concordiam, retinendamque priſtinam obedientiam erga Religionem ac Regem. magnificentiùs excepta quàm obſequentiùs: ſcilicet obſeptis iampridem multorum animis ab hæreſi, refractario ac pertinaci malo, quodque facilius

Arx Antuerpia tentata ab Austriaco.

in manus Ordinum venit;

Ordines Austriacũ accuſant velut inſidias ficte timentem.

Austriacus verò inſidias cãidit.

Leuinus vir doctiſ. & poſtea Epiſc. Antuerp.

Nuncius à Pont. ad Austriacum

Episc. Ripatransona, postea S. R. E. Card.

cur miſſus.

conſilium et,

& auxilium offert.

Delegatos Nuncius aggreditur.

liùs excluditur, quàm expellitur. Interea litteris ab Rege iussus Au- 1577
ſtriacus, ſi nulla poſſet iniri pacificationis via, Catholicam Reli- *ineunte Sep.*
gionem, Regiamque authoritatem ſtrenuè tueri, milite non defu-
Ruuartes creatur Orangius. turo: audit, Orangium Bruxellas ab Ordinibus accerſitum, Con-
ſeruatoremque Brabantiæ, repetito veteri vocabulo, Ruuartem
Quid hoc munus sit: prouinciæ creatum. Erat is Magiſtratus Dictatori Romanorum,
aut Leodienſium Mamburo non abſimilis, quem periclitante Re-
pub. deſignare, partes eſſe ſuas, ex Introitus læti priuilegijs, dictitant
et qui olim eo insigniti. Brabantini. Quamquam (vti apud eorum annales obſeruatum *M. Delr. l. 4.*
legi) præter Antonium Philippi Burgundi Ducis filium, Ioannâ *Turb. Belg.*
Venceslai Ducis viduâ Brabantiam gubernante, delectum à tribus *Philip. Audax. 1404.*
prouinciæ ordinibus Ruuartem: ac præter Philippum S. Pauli Co-
mitem, diſſidentibus inter ſe Ioanne Duce, & Iacoba coniuge, ab *Ioan. IV.*
armatis in Ducem Brabantinis Ruuartem quoque nominatum; non *Dux Brabantiæ.*
aliàs ego quidem reperi ea vſos authoritate Brabantiæ populos. *1420.*
Horum autem vterque quoniam à Ruuartis nomine, ad Ducis dein
munus imperiumque tranſiere; ſpes ſcilicet Orangio ab exemplo
intendi poterat, reiectis aliquando temporariæ modeſtiæ vocabu-
lis, Brabantiæ ſeſe Ducem genti Naſſauiæ præiturum. Quo acriùs
incitatiùſque Auſtriacus ea ſuper re non deſtitit, internuncio Ga-
ſpare Schetzio Grobendonchij Domino, ciuitatem atque Ordines *Grobendonchius Thesaurarius Regis.*
Ordinibus quid imperat Rex: increpare. Quin etiam acceptis haud multo pôſt alijs ab Rege litte-
ris, operâ Philippi Segæ feſtinatis, (quem per eos dies è Belgio in *4. Octob.*
Hiſpaniam tranſtulerat Pontifex pro Ormanetto Nuncium) in qui-
bus Rex volebat, Ordinum Delegatis edici, arma vt deponerent,
Orangium ne admitterent, Edicto perpetuo obtemperarent; Au-
& quid addit Auſtriacus. ſtriacus, miſſo ad eos litterarum exemplari, feriò admonuit, ſibi ma-
turè conſulerent, ac iuſtam Principis iram in ſui patriæque perni-
Illi non obtemperant: ciem experiri ne vellent. Sed quum reſponſionis loco nonniſi que-
& Auſtriacus ad bellũ reſpicit. relæ ac minæ, (quippe moderante cuncta Orangio) redderentur;
ad vim ac bellum animum applicuit, vt multi interpretabantur,
non inuitus. non inuitus. Fruſtratus enim ſpe pacificandæ per indulgentiam li-
ob has potiſſimùm cauſas. beralitatemque prouinciæ: (quam ille laudem à ſuperioribus Belgij
Præfectis amiſſam recuperaturum ſe crediderat) vbi animaduertit,
irritam eſſe beneficentiam, Magiſtratuum authoritatem inualeſcere,
ſuam contrahi, ac planè ſe precariò regere, immo iniurijs atque inſi-
dijs perditorum hominum caput ſuum quotidie patêre; vir contume-
liæ inſolens, magniſque aſſuetus exercitibus imperare, quum belli
æquè ac domi obligatas ſibi manus videret; pertæſus huiuſmodi vi-
tam, oblatam occaſionem haud illibenter arripuit, apertumque bel-
lum maluit, quàm miſeram intutamque pacem.

STATVS rerum in vtraq; parte, ET VERO magnum offenſi irritatique animi argumentum fuit,
virum

1577. virum militiæ ſanè non rudem voluiſſe eo tempore armis decernere, quum vires ei longè impares erant. Nam ex ſeptemdecim prouincijs, queis Belgium conſtat, duæ tantummodo, Lucemburgum, Namurcumque tuebantur Auſtriacum. Ex Nobilitate, Sacroque ordine, ac Magiſtratibus, ſi paucos excipias, omnes inito inter ſe fœdere ſequebantur Ordinum partes. Non quòd Religionem, aut Regis obſequium exuiſſent, (quamquam ex huiuſmodi deſertoribus non deerant oppidò pauci) ſed alij iactatione apud populum libertatis auidum, & dominantibus inſenſum: pars ab Orangio promiſſis empta, eique affinitatibus adnexa: multi Auſtriacum inermem, & fugitiuum reputantes, tutiora Ordinum arma ſectabantur, non pauci etiam honeſtiora credebant, rati fictos ab Auſtriaco metus coniurationum, quò bellum iuſtiùs capeſſeret; eumque propterea compoſitis ad Regem litteris incuſauerant, vanis Belgium ſuſpicionibus implicantem. Vſque adeo verum eſt, PRINCIPIBVS de coniuratione non credi, niſi peremptis. Nec militia conferenda tunc erat. Siquidem hinc pauca Germanorum ſigna de induſtria ab Auſtriaco retenta in Belgio, reuocatique ex Gallia manipuli aliquot Hiſpanorum ibi militantium, ac delectæ præterea nonnullæ Vuallonum Burgundorumque centuriæ, vix quatuor armatorum millia conficiebant: quum illinc non pauciores quindecim hominum millibus iam tum numerarentur. qui ſi, vti deliberauerant, atque à Gemblaco propterea mouerant, Namurcum illico aggreſſi eſſent, haud dubiè Auſtriacum militiâ viribuſque inualidum, vrbe atque arce depuliſſent. Sed, vt plura inter capita, dum tempus diſſidendo in caſtris terunt, nouis ſe ſe firmandi auxilijs opportunitatem Auſtriaco præbuere. Nimirum Ruartes Orangius ordinandæ Brabantiæ poſthabebat omnia, quò vicinæ Hollandiæ præcaueret. Ille Bruxellis, atque alijs circà oppidis nouos Magiſtratus ad Hollandorum exemplar inſtituebat. Illius conſilio arx Antuerpiæ, qua parte proſpectabat vrbem, diruta eſt, tanto populi gaudio, operarumque ſponte accurrentium frequentiâ, vt neque primariæ contineri mulieres domi poſſent, quin noctu operi interuenirent: donec ob flagitia in eo compotantium colludentiumque tripudio fœdè admiſſa, nocturnum opus edicto ſublatum eſt. Sed nuſquam effuſior geſtientium licentia, quàm ad Albani Ducis ex ære fuſili triumphalem ſtatuam. quam ſepoſitam in parte arcis aggreſſi, in aream deuoluunt, ferro inſtant, ſecuribus ſæuiunt: & tamquam ad ſingulos ictus dolorem incuterent, ac ſanguinem elicerent, imaginaria illa cæde fruebantur. Fuere, qui lapidum fragmenta è comminuta baſi domum aſportarunt, appenderuntque ceu fracto ex hoſte manubias, ac ſumptæ qualiſcumque demum vltio-

Duæ tantùm prouinciæ pro Auſtriaco.

Nobilitas et Status Eccl. pro Ordinibus.

Cur?

Militia Auſtriaci.

& Ordinum.

hæc maior, et victrix,

ſi concors.

Gembla.

Orangius moderatur omnia.

in fine Aug. menſis Mar. Delr. l. 4. Turb. Belg.

Eius conſilio Arx Antuerp. diruitur:

magno populi tripudio.

præſertim in Albani ſtatua confringenda:

tio-

Refusa demum in tormenta bellica. tionis ad posteros documentum. Metallum sicut antea ex tormentis bellicis in Albani signum, sic postea ex signo eiusdem in tormenta refusum, ac naturæ suæ redditum est. Ægrè in vnum ferentibus nonnullis, quasi Albanus sanè totus ex terrore conflatus, ideoque sat formidatus ad eam diem; iam in huiusmodi machinas conuersus videretur, quibus vel absens perpetuò Belgium territaret. Exemplum Antuerpiæ non minori statim alacritate secuti Gandauenses, *Demolitiones aliarum arcium.* Traiectenses ad Rhenum, Insulani, Valencenates, alijque, excusso arcium iugo, ceu primos libertatis dies agitauere. Quæ quoniam ad rebellionem populorum, & (quod acriùs angebat aliquos) ad nimiam Orangij potentiam spectare videbantur, Procerum complures, quibus integra adhuc in Regem fides, præsertim Areschoti Dux ob veteres cum Orangio controuersias; de eligendo nouo Belgij Gubernatore verba fecerunt, specie quidem firmandi Ordinum partes accessu maiorum virium, re vera vt ipsi subtracti Ruuartis imperio, cui parebat ægrè Nobilitas, apud nouum Principem exæquarentur. Quumque ab alijs Angliæ Regina, ab alijs Franciscus Hercules Dux Alenconius frater Galliarum Regis, ab alijs Rodulphi Imperatoris frater Matthias Archidux Austriæ nominarentur; facilè illam vti hæreticam, ac per Vicarium dominaturam reiecere Catholici: Alenconium verò ob assiduas inter Belgas & Gallos inimicitias, plerique posthabuere Archiduci, qui ex familia petitus, minus offensurus Philippi Regis animum videretur. nisi fortè aliqui, vt Austriacos inter se bello committerent, ad Archiducem respexere. Missi Viennam Oratores non difficilè persuasere iuueni, quod auebat: eumque noctu egressum vrbe quàm paucissimis comitatum in Brabantiam opinione celeriùs adduxere, inscio Rodulpho Cæsare, fratremque (vbi resciuit) à fuga per insequentes equites, mox à proposito per litteras retrahere frustra conato. Quin etiam increpitum peracerbè à Rodulpho Maximilianum fratrem, non dubijs authoribus accepi: quòd is communicatum sibi consilium à Matthia, in tempore non aperuisset. quum tamen Maximilianus iusiurandum obijceret, quo adactus fuerat à fratre, ne rem ea ipsa nocte sibi proditam, cuiquam mortalium detegeret ante vesperum consequentis diei. Sed non ideo Cæsar effugit aliquorum sermones longè secus interpretantium Archiducis fugam. Certè haud clàm fuit, suspicatos tunc esse nonnullos, iuuenis consilium in adeunda Belgij præfectura eò spectasse, vt per occasionem patrocinij, aliquando insereret in stirpem Rodulphi, Austriacamque Germaniæ domum, Belgicum patrocinium: vti de huiusmodi suspicione disseruit, cum aliquot Germanicis proceribus Bartholomæus Comes Portia Pontificius ea tempestate Nuncius apud Cæsarem.

Marginal notes (left):
Refusa demum in tormenta bellica.
Demolitiones aliarum arcium.
Proceres infensi potentiæ Pr. Orangij.
de nouo Belgij Gubernatore cogitant.
Tres proponunt.
Matthiã Archiducem præferũt:
& ex Germania in Belgium deducunt;
improbante id Rodulpho Cæs.
& Maximilianũ rei conscium obiurgante.
Suspicio multorũ de Cæsare non fortè agente:

Marginal notes (right):
1577
Vtrecht Lille.
Orangius.
3. Octob.
Nuntius Greg. xiij.

1577 rem. Et Ioannes ipse Austriacus dubitasse de Rodulphi animo visus est; dum ad Alexandrum Farnesium Parmæ Principem scribens, *Ea de re Io. Austriaci epistola.*
25. Octob. inter alia: *Venit ad me*, inquit, *hesterno die ab Imperatore nuncius cum eius litteris, quibus admonet de fratris discessu, vti suspicatur, in Belgium, se neque gnaro, neque probante. Offensus profectò sum ea re non mediocriter. Nam etsi non ignorabam, anno superiore id quoque ab Ordinibus attentatum; persuadere mihi tamen numquam potui, aut Archiducem suscepturum huiusmodi prouinciam, aut Imperatricem matrem, fratremque Cæsarem consensuros. Quamquam de Imperatrice, quam reor huius consilij prorsus ignaram, non sanè miror: potiùs angor eius causa, vereorque ne leuitas filij triste aliquid apportet matri. De Imperatore quid iudicem, incertus adhuc animi sum. Quippe id agitari quum ipse non nesciret, non modò negotium non dispulit, sed neque de eo Regem, vti par erat, admonuit. Ego quum primùm Archiducem resciero in Belgium intulisse pedem, cum illo, quemadmodum conuenire vtrique nostrum arbitrabor, sedulò agam, ne se Ordinibus adiungat implicetque: recusantem hostis loco iure habebo.* Sed iam illum in Belgium intrauerat, non tamen regimini statim admotus: quippe Ordines non satis antè consulti, atque Orangius moras ex industria nectebant, deque conditionibus Archiduci offerendis anxiè agitabant. Quibus denique non paucioribus triginta & vna propositis, constrictoque ijs Archiduce, ac tantùm non in ordinem redacto, fundamenta iaciebant eius popularis imperij, quo iidem olim Belgæ, diuisa ex æquo cum Rege administratione, regebant, regebanturque. In has porrò conditiones quum Catholici pariter ac hæretici, nouo inter se icto fœdere, iurassent; Matthias Antuerpiæ primùm, postea Bruxellis, supremus Belgij Gubernator, magna ludorum gratulatione, salutatur, Viceruntque Orangij asseclæ, vt Archiduci adderetur ipse, qui iuueni nondum vigesimum annum supergresso, rudique rerum Belgicarum, Vicarij nomine moderaretur.

Matthias Belgium intrat.

Ac multis conditionibus accepit.

Cæs. l. 5. bell. Gal.

17. Dec.

Gubernator prouinciarum inauguratur:

Orangio Vicario.

1578 PRIMVM facinus noui regiminis fuit mutatio secretioris Senatus, abdicatis dubiæ in Ordines fidei Senatoribus, nouis adlectis: à quibus statim hostes patriæ renunciati quicumque Austriacum sequerentur: mox ipse Austriacus eiusdem pœnæ interminatione compellatus, ni Belgio excederet: postremò ab eodem Senatu Ordinumque legatis compositum iurisiurandi carmen, quo sacer iuxtà ac profanus ordo persanctè pollicerentur, *Obtemperaturos se Archiduci Matthiæ, supremo Belgij Præfecto, cumque fortunis ac sanguine defensuros, donec alius ab Rege, atque Ordinibus crearetur: cum Ioanne autem Austriaco, vti cum hoste, acturos.* Hæc verò proposita lex, atque alicubi impotenter exacta non paucis Nobilium fraudi fuit, aliquos etiam afflixit. Principium Antuerpiæ sumptum ex Patribus

NOVVS Senatus.

hostes pronunciat Io. Austriaci asseclas;

& ipsum Austriacum.

proposita hac iurisiurandi forma.

S1 So-

ad quam inuitatur Iesuita.

Societatis Iesu, vt quorum magna erat ea in vrbe authoritas, eorum aut exemplum, si ad partes accederent, alios inuitaret: aut, si abnuerent, animaduersio deterreret. Vrgebantque id inprimis hæretici, non dubia spe, Patres (quorum constantiam semper oderant, hic amabant) per eam occasionem, quam sibi laudi vertere consueuerunt, è Belgio interim amandandos. Negotium itaque in se suscipit Gulielmus Hesius: aggressusque Balduinum ab Angelo, qui Societatem in Belgica prouincia temperabat, hortatur, vt in concepta legis verba, nomine suorum, iuret. Is, qui sciret illam iurandi formam ab hæreticis compositam aduersùs Catholicorum partes; excusata instituti sui ratione, qua Patribus interdicitur ciuilibus hisce curis; firmatus animi sacramentum eiusmodi respuebat, neque precibus, neque minis adigi ad illud poterat: eòque, quum per aliquot dies assiduis hæreticorum iniurijs atque incommodis exagitarentur Patres; tandem ipso die Pentecostes, armato hæreticorum globo templum ac domus obsidetur: perfringuntur fores: sacra, profana, omnia diripiuntur: Patres domi impetu exturbantur, atque Hollandorum cimbis impositi, magno furentium ludibrio, aliò transmittuntur. Acciditque inter hæc facinus memoratu dignum. Eijciebantur è foribus Patres, sclopisque in pectus obuersis, ne quid asportarent, excutiebantur; quum ex ijs vnus Andreas Boccatius (decet enim viri nomen egregiè fortis ac pij posteris tradere) admiratione sui Catholicos, hæreticosque in se conuertit. Quum enim subijsset animum, in ara maxima Sacrosanctam Eucharistiam argenteo in vase relictam; repentè è militum se proripit oculis; templumque ingressus hæreticis debacchantibus refertum, constanti gradu ac vultu ad arcam accedit, adoratumque de genu Dominum è loculamento reuerenter extrahit: sed inspecto vase breuium Hostiarum pleno, quum tam multas illico absumere arido atque hiante ore non sustineret, vir præsentis animi fideique, argenteam pyxidem manu elatam per media sacrilegorum arma, nullo eorum quidquam auso, asportat ad Socios; siue attonitis hæreticis miraculo confidentiæ, seu potiùs Deo conceptam de se spem pietatemque hominis comprobante. Nam si Romanæ scriptor historiæ, Caij Fabij non absimile facinus commemorans, qui ex obsesso à Gallis Capitolio, per medias hostium stationes egressus in Quirinalem collem abijt redijtque sacra manibus gerens, addidit, Sperasse illum propitios sibi Deos fore, quorum cultum ne mortis quidem metu prohibitus deseruisset; quid ni ego non paulo sapientiùs disseruerim, Et hunc certò sperasse, affuturam sibi in eo ministerio cælestem opem, qua ope ille ipse Dominus in Hebræorum olim conspectu, quum voluit, inobseruabilis, tunc quoque similium

Sed illi abnuit. — *Obsidetur ab armatis hæreticis.* — *Diripitur eorum domus.* — *ipsi eijciuntur vrbe.* — *Facinus egregij viri è Societ. Iesu.* — *Annal. Societ. An. 1578.* — *Simile quid apud veteres Rom.* — *T. Liu. l. 5.*

1578

1578 lium inimicorum oculos, aut certè manus eluderet? & simul Dei beneficio remunerantis excellentem viri fiduciam factum esse, vt vnus trecentos inter armatos (neque enim pauciores erant, qui templum, quique templi aream strictis gladijs obtinebant) Eucharistiam ab hæreticorum contumelijs, argentum à militum rapacitate conseruaret? *Tilmannus Bredembachius l. 7. c. 62. colla. sacr.* Additur ad hæc aliud, quod attexere hoc loco, Religionis intererit. Eiectis vrbe Patribus, inter eos qui vacuas eorum ædes inuisebant, *Mira res domi Iesuitarum.* partim auidè inspecturi, vt fit, alienas domos, præsertim Iesuitarum, partim (namque horum plerique hæretici erant) vsurpaturi oculis gaudium ex inimicorum infortunio; fuit è Caluini triuio scurra, vt sibi videbatur, non infacetus: qui ludum populo daturus, hasce ædes ingressus, fasciculum straminis, albæ innexum virgæ pro foribus è fenestra suspendit, quasi populum domestici funeris ac pestilentiæ, more gentis, admoniturus. Mouit ea species prætereuntibus admirationem, nonnullis & risum, quo Caluinianus Apelles ceu post tabulam fruebatur. atque ex eis vni fores importunè pulsanti, ille intus exclamans, *Quid, malum, hic pulsas?* inquit, *An non præfixa mortis insignia, virgam & stramen inspicis? Quotquot hasce incolebant ædes, pestilentia sublati sunt.* Mirum dictu: eodem die, quum nusquam esset in vrbe contagio, impij derisoris domum pestis inuasit; coëgitque illum domi suæ flere, id, ex quo risum in aliena captauerat. At Societatis Patres non dis- *Aliunde eijciuntur Iesuitæ.* similia his, quæ Antuerpiæ acciderant, Tornaci, Brugis, ac Traiecti ad Mosam perpessi, *Maestrich.* ex ijs vrbibus exulare ob eandem causam coacti sunt: habueruntque exilij comites alibi Franciscanæ familiæ *& Franciscani, aliique.* Patres, alibi honestissimos Sacerdotes, ac Pastores animarum; quorum abscessu quantum Catholica res illico cecidit, tantum grassari cœpit vbique præcipiti cursu hæresis. patuitque, quàm magno cum publicæ rei bono adessent ij, quibus absentibus tantum *magna cum pernicie catholicæ rei.* mali certatim prorupit: *Iunio mense.* ausis non pòst multo Caluinianis, libellum Archiduci atque Ordinibus offerre pro religionis in Belgij prouincijs libertate firmanda. Et quamquam primò reiecti, adnitente tamen Orangio, nouis libellis maiori confidentia conscriptis, eandem libertatem simul exposcere, simul exercere, occupatis aliquot *templis occupatis ab hæreticis,* Catholicorum templis, occœperunt. Adeo, vt Ordines turbarum metu ob eam causam enascentium, vrgente præsertim belli negotio, quò versæ erant omnium curæ; liberum promiscuæ religionis arbitrium in multis Brabantiæ, Geldriæque, ac Flandriæ ciuitatibus ali- *& libertate religionis extorta.* *Iul. mense.* quando permittere, Archiduce Catholicisque incassum reclamantibus, coacti sint.

Decembr. mense an. 1577. AT VERO Ioannem Austriacum, exeunte iam anno, Alexandri *HISPANI ab Italia reuocantur.* Farnesij Parmensis Principis aduentus cum veteranis ab Italia co- *cum Alexandro Farnesio.*

pijs, magnopere confirmauit. Iussi erant à Philippo Rege Hispani milites ex Genuensium finibus, quò septem ante menses ab Austriaco missos esse memoraui, Belgium quamprimùm repetere, *1578* magna vtique Tribunorum ac Centurionum alacritate, nempe reuocationem illam ad Regis gratiæ, existimationisque suæ redintegrationem referentium. *Iul. Romeri mors.* Quamquam repentina Iuliani Romeri, veteris primarijque Tribuni mors, qui, dum milites ad discessum instruit apud Cremonam, equo delapsus, illico expirauit; Hispanorum lætitiam, quibus perquàm carus fuerat, aliquantulum interturbauit. Hæ autem copiæ, aliæque in Italia conscriptæ; (namque ex Hispanis non pauci obierant) Alexandrum Farnesium, vt erat ab Rege imperatum, partim præcessere, partim subsecutæ sunt. Ad celeritatem enim, prouinciarumque securitatem, per quas iter agendum erat, satius visum est, per manipulos separatim, quàm instructo agmine, exercitum sex armatorum millibus constantem incedere. Ipse autem Alexander, exiguo comitatu, iussoque Fabio Farnesio cum parte familiæ subsequi, magnis itineribus Lucemburgum aduênit Decembri mense. *Die 18.* Cuius causam aduentus antequam expediam, operæ pretium existimo, quæ mihi comperta de Alexandro, tanto quàm in alijs executus sum Ducibus, ampliùs à principio memorare, quanto hic grandem annalium partem impleturus occurret sæpius legentibus: quibus haud ingratum fuerit, *De Alex. Farnesio, ante eius aduentũ in Belgium.* Alexandrum ante Belgicam expeditionem cognitum cum eodem Belgium moderante, quasi magni corporis membra vbique magna coniungere.

Pater eius Octauius. NATVS est Alexander Octauio Farnesio Parmæ ac Placentiæ Duce, viro non dubiè adnumerando inter exempla virorum regnandi artes apprime callentium. *Octauij ingeniũ, & artes.* Quippe ingenium illi ad pacis bellique artes à natura promptum: ab aui sui Pauli Tertij, socerique Caroli Quinti schola pereruditum: à fortunæ variantis disciplina perfectum. Eminebat in eo comitas, beneficentia; non magis naturæ dotes, quàm hominis artes, nouo nutantique imperio accommodatæ. Quin & amatorios ludos, quibus indulgere paulò intemperantiùs videbatur; retulisse, Augusti Cæsaris exemplo, ad arcana *Sueton. in vita.* *Popularitas in primis.* domorum exploranda, certum habeo. Nihil illo in priuatorum causis audiendis, in promiscuis salutationibus, in omni vita, ciuilius. Speciosa venerantium obsequia, certantesque blanditias mutuò mentientium, ceu personatas magnificè nugas cum risu spectabat: ac REBVS intentus officiorum inania transmittebat. efficitque æquitate, ac indulgentià, laxamentisque popularibus, quibus ipse se priuato non absimilem immiscebat, atque in primis li- *& beneficentia.* beralitate, qua etiam votis adeuntium obuiàm ibat; vt inter Principes

cipes

1578 cipes ea tempestate, populorum studijs ac beneuolentiâ claros,
meritò haberetur Octauius. Nec minor ei à militia claritudo, cu- *Octauij militia.*
1541. ius vt tyrocinium sub Carolo Imperatore adolescens ac penè puer
posuit; ita primam eidem operam præstitit, vndecim millium
bellatorum ex Italia Ductor, quos Religionis, atque affinitatis *in Germania,*
causâ Paulus Tertius trans Alpes misit ad Cæsarem, non leue mo-
mentum eius victoriæ, qua Germania omnis, inter Danubium,
1546. Albim, & Rhenum, Imperatorijs armis subacta est. vti Cæsar ipse,
Ex litteris Episc. Poggij Nuncij Apost. apud Cæsaré ad Alex. Car. Farnesium. viso illo exercitu, negauit nobiliori vnquam delectu copias equi-
tum peditumque ex Italia prouenisse; & spectata virtute, magnam
eis victoriæ deberi partem affirmauit: Octauium propterea gene-
rum insigni caritate, & aurei Velleris torque complexus. At verò
in Italicis postea bellis Octauius, pari fortitudine, & Parmam con- *atque in Italia.*
tra Pontificios ac Cæsarianos exercitus, annua obsidione, defendit:
& Philippi Regis Hispaniarum partes cum Placentiæ restitutione
1557. demandatas, aduersùs Gallicos Duces varijs aggressionibus promo-
uit. Depositisque exinde armis, quæ nulli vnquam nisi lacessitus
intulerat; reliquum vitæ, vir amœni ac ciuilis ingenij, firmando
fruendoque imperio transegit. Hoc igitur parente Alexander (nam-
que de matre eius Margarita Austriaca Imperatoris Caroli Quinti
filia & retuli suprà non pauca, & in loco superaddam) natus est *Tempus natalis Alexandri.*
Romæ, eo ipso anno, quo Pontifex Paulus Tertius paternus Proa-
uus, inchoato Tridenti Concilio, ac maternus Auus Carolus Quin-
tus Imperator, comparato in Germania exercitu, Christianam
Rempublicam aduersùs Lutherianam hæresim, ille sanctissimis le-
gibus armabat, hic armis triumphalibus asserebat. non vanum
tunc quidem præsagium orienti proli, postea verò incitamentum
ad idem aliquando monstrum, tamquam auitum hostem, hæredi-
taria virtute debellandum. Accessit Pauli Pontificis prædictio: qui *Pauli iij. de eo prædictio.*
Carolus. allatos ad se Alexandrum, & gemellum Fratrem Austriacæ parenti
gratulatus, imposita super Alexandri verticem manu, addidisse fe-
rebatur, illum, si quid veri præsentiret animus, magnum armo-
rum Ducem aliquando futurum. Credo ex nominis occasione
Alexandrum alterum auguratus: nam aliunde diuinationem tra-
here, vanum habeo. Et auxit domi lætitiam creatus per eos dies
Parmæ ac Placentiæ Dux, Octauius Pater: quasi noua nascenti so-
boli dominatio pararetur. Sed nihil æquè felicitatem ostenderat, *Romæ lætitia ex gemello partu.*
ac gemina vno partu proles, ingenti Romæ gratulatione excepta,
continuatis per dies complures ab Romana nobilitate omnium ge-
nerum ludis spectaculisque: relicto etiam lapideo ad posteros mo-
In portica Diui Eustachij. numento raræ vtique fortunæ in regnatrice domo. Quum interim *Octauij moderatio,*
Octauius, non vt ob similem gestijsse felicitatem dicitur olim Ti- *longè alia quàm Tiberij.*
berius,

berius, iactasseque gloriosè in Senatu; Nulli antea Romanorum 1578
eiusdem fastigij viro geminam stirpem virilis sexus editam: sed imi-

Caroli V. similis.

tatus Carolum socerum, qui ad nuncium Imperatricis enixæ marem filium, illico ad Diui Pauli cœnobium, quamuis imbri effusè interim decidente, se contulit pedes, gratesque Deo ceu prima gaudij libamenta persoluit;

Tac. l. 2. Ann. Philipp. 2. Hisp. Rex.

Pietas Octauij.

sic ipse, audito Margaritæ vxoris partu, non prius gratulantium officia Procerum admisit, nec in publica lætitia laxauit animum, quàm domo egressus, rectà ad sacram accurrit Christi Domini è Cruce pendentis imaginem à sodalibus eiusdem nominis magna Romanorum veneratione in Diui Marcelli templo seruatam: cuius ad pedes prouolutus (præcipua enim religione illam colebat) egit ex animo grates diuinæ beneficentiæ, complexusque illud vitæ lignum, sub illius vmbra liberorum salutem fortunamque deposuit. Dignus profectò, qui filium dein viderit, illud ipsum triumphale Crucis vexillum per Belgas explicantem, in eoque Signo gloriosè vincentem. Tertio pòst mense, in

Alex. Baptismus.

Baptismi fonte (ad lætitiam enim magnis spectaculis repetendam, aliquantum differri placuit lustralem diem) abluente illos Ioanne Dominico Cardinale de Cuppis, sacri Senatus Principe, prior natu, Alexander: posterior, Carolus: hic ab Imperatoris, ille à Pauli ante Pontificatum nominibus appellati sunt. Sed Carolo non diu superstite, omnis in Alexandri educationem cura conuersa est. In-

Educatio.

fantiam in Austriacæ matris sinu indulgentiaque, pueritiam apud Præceptores, quos tulit ætas illa præstantissimos, exegit: fructu tamen perexiguo, certè impari cùm docentium industriæ, tùm di-

Propensio ad arma.

scentis ingenio. Quippe is natura inquies igneusque, litterarum compedes oderat: saltuque, & equestri disciplina, & gladiatorio

vnde illi indita & aucta.

ludo, corpus quàm animum libentiùs exercebat. Fouerunt que, aut potiùs indiderunt hanc puero mentem eæ, in qua nascens incurrit, armorum imagines, domesticaque suorum studia: à quorum primo veluti afflatu, veriùs multo quàm à natalium potestate siderum, mores hominum plerunque finguntur. Siquidem bellicus patris apparatus trans Alpes ad Cæsarem properantis, omniaque armis domi strepentia, ira nascentem excepêre, vt profectò prius ille tubarum cantum, quàm nutricum nænias audierit: habueritque pro crepundijs tympanorum sonum: & quam primam hausit oculis lucem, armorum fuerit. Quin secuto statim anno reducis è Germania patris spolia perstrinxere iterum infantis oculos: nec pòst multo, magnorum exercituum concertationes ad Parmam, vbi obsessus sexennis puer inter muralium tormentorum fragores educatus est: atque alia subinde ex alijs parentis bella, quo magis in primos incidêre ætatis annos, eo altiùs impressis militarium simulacrorum

notis

1578 notis, martialem planè animum formauere. Pueritiam nondum
egressus in Belgium mittitur à matre ad Octauium Ducem, à quo *Puer in Belgium mittitur ad Phil. Regem.*
1557. traderetur Philippo Regi, tamquam redintegrati authoramentum
obsequij in Austriacam domum: simulque vt ea testificatione ab-
stracti à se vnici pignoris, demererentur Auunculi animum, per-
mouerentque (quod maximè spectabant) ad arcem Placentiæ,
recepta iam vrbe, restituendam. Et Philippus, quoquo puer ani-
mo traderetur, libenter excepit, delectatus quidem sororis suæ,
quam summopere diligebat, imagine; sed in primis habiturus il-
lum veluti obsidem ad Farnesiorum in se studia confirmanda. In
Belgio sesquiannum cùm Rege substitit, ea captus armorum spe-
cie, quibus tunc maxime Belgium conflagrabat. Feruntque, quum
à Rege duceretur ad exercitum apud S. Quintinum, summis Ale- *Mirum eius postulatum.*
xandrum precibus petijsse, quo die oppidum copijs omnibus oppu-
gnatum captumque est, vt armis indutus ad oppugnationem mitte-
retur: reiectumque à Rege inter admirationem ac risum, quippe vn-
decennem puerum, ægrè in castris, fusisque vbertim lacrymis se
continuisse. Inde profectus cum Rege in Hispaniam, egit ibi annos
ferme octo, educatus cum Carolo Hispaniæ Principe, ac Ioanne
Alcalà. Austriaco, partim Compluti, quò Carolum litterarum causâ Pater *A Rege ducitur in Hispaniam.*
Mantua Carpetanorum Madrid. immiserat: partim Mantuæ, in aula sub oculis Auunculi Regis,
adeo illi acceptus, vt filij loco haberi ac diligi à Philippo hic Ale-
xander videretur. Intendebatque ei Regis beneuolentiam Caroli *Amor Regis erga illum.*
comparatio, solutis asperisque moribus à paterna grauitate diffi-
dentis. Neque hæc ei gratia (quod rarum in Aula) fraudi aliquan-
do fuit apud ceteram Nobilitatem: quam aut anteibat Caroli Quin- *& fauor aliorū;*
ti nepos, aut sibi demereri studebat adolescens ore eleganti probo-
que, officijs impiger, largitionibus immodicus, eòque domui suæ *ob has præcipuè caussas.*
grauis: armorum verò tractatione, ludisque præsertim equestri-
bus, quos certatim Carolus Princeps, & Ioannes Austriacus, mili-
tari animo iuuenes sæpe dabant, adeo decorè modulatèque ingre-
diens, & aduersùs pericula securo improtectoque interdum corpo-
re decurrens; vt inter ea præliorum simulacra fauore plaudentium
exceptus, voluptati iuxtà ac timori esset. Annum vigesimum agen-
ti vxorem decreuit Rex Mariam Lusitanam Eduardi Principis fi-
liam, Regis Emmanuelis neptem, famâ ingenij ac sanctimoniæ, illa *Coniugium eius.*
tempestate, inclytam. Vtque honori Margaritæ sororis suæ Bel-
gium administrantis hoc daret, misso ad eam Alexandro filio, euo-
cataque illuc Sponsa cum Regia classe ab Lusitania: ac profecto ab
Italia, magno apparatu, eandem ob caussam Octauio parente, ce-
lebrari nuptias Bruxellis voluit, qua suprà meminimus, gratulatione
An. 1565. prouinciarum. Inde Parmam digressus, susceptis ex coniuge plu-
ribus

Liberi. ribus liberis; quorum tres, Margarita Mantuæ olim Princeps, ad feliciores postea nuptias cælesti cum Sponso translata, Ranutius Dux, Odoardusque Cardinalis parentibus superfuere: vbi firmatam iam prole domum, seque vacuum à publicis curis vidit, (quippe Octauius pater, quo erat ætatis animique vigore, facilè vnus *Armorũ cupido:* cuncta regebat) suspirare foris bellum, animoque circumspectare cœpit, si qua sibi armorum alicunde nasceretur occasio. Interea cupiditatem illam, feras in siluis consectando, hastis in vrbe decurrendo, alijsque spectaculorum generibus, quasi præliorum imaginibus, pascebat simul fallebatque. Quamquam ad hæc, vt feroci *Nocturna gladiatoria pugna:* erat ingenio, addebat interdum aliqua, gladiatore quàm Principis filio digniora. Namque armis sub mutata veste firmatus, noctu vrbem pererrabat: non vt Cæsar ille dissimulatâ & ipse personâ per *Neronianis consimiliores,* tenebras circumiens, globo tamen septus gladiatorum, qui rixas à Principe cœptas, modicas quidem finerent, si verò à læsis validiùs *at temeraria.* ageretur, arma inferrent; sed Alexander incedere plerunque solus; aut vno interdum comite, obuios ferro sistere, manus conserere, illorum suique periculum facere. atque, vt FELICITATE gliscit temeritas, eò processit, vt si quem inaudisset digladiandi famâ commendatum, non antè desisteret, quàm noctu aggressus, suas cum eo vires arcemque componeret. Feruntque, quum aliquando Comitem Taurellum, nobilem virum manuque promptum, inter tenebras offendisset, eo statim loco, (quod pridem optauerat) prouocasset consertâque pugnâ, quum Taurellus ad facem illac fortè prætereuntis, Alexandrum Farnesium agnouisset, proiecto ad terram ferro, veniam orasse, si suum in Principem, nescius licet ac lacessitus, arma temerasset. Quo euulgato, factum est, vt plerique occursum eius euitarent, ne scilicet amitterent apud Principem aut victi existimationem, aut victores gratiam.

1578 *Nam dissoluto matrimonio hiemalis facta.* *Tac. l. 13. An.* *Adrian. G. Taurel.*

AD BELLVM sacrum aspirat Alexander, SED interim oblata est ei tandem occasio arma honestiùs induendi, composito nobili fœdere Christianorum Principum aduersùs communem hostem. Ad eam expeditionem multa inuitabant; & pugnæ causa, & nobilium virorum eò confluentium celebritas; &, super hæc, belli Imperator Austriacus, amore ac sanguine æquè *probante Octauio parente,* coniunctus. Nec pater abnuebat, à militari indole filij magnum aliquid sperans, certè ferociam eius inter belli discrimina edoman- *non Austriaca matre.* dam: sed repugnante, cui plurimum tribuebat, Austriaca matre; negauit inconsulto Auunculo Rege quidquam agi oportere. Interim Austriaca litteras, sicuti curauerat, accepit à Rege; quibus videri sibi differendum Alexandri abitum respondebat. At is inuitatu *Illa tamen abit:* Ioannis Austriaci præter modum incensus, expugnata tandem matre, exoratoque Rege, ad bellum. s. quàm magnificentissimè, vt primo

An. 1571. *2. Febr. 1571.*

1578 primo in egressu, comparauit. Octoginta duos è Placentina, ac Parmensi nobilitate secum traxit ad bellum: adhibitis præterea, veluti prætorianâ custodiâ, militibus ferme trecentis à Paulo Vitellio militiæ claro conquisitis non vsitato delectu: quippe eorum plerisque aut olim Centurionibus, aut Subcenturionibus, aut Signiferis, aut alio perfunctis munere supra gregarios. Hoc Alexander Farnesius comitatu, obtulit se voluntarium militem auunculo Duci. à quo exercitum forte lustrante auidissimè complexus, eius permissu quum quadringentos ex Regis classiarijs elegisset, duabus Genuensis Reipublicæ triremibus imposuit, Comite Carolo Scotto, ac Petro Francisco Nicello regendos: ipse cum Vitellio legato, & parte suæ nobilitatis ac militum, eiusdem Reipublicæ Prætoriam insedit. Quamquam in itinere totoque ante pugnam tempore, ab Austriaci latere in Imperatoria triremi numquam abscessit: idque bono vertit vniuersæ classis. Exortâ enim inter Austriacum, & Venerium Venetæ classis Præfectum, discordiâ perquàm atroci, Christianæque Reipublicæ vires haud dubiè, ciuili prælio, commissurâ; primos Austriaci furentis impetus, quibus imminutam supremæ Præfecturæ maiestatem vltum ibat, vnus Alexander, (quum tamen non deessent, qui ardenti satis iuueni faces aggererent) qua erat apud auunculum gratia, tamdiu sustinuit, donec Marcus Antonius Columna Pontificiæ classis Imperator, ac Venetorum legatus, Augustinus Barbaricus, sapientiâ suâ adhibitâque opportunè Farnesij operâ, imminentem classi tempestatem, opinione celerius, discussere. Quo nomine, quum Romam dein venit Alexander, laudauit illum coram Purpuratis aliquot Pius Pontifex, seque & Christianam Rempublicam eâ gratiâ debere illi plurimum testatus est. At verò vbi ventum est ad pugnæ locum Actiacâ olim victoriâ ab Cæsare Octauiano relatâ percelebrem: instructa vtrinque acie, ipse apud Marci Antonij Columnæ triremem in media classe, suam conscendit, ponè adstantibus duabus reliquis Genuensibus. Ac post effusam eminus sagittarum pilarumque procellam, concurrentibus iam nauigijs, Alexander in Mustapham exercitus Quæstorem intentus, eius triremem quanta vi potest inuadit, consertisque manibus eam longè validiorem, quàm putauerat, expertus est. Ærarium illa vehebat, eòque prætorianis militibus supra trecentos, plerisque veteranis ac pugnacissimis firmata erat. Quumque diutiùs ancipiti marte pugnaretur, signis modò illatis, modò repulsis; pudore simul iráque succensus Alexander, arrepto (cui vibrando assueuerat) prægrandi gladio, in hostilem triremem saltu se proijcit: ac furenti similis, circumducto vtraque manu ferro, latam per hostium stragem aperuit militibus suis viam, exemplo ac pericu-

cum delectis Nobilium et militū comitatu.

triremibus Genuensibus imposito.

Plurimum confert ad Ducum discordiam sedandam.

Laudatus propterea à Pontifice.

Pugnatur.

Ipse Mustapham inuadit.

ancipiti marte.

Tt

periculo Ducis vſque adeo incitatis, vt iam promptiſſimis quibuſque 1571
Turcarum cæſis, reliqui deditionem facilè pararent, niſi aduecto illuc valida cum triremi Scanderiæ Præfecto, auctis hoſtium copijs viribuſque, redintegrata paululum fuiſſet pugna. Sed recentes à tergo milites vna ex Alexandri triremibus ſubmittente, quum Victorum impetum non vltrà ſuſtinerent hoſtes, confoſſo multis vulneribus Muſtapha, ſaucioque Scanderiæ Præfecto, mox etiam capto; non modò Quæſtoria illius triremi, ſed huius etiam auxiliari nauigio Alexander potitus eſt; tantâ militum ſuorum prædâ, vt complures fuerint, qui ſultaninorum (monetæ genus eſt haud minoris aureo Venetorum nummo) duo millia, aliqui etiam tria, ex naui ſanè Quæſtoria ſecum abſtulerint. præter ea, quæ reliquæ duæ per ſe triremes, ex triremibus hoſtium duabus, totidemque biremibus expugnatis captiſque, ſpolia & manubrias reportarunt. Ferunt Ioannem Auſtriacum, cui poſt finem pugnæ multa de Farneſio Principe narrauerant, inter gratulantium officia, ſuſcepiſſe quidem illum ſingulari beneuolentia atque præconio, cum ea tamen exceptione laudaſſe, Quòd euentu meliore, quàm conſilio ſeſe in hoſtes confertos, & adhuc validos, dubio regreſſu, conieciſſet. Quam ille culpam ſibi quidem laudi ducens, collatâ confidentiæ causâ in Mariæ Luſitanæ coniugis ſanctimoniam, cuius ad Deum precibus tectum ac tutum ſe crederet, auunculi admonitionem feſtiuè tranſmiſit. Nec minorem animi impetum, ſecuto poſt hæc An. 1572.
anno, (quamquam minori ſeu fortunâ, ſeu veriùs concordia nationum) Alexander oſtendit. Redintegrato enim fœdere, ad victoriam apud Echinadas partam in Peloponneſo perſequendam, ſeriùs aliquanto rediere Chriſtiani Duces. Reparauerat iam vtcumque claſſem nouus maris Præfectus Vlucialis, eamque vt occurſui Fœderatorum ſubtraheret, huc illucque deportatam, prope Methonis denique portum propugnaculo firmatum continebat. Inde dum extrahere hoſtem Auſtriacus, oblato ſæpius certamine, conatur; expugnando terreſtri aggreſſione Nauarino haud procul ſito præficit Alexandrum. Ille acceptis ſecum bellatorum millibus omnino ſex, bipartito exercitu, arcem maioribus tormentis oppugnare cœpit, conatu ſanè maiori quàm ſucceſſu. Quippe ſaxeo ſcopuloſoque in loco moliri humum ad aggeres ægrè poterat miles: nec dolia, corbeſque terrâ & ſaxis oppleta, oppoſitaque aggerum loco, ſatis firma erant munimenta aduerſus hoſtilium tormentorum ictus. Continuabatur nihilominus oppugnatio: egreſſique interdum Nauarinenſes, nec ſine cæde repulſi, haud procul eſſe à deditione credebantur; quum noctu introducto in arcem, Farneſianorum ſiue indiligentia, ſiue ignoratione viarum, Turcico præſidio: ſimul vndique

Illum demum et Scanderianum vincit, capitque.

Præda ex victoria.

Io. Auſtriaci de Alexãdro dictũ.

& Alexandri reſponſum.

Renouato ſacro fœdere.

Mittitur ab Auſtriaco ad expugnandum Nauarinum.

Vrbẽ aggreditur.

Sed irrito conatu.

1578 dique ad opem confluentibus Barbarorum equitum peditumque copijs, veritus Alexander, ne intercluso reditu obsideretur, desperata expugnatione satis habuit, si incolumem cum tormentis exercitum in hostium conspectu reportaret ad naues. Et Austriacus, quando classis Othomanica vniuersi certaminis vitabunda, elici è portu nullo iniuriarum irritamento poterat, contentus incusso hostibus metu, expressaque veluti confessione concessi vbique maris: diuisa fœderatorum classe, animisque, ipse in Siciliam, alij aliò discessere. Atque hoc fuit Alexandro militiæ tyrocinium, quod ei & in illo martialium virorum flore, & absentes apud Principes, Pium præcipuè, successoremque Gregorium, ac Philippum Hispaniæ Regem, sicut opinionem conciliauit futuri aliquando summi Ducis; ita Regem postea mouit, vt in Belgium, quò tunc belli moles incumbebat, eum vltro destinauerit.

recedit.

& fœdus dissoluitur.

Pius V. Greg. xiij.

ETENIM Belgarum querimonijs aduersùs Ioannem Austriacum oneratus quotidie Rex, pacandique Belgij absque armis ne Victori quidem innoxijs perquàm cupidus, prouinciarum votis annuere, eòque sororem Margaritam Austriacam cum Alexandro filio submittere decreuit: sperans aut illius prudentiâ, gratiâque apud Belgas, rationem concordiæ aliquam ineundam: aut huius virtute, si armis opus esset, bellum strenuè administrandum. Igitur Granuellano Cardinali Romæ agenti mandat, vt Margaritæ ad Belgas reditum persuadeat. Is Aquilam in Samnitibus ad Margaritam profectus, opportunè cum ea nactus Alexandrum, recitat vtrique litteras, & consilium Regis. Quamquam vt cum Alexandro seorsim ageret, imperatum ab Rege fuerat Præfecto Insubriæ Marchioni Ayamontio. Et Margarita quidem, quasi amplius deliberatura, ambiguè respondit: seu verita, vti præseferebat, Ioannis Austriaci offensionem; seu per eam moram speciemque recusantis, profectioni suæ pretium additura. At Princeps Alexander nihil cunctatus, obsecuturum se Regi perlibenter affirmauit, modò non dissentiente matre. Certiùs aliquanto respondit binis in eandem sententiam litteris ab Ayamontio, qui lecto æger attinebatur, per Raphaëlem Manriquium missis, vnà cum Regis epistola: qua, pòst doloris officia, ob Mariæ Alexandri coniugis mortem; exponit illi suum de Belgica expeditione consilium: *Certus*, inquit, *eo audito, te prompto magnoque animo satisfacturum spei de te meæ, amorique quo te vnicè complector, æstimoque virtutem tuam, illustrissime Princeps.* Verùm quum de Margarita Ioanni Austriaco subroganda Rex statim mutasset, ob Archiducis Matthiæ in eas prouincias aduentum; addubitatum est Parmæ, an deceret in Belgium ire Principem Alexandrum, militaturum semper alieno ductu. Quæ quidem ille præ-

ALEXANDER cum matre destinatur in Belgium à Rege.

Marg. Alex.

Agit cũ vtroque Card. Granuellanus Regis nomine.

Dubitat Margarita.

Non Alexander.

9. & 11. Nou 1577. 21. Sept. 1577.

Regis ad hunc epistola.

Tt 2 Re-

Regis obsequio, bellicæque amore gloriæ, facilè contemnebat: præsertim confirmatus arcanis Granuellani verbis grandia pollicentis. 1578

& Gregorij Pontif. adhortatio. Accessit Gregorij Tertijdecimi authoritas atque adhortatio; qui re accepta ex Cardinali Farnesio, consilium impensè laudauit, addiditque, suo nomine Parmensi Principi scriberet, *Expeditionem Deo cordi futuram; eam proinde tanto auspice, seque hortatore volens libensque capesseret*. Quod à Pontifice tantopere commendatum reor, non solùm Hispani Regis, ac publicâ Religionis causâ, sed peculiari etiam Pontificij Imperij commodo. Quum enim esset in fide & clientela Sedis Apostolicæ Princeps Parmensis; è re Pontificis videbatur, beneficiarium suum erudiri alieno in campo, ex quo ad Ecclesiæ Romanæ subsidium referre Imperatorias artes aliquando posset.

Et plurimis Austriaci inuitantis eum litteris. Ergo tribus intra paucos dies epistolis ab Ioanne Austriaco acceptis, quibus ad belli, gloriæque (vt ipse loquitur) societatem, magnis æquè precibus ac promissis euocabatur; rebus quanta licuit celeritate compositis, duodecimo postquàm Parmâ discesserat die, Lucemburgum venit, ad Ioannem Austriacum. A quo incredibili exceptus lætitia, miratus contrà dicitur Alexander, viso Auunculo, attenuata non magis valetudine, quàm specie illa maiestateque fortunatissimi Imperatoris. Vsque adeo verum est, RERVM aduersarum sensum felicissimo cuique acerrimum esse. Vt hinc profectò credibile sit, Austriacum non inuitum, aut tantummodo iussum à Rege, Parmensem Principem euocasse: neque in speciem illo præsente gestijsse, cuius videlicet in fide atque virtute iampridem nota plurimum sibi polliceri poterat ad rerum quidem publicarum statum, sed præcipuè ad vitæ suæ tot hostium insidijs expetitæ securitatem. Inter primos congressus mandata Regis illi aperuit Austriacus; vt belli pacisque negotia ei communicaret: vt mille nummos aureos in singulos menses eidem seponeret. Lætus vtroque Farnesius, præsertim quòd hoc posterius nonnisi Proregibus, Præfectisque Prouinciarum, aut exercituum Imperatoribus persolui ab Rege consuesset; admissum per aliquot dies stipendium, (quamdiu videlicet in vulgus emanaret honorificum Regis iudicium) actis dein Regi per litteras gratijs, gloriæ nimirum quàm pecuniæ auidior, recusauit: addens, sibi quidem mercedis loco illud non deberi nondum quidquam emerito, & inuitamento opus non esse.

14. & 15. Octob. & 25. Nou. 1577.

Abit Alex. in Belgium.

Qualem reperit Austriacum:

& quàm verò cupidum aduentus eius.

Stipendium Alexandro ab Rege attributum.

ab illo recusatum. 24. Dec. 1577.

STATVS prouinciarum qualis. AT VERO ad res belli domique noscendas, cuncta ex imperio Austriaci moderaturus Alexander, animum operamque impigrè aduertit; reperitque rerum statum sanè quàm arctissimum, quippe ad duas pro Rege Prouincias redactum: in reliquis paucas, quæ superfuerant, arces ad Ordines quotidie deficientes. Quin & in Hollandia ipsum iam nutabat Amstelodamum: & in Brabantia Bergæ ad

So-

1578 Somam, militibus Tribunum suum Carolum Fuggerum conscelerate prodentibus, venerant in Ordinum potestatem. sed adhuc sceleratiùs Bredæ præsidium hostili deceptum fraude non multo ante suo cum Tribuno se gesserat. Etenim Bredam obsidentibus Ordinum Ducibus Philippo Comiti Holachio, ac Federico Perenotto Campinij Domino, restiterat haud instrenuè, qui pro Austriaco vrbem intrauerat, Georgius Fronsbergius Germanicæ legionis Tribunus: sed gliscente in dies, quòd æra non procederent, militum in vrbe dissidio, Fronsbergius per hominem compertæ audaciæ fideique ad Austriacum litteras mittit; *Festinaret opem: suos implacabili seditione discordes obsidionem non vltrà laturos.* Sed nuncius ab Holachio detectus, an ipse exuta fide se prodidit? compertis litteris, attinetur in castris: expectatoque donec ad Austriacum isse redijsseque, fidem faceret probabilis mora; eum eius loco submittitur alius in vrbem, qui excusato prioris nuncij morbo, responsum attulit quasi Austriaci manu compositum; *Ne dubitarent, honestis modò conditionibus, vrbem dedere: breuì superuenientibus copijs, quas in præsentia expedire promptum non erat, certò recuperandam.* Habetur litteris ac nuncio fides, vrbsque deditur, addito ad Tribuni errorem militum flagitio; hi enim, dum super conditionibus agitatur, siue corrupti, siue infensi, Fronsbergium furiosè constringunt, vinctumque in manus Holachij, Campinijque, hanc conditionem præ ceteris exposcentium, perfidè tradunt; interim ipsi & ab hoste, dum vrbe egrederentur, illusi: & conspecto non procul inde, quod ab Austriaco mittebatur, auxilio, festinationem perfidiamque pertæsi. Non ita feliciter Holachio cecidit alea ad Ruremundam. ad quam inuadendam profectus ipse ingenti spe, submissum illuc reperit ab Austriaco cum quatuor peditum millibus Ægidium Barlamontium Hiergij Dominum: simulque egresso ex vrbe Poluillerio præsidiariæ Germanorum Legionis Tribuno, ab obsidione statim pulsus, amissaque munitione, nec sine cæde, fugatus est. Et tamen interea pacis negotium, commeantibus hinc atque inde nuncijs, operosè agitabatur: quasi spe aut cupiditate successus, & non potiùs vt VERBA verbis redderentur, alterique iustiùs alteris arma induisse videri possent. Nec aliò spectabat Angliæ Regina, per eos dies cessatione armorum ab Austriaco postulata; nisi, vt, ea legatione facilè neglecta, ad opem Ordinibus ferendam, coactam se videlicet ostentaret: ausa ob id Austriaco Regique, ad quem nuncium miserat de pacis consilio, contestari, Si conditiones abnuerent, se quidem in posterum nullo cuiusquam respectu, quod in rem expediret, executuram. Sed intellectis, quò tenderent, minis, remissa est ab Rege pariter, atque ab Austriaco ad alteram partem, cui depositis armis

Car. Grauseliam fraus.

Breda obsidetur à Fœderatorum ducibus.

Nuncius cū litteris ad Austriacum.

detegitur.

Aliæ litteræ supponuntur.

Vrbs deditur.

Militū perfidia.

Ruremunda defenditur contra Fœderatos.

De pace agitur.

Anglia regina cessationē armorum postulat ab Austriaco,

non sine minis.

Non auditur.

armis obedientiam suum erga Principem opportuniùs suaderet: 1578

Concordia spes euanescit.

Quamobrem reiectis vtrinque, vnà cum conditionibus, etiam conditionum internuncijs, sublato omni commercio ineundæ concordiæ, spes vna pacandi Belgij in armis reliqua erat. Et cometes quidem, qui per eos dies adeo ferali effulsit aspectu, vt nullum eo minaciorem ad illud vsque tempus illuxisse dissererent Mathematici; belli signum in cælo elatum, pronis iam ad bellum animis creditus est.

Cometes. — *Nouēbri & Decembri. An. 1577. & Ian. 1578.*

DE PVGNA Gemblacensi.

Lustratur vtrinsque partis exercitus. — *Gemblà.* — *20. Ian.*

PRIMA memorabilisque pugna apud Gemblacum fuit, nono à Namurco milliari, in ingressu Brabantiæ: vtrinque lustratis antea exercitibus, Catholico apud Marcham Lucemburgensis prouinciæ oppidum, hostili ad Templæum pagum à Namurco haud longè situm. Atque ille quidem opinione minor, hic autem maior compertus est. Namque viginti duo millia peditum adesse Austriaco fama percrebuerat: quum tamen ne octodecim quidem recensita notauerit, qui cum Austriaco præfuit, Princeps Alexander. Contrà, Ordinum copiæ viginti circiter millia numeratæ sunt, quum paulo antè non nisi septemdecim haberentur. Nempe horum numerum augebant subitarij quotidie milites prædandi licentiâ: ab Austriaco spes angustior erat, eòque nonnisi stipendio legebantur. Et tamen hi, licet pauciores (nam equitatu quoque, qui duobus constabat millibus, aliquanto inferiores erant) quia virtute longoque bellandi vsu anteibant; multo acriùs conueniendi hostis, pugnæque conserendæ copiam flagitabant. Auxere militi animum redditæ ijs ferme diebus litteræ Gregorij Tertij decimi exercitui benè precantis, noxarumque veniam Christiano ritu amplissimè largientis. Qua vsi opportunitate Duces, omnium animis à culpa expiatis, multò alacriùs in hostem ferebantur. Accedebat & illud, ex quo non vltrà cunctandum existimauit Austriacus, certior videlicet factus ab exploratoribus, Philippum Comitem Lalinium, Robertum Melodunum Vicecomitem Gandauensem, hunc equitum, illum peditum Ductorem, & Valentinum Pardeum rei tormentariæ Præfectum à castris abesse, specie nuptiarum, quæ magno Bruxellis apparatu celebrabantur, re vera (vti aiebant) alienato non parum animo ab Orangij consilijs: præter alios nonnullos, quos hiemis inclementia, æstiuos nempe Duces, à campo in vrbem auocauerat. Moderabatur Ordinum copijs Antonius Goignius, Vendegiæ in silua Dominus: vetus sanè Dux, militiam sub Carolo Quinto adolescens auspicatus, inde hastatorum equitum ductor ad Sanctum Quintinum, postea legatus auxiliarium copiarum, quas Philippus Rex in Galliam miserat Arembergio duce ad Carolum Nonum. donec duos ante annos, ciuiles illæ Hispanorum Belgarumque

Exercitus Austriaci minor. — *Hostium maior,* — *sed ille melior* — *& audacior,* — *ob hanc,* — *6. Ian.* — *et hanc causam,* — *Pardeb Mons de la Motte.* — *Goignius Fœderatorum copiarum legatus.* — *ab anno 18.* — *1567.* — *1576.*

1578 que discordiæ, à Regis militia magis operam eius, quàm animum abstraxere. Consilium Ducibus Ordinum fuerat, Austriacum Namurci agentem aggredi, in eumque iam mouerant: quum audito, longè validiore illum exercitu quàm ipsi putarant, Namurco egredi pugnam oblaturum, mutatâ sententiâ Gemblacum repetere statuunt, consilium, exploratis inde hostium viribus, sedatè capturi. *Exercitus eorũ in hunc modum instructus.* Substiterat ea nocte Ordinum exercitus ad Diui Martini pagum, quinque ferè milliaribus procul ab Austriaci copijs ad Namurcum considentibus. Inde dubia adhuc luce, succensis castris, Gemblacum versus instructo in hunc modum agmine incessit. Anteibant Emmanuel Montinius, & Guilelmus Hesius cum suis legionibus, quarum latera Villersius & Presnoijus sclopetarijs equitibus præfecti tegebant. Mediam aciem Germanicâ Vuallonicâque legionibus, tribus Gallorum, tredecim Scotorum Anglorumque cohortibus constantem Maximilianus Henninius Bossuuij Comes, relictis haud multo antè Regis partibus, & Federicus Perenottus Campinij Dominus ducabant. Postremam, in qua equitum robur, Comites Philippus Egmontius Lamoralij filius, & Lumæius à Marcha moderabantur: adæquitantibus hinc atque inde cum selectis equitum alis, Marchione Hauræo Areschoti Ducis Fratre, & Goignio castrorum Præfecto, vniuersi exercitus Legato. *Goignius Locũtenens Archiducis in hac expeditione.* Ante principia fossores operasque locauerant, globo militum adsociatos. In medium acceperant impedimenta exercitus, ac tormenta aliquot campestria. Terga, quibus insecuturo ab hoste plus timoris, densatis ferreolorum turmis, ac bellatorum fortissimis communierant. Nec segniùs, cœptoque nondum die, mouit Austriacus à Namurco; præmissis Ant. Oliuera, & Fernando à Costa, cum aliquot equitum ac peditum cohortibus, qui itinera, siluasque itineribus vicinas explorarent, insederentque. *Exploratores & insidiæ ab Austriaco dispositæ.* Partem exercitus post se reliquit ad Molæ ripas, Carolo Mansfeldio parere iussam: maiorem validioremque ducebat ipse in hunc fermè modum. In fronte exercitus equitatu firma, præcedebant sclopetarij leuiter armati: hos certo interuallo lancearij: in vtrorumque subsidium loricati plenioribus ordinibus sequebantur. *Catholicus exercitus instructus in hunc modum.* Ductores iuxta suam quisque turmam: aliqui ante signa paulum ab acie separati cum paruis expeditorum equitum globis præcurrebant. Medium occupabant gemina peditum sclopetariorum atque hastatorum directa in quadrum agmina, ex Hispanis potissimum Germanisque, Tribunis ante agmina pariter incedentibus. Claudebat aciem quadrata ex Vuallonibus legio: cui currus atque impedimenta, sclopetarijs Burgundis interequitantibus, pro munimento erant. Frontem Octauius Gonzaga, terga Ernestus Mansfeldius, castrorum hic, ille equitum Magister moderabantur.


in

in medio curabat Austriacus cum Parmensi Principe, prætoria cohorte comitante: vnde Regium vexillum eminebat, in quo Austriacus, vt animo hauserat insolitam opis diuinæ fiduciam, iusserat ad triumphalem Domini Crucem subijci hæc verba; *In hoc Signo vici Turcas, in hoc Hæreticos vincam.* Iamque aliquantum processerat, quum in hostium haud longè præeuntium conspectum venit: cognitisque Fœderatorum consilijs ex captiuorum pari, quos leuibus aliquot prælijs cum hoste commissis adduxerat Oliuera; statim lancearios sclopetariosque selegit ex equitatu ferme sexcentos, permistosque peditibus mille hastâ aut grandiore sclopo armatis, ac bipartitò diuisos, Octauio Gonzagæ, & Christophoro Mondragonio attribuit: imperauitque Gonzagæ, hostium tergo infestus insisteret, modò non temerè vniuersam aciem prouocaret, dum ipse cum Parmensi Principe, ac reliquo exercitu non adesset. Et ille quidem initio parebat, leuibusque carptim prælijs fatigabat extremum agmen. Donec Perottum Sentinatem, qui primam ductabat eo die Camilli Montij turmam, ardore pugnæ eò iam progressum Gonzaga conspicatur, vt veritus, ne totam hostium vim, non expectato Austriaci subsidio, in se importunè lacesseret; festinatò illuc miserit, qui Perotto imperaret, vt pedem illico retraheret, neue se equitatumque in discrimen adduceret. Is verò (nam mandata superbè nunciabantur) indignatus, perinde quasi timoris argueretur; facessere ab se hominem iubet cum importuno imperio, & Gonzagæ referre. Numquam se in acie terga vertisse, nec tunc posse, etiam si velit. Erat in latere velitantium copiarum decliuis semita, cæno & aquis inaccessa, fossæque quàm viæ similior: eam hostes in recessu declinantes, itinere paulò angustiore procedebant. Accurrerat illuc Princeps Alexander, quo res loco esset, propiùs inspecturus (attinebatur enim ab Austriaco, ne pugnam capesseret, quasi opus illo haberet ad instruendas copias, ac pugnantibus opportunè submittendas) atque animaduertens, hostilem equitatum siue iniquitate loci, siue festinatione Gemblacum accedendi, turbato non parum agmine incedere: id, quod ex fluctuantibus illorum hastis implicitisque inter sese atque transuersis conijciebat; non vltrà moratus, arrepta protinus ab armigero lancea, conscensoque, quem Camillus Montius alterum habebat, expeditiori ad pugnam equo, oculis atque ore bellum spirans, armigerum intuitus, *Abi*, inquit, *ad Austriacum Ducem: refer Alexandrum veteris Romani memorem se in fossam immittere, relaturum inde, Dei ope, Austriacaque Domus auspicijs, certam hodie magnamque victoriam.* simul ostendens ijs, qui circumaderant, quanti referret, si paulum progressi transmissâ celeriter fossâ, in latus turbati hostis incurrerent; eodem impetu exem-

Vexillum regiũ. — *Austriaci iussa.* — *Leuia primum prælia inter vtramque aciem.* — *Perottus Saxoferratensis.* — *Locus pugnæ.* — *Alex. Farnesij de bello consilium.* — *Eius verba ad armigerum.* — *Curtius.* — *Consilium suum cum circumstantibus ducibus communicatum.*

1578


Pugna Gemblacensis seu Bou
A. Namurcum urbs. B. Bouees pagus
C. Gemblacum urbs.
D. Leue prælium inter aliquot centurias Austriaci, et Foederatorum.
E. Al Farnesius accingens se ad transeun dam fossam quam socijs ostenderat.
F. Fossa coeno et aquis plena, quam ægre transmittunt equites.
G. Lanceariј Duce Alex. à latere inuadunt hostem


Io. Austriaco Gubernatore. 1578.
H. Pugna inter Austriacos et Foederatos.
I. Gonzaga Eq. Mag. turmas in pugnam mouens.
K. Io. Austriacus copias instruens.
L. Cohortes submissæ ab Austriaco in prœlium.
M. Cohortes ab eodem retentæ.
N. Equites Foederatorum terga uertentes et suo: rum peditum ordinem confundentes.
O. Pedites à suis equitibus proculcati.
P. Equites fugientes.
H
P
O
N
G
F

1578. exemploque secum traxit fortissimos quosque equitum ductores

Herer Vien-nius Cen-cauij Do-minus.

Bernardinum Mendozam, Ioannem Baptistam Montium, Ferdinandum Toletanum, Martinengum, Ceurauium, Mondragonium, aliosque: tum ipse immistus equitibus Mutij Pagani, qui primam in Mondragonij agmine turmam ducebat, hiatum subit, insequente fortium manipulo: paucisque eorum tardiùs eluctatis, quum plerique locum feliciter superassent, campumque laxandis equis nacti essent; mutua adhortatione firmati paulum consistunt, dum conserti cohærentesque vna veluti fronte pariter æquarentur.

& cũ ijs fossam primus traijcit.

Hostilem equitatum simul omnes inuadunt;

Inde sumpto impetu, Alexandro præeunte, tanta vi lanceas impulere in aduersum agmen, incumbente dein cum altera equitatus parte Gonzaga, recentesque, quos apud se habebat, Austriaco submittente; vt hostilis equitatus, perculsis qui in eo latere erant, non expectata impressione, equos circumagere illico pararent: nisi Ducum adhortationibus, minisque, ac meliorum exemplo aliquantulum restitissent. Sed pauore semel offusi, animisque iam victi, vertêre demum terga: inque pedites suos, qui ponè adstabant, præcipiti fuga incurrentes, turbatis ordinibus, obtritis eorum non paucis, omnes superuenienti hosti trucidandos deseruere. Et verò nudatas equitum præsidio legiones, (præsertim quæ in medio locatæ, suorum fugam & hostium impetum excepère primæ) aggressi à tergo atque à lateribus Regij exercitus equites, inchoatâque iam victoriâ ferociùs incursantes, miserabili strage, nequidquam restituere ordines Goignio sæpe conato, deleuere.

& fundunt.

Strages Fœderatorum exercitus.

Ianuar. 31.

Rarò alias à paucioribus minorique iactura, plus sanguinis fusum, ac celeriùs debellatum. Rarò meliùs compertum, quanta sit in equitatu vis in vtramque partem. siquidem à sexcentis equitibus (tot enim incœpere, aucti dein ad mille ac ducentos confecere pugnam) peditum millia omnino decem partim cæsa, partim capta; ac reliquus exercitus non minor octo bellatorum millibus, sesquihoræ spatio, desideratis ex Regijs tantummodo nouem, profligatus est.

Assonuill. in Relat. Austriacorum singulos denos Fœderatorũ suffecisse.

Victoria ab equitibus parta.

Rudera ea fuerit.

Relata hostium signa quatuor & triginta: captæ campestres machinæ, currus atque impedimenta fere omnia: ipse belli Dux Goignius, ac Nobiles aliquot in potestatem venerunt. ceteri cum omni ferè equitatu initio dilapsi, pars Gemblacum, plerique Bruxellas, fœdâ sanè fugâ contenderunt.

Mer. Delr. l. 5. Turb. Belg. duos casos ait. Mich. Isselt & Lec belg. decem 2 Feb.

Nec Gemblaci, quamuis munito in loco, securi, admoto illuc victore exercitu, multi non expectata aggressione profugerunt in interiorem Brabantiam: reliqui deditionem certis conditionibus pollicebantur. Sed non acceptis, Austriaci clementiæ se oppidumque dedidere. Neque hæc contemnenda victoriæ appendix fuit. Quippe Gemblacum belli sedem statuerant hostes, ac multorum mensium commeatu, armisque ac telis, ac cetero belli instru-

Gemblacum à victoribus obsidetur.

Deditur.

mento communicarant: quæ Victorum in manus deuenere omnia. 1578

Clementer cum oppido actum.

Oppidum, quod prædæ militum quasi pro loci fato destinabatur, (nam plurimis, vsque ab Domini anno nongentesimo, cladibus, incendijs, ac populationibus nobilitatum est) Lamberti Gemblacensis Comitis Abbatisque apud Alexandrum Principem, atque Alexandri apud Austriacum agentis operâ, â direptione iniuriaque liberum stetit. milites armis exuti, iuratique, Belgæ quidem numquam militaturos se aduersùs Hispaniæ Regem, ceteri verò per annum, incolumes dimissi sunt: retentis obsidum loco duodecim ex eorum primarijs, atque ad Namurcensem arcem translatis, vnà cum Goignio Duce. qui ante discessum, ad Austriacum deductus, petijsse fertur victricem illius manum exosculandam, eâque porrectâ Austriacus addidisse, *Sic frangi à Deo illorum contumaciam, qui aduersùs Religionem ac Regem suum impiè rebellant. vno illo prælij successu, profligato à paucissimis tanto exercitu, condoceri eos vtique posse, quantùm sit cordi Deo iusta Regiæ Maiestatis causa.* Nec ille aliud, nisi se quidem numquam arma contra Religionem induisse respondens, cum alijs captiuis amotus est. Inde Austriacus ad suorum præconia conuersus, vnumquemque Ducum ac primariorum militum comiter appellando, suam cuique virtutem, suum facinus grandibus verbis, plenisque gloriarum magnificè repræsentauit. Quos inter Alexandro Farnesio primas deberi non ignorabat; tamen quanto magis intentis in eum oculis, decantari martialem viri vigorem ab exercitu cernebat, tanto impensiùs existimabat, caritatis suæ imperijque partes esse, eius fortitudinem, cui fauebat simul timebatque, non sine cautione & cura commendare. Ideoque reuocato illi in memoriam nauali discrimine, Ducis officij eum admonuit; missum illuc ab auunculo Rege ad rem bellicam non manu & militari gregariorum periculo, sed consilio ductuque administrandam; respondentemque Farnesium, Existimasse profectò se, Ducis munia impleri non posse ab eo, qui prius militem sub tanto præsertim Imperatore fortiter non egisset; militum plausus, & ipsius Austriaci complexus excepit. Sed Alexander in Austriaci laudibus ad Regem sine vlla exceptione scribentis, multo (non tamen vltra merita) liberalior fuit. Cum litteris enim Gemblacensis victoriæ nuncijs, ad Regem ex Argentona missis ab Austriaco, suas coniunxit, Gratulatus eius Maiestati victoriam illi à Deo partam, ac secundùm Deum Ioannis Austriaci prudentiæ virtutique debitam, *quem sicut in certamine fortissimum Imperatorem experti sint hostes, ita positis armis victorem clementissimum, eiusque Maiestatis imitatorem subacti senserint. ideoque sperari, eam victoriam, qua nullam in Belgio maiorem aliquando relatam omnes affirment; expugnationes*

Ad Goignium captiuorum ducem Austriaci verba.

& captiuis.

Victores ab Austriaco laudantur.

Farnesius in primis,

non sine admonitione.

Farnesij responsio.

Eiusdem litteræ ad Regem in Austriaci laudem.

5. Febr.

1578 *nes multarum vrbium secum breuì tracturam*. Eiusdem victoriæ nuntium cum aliquot Hispaniæ Proceribus, quibuscum familiatiter olim egerat, officiosè communicauit: singula verò ad matrem Austriacam fusè composuit: paulo contractiùs ad Octauium patrem, patruumque Alexandrum Cardinalem. in quibus eadem semper de Austriaco: de se nihil vnquam addidit, siue magnitudine animi, quasi maiora promittens, qui hæc vti parua sileret: siue non ignarus ad eosdem cuncta perscribi ab alijs multo sibi gloriosius. At verò Bruxellis, nondum audito suorum infortunio, consultabatur coram Archiduce: inuadendus nè Austriacus, an expectandus? cuncto exercitu, an distributo decernendum? Quum tristis repentè tota vrbe rumor inualescere; Pugnatum infeliciter cum Austriaco: cladem acceptam, quantam Hispanus cruore satiatus voluerit. Id, quum ab alijs atque ab alijs in vrbem sese ex pauore ac fuga per interualla recipientibus confirmaretur; adderetúrque, hostes Gemblaco potitos, captum exercitus Legatum, pedites internecione deletos: nec deessent, qui affirmarent (vt PROPIORA sibi mala fingit timor) Austriacum victore cum exercitu mox ad portas affuturum; adeo Bruxellis trepidatum est, vt postero die, relicta vrbe præsidio vtcumque firmata, Orangius cum Archiduce Antuerpiam, traducta illuc Aula, Senatuque, concesserit. Et alienus vtique non erat Austriacus à Bruxellensi aggressione, deque ea in bellico Senatu verba fecerat. Sed obstante exiguo militum numero, quem augere nisi missâ ab Rege pecuniâ non possent; visum est, antequam se à metu colligerent hostes, huc atque illuc arma & victoriam in celeritate positam circumferre potiùs, quàm militum alacritatem obsidionis morâ consumere. Iubentur itaque Octauius Gonzaga, selectis quingentis equitibus, & aliquot peditum cohortibus, Louanium ac Mechliniam, pronas in Austriacum ciuitates, extemplo aggredi: & Ægidius Barlamontius cum Caroli Mansfeldij Gallica legione, quatuorque Vuallonum signis, Bouiniacum petere. Et Louanium quidem, non expectato qui deditionem imperaret, eiecto Scotorum præsidio, sponte se Gonzagæ tradidit. Idem fecere & Iudoignia, oppidum salubritate cæli, quàm soli munitione nobilius, ideoque alendos illuc mittere liberos suos Brabantiæ Ducibus mos olim fuerat: & Tillemons: & aliquanto post, nec sine vi Areschotum. Mechliniam, atque Viluordiam nouo Ordinum præsidio munitas Gonzaga serò tentauit. At Bouiniacum, vrbs bellicis aggressionibus assueta, hostiumque iniurijs numquam frustra tentata, sæpe etiam diruta, semper tamen popularium constantiâ restituta; non ante, quàm magna murorum parte labefactata, certis conditionibus Hiergium accepit.

Ant. Perez 4. Feb. Mar. Almazan. & Marc. Ayamont. 15. Febr. 13. Febr.

& ad alios de eodem.

De se nihil.

Ordinũ Deputati victoria ignari consultant.

Eorũ trepidatio audita clade.

Archiducis & Orangij fuga.

Deduntse Austriaco Louanũ,

Hiergij Dominus.

5. Febr. *& Iudoignia.*

Tienen 7. Febr. *& Tillemons.* *& Areschotum.*

27. Febr. *& Bouiniacum.*

15. Febr.

Vu 2 AV-

AVSTRIACVS, dum res ex sententia succedunt, in reliquam Brabantiam progressurus, Diestemium Orangij Principis urbem Alexandro inuadendam committit. Ille cum parte copiarum eò profectus, ne à tergo Sichemium relinqueret Diestemio proximum, arce tum quidem, (nam postea diruta est cum magna oppidi parte) ac Demeræ fluuij opportunitate non contemnendum; mittit illuc cum Germanica legione Lancellottum Barlamontium Megæ Comitem. Sed Sichemienses & loco, quem haud inscitè munierant, & numero freti, reiecto de deditione colloquio, defensionem sedulò parabant. Qum Alexander eò accurrens, veneratus antè in vicino colle Dei Matrem è quercu iam tum mira prodentem; Sichemium ipse perlustrat, superque veteri hortorum muro contra Louaniensem oppidi portam, octo semimuralia tormenta disponit, tum cœpta sub primam lucem non acri minus, quàm constanti ad medium vsque diem verberatione, apertaque multis iam locis turri; ad oppugnationem instruit aciem, nationum æmulatione validiorem. Germanos Megani Comitis contra portæ aditum medios locat; ad dexteram Hispanos, ad læuam Lotharingos, sub Tribunis Mondragonio ac Samblemontio distribuit. Præterea manipulos aliquot Vuallonum scalis armatos iubet, vbi signum audierint, ad auertendos hostes, in contrariam murorum partem scalas circumferre. Tum signo dato, animatisque militibus non tàm à gloria prædaue, paruo ex oppido non magna vtique expectanda, quàm ab ira in præposteram confidentiam, atque à dedecore victoris exercitus, si apud Sichemium hæsisse diceretur; summa vtrinque contentione pugnari cœptum. Dumque hi nullo suorum iuxtà cadentium metu in muros emicant: illi ruinis superstantes, obiectu corporum morantur subeuntes, dubio parumper euentu concertatum est. Sed qua parte curabant Hispani, amissis duobus Centurionibus, tanta eos ex dedecore indignatio ac furor incessit, vt acuente vires ira, coniectis in fugam defensoribus, in oppidum penetrauerint primi. Simul alibi non vltra sustinentes inuadentium vim oppidani, exauditoque Vuallonum ex aduerso scandentium muros rumore perculsi, defensionem vnà omnes omisere. Et oppidani quidem milites, positis armis, plerique dedidere se: è præsidiarijs verò, intendente se iam nocte, alij (hi fuere circiter ducenti) recepere se protinus in arcem: alij ferme centum quinquaginta, per eas tenebras ac ruinas elapsi, in equitatum trans fluuium propterea ab Alexandro dispositum incidêre; omnesque ne vno quidem superstite, contrucidati sunt. Oppidum prædæ militum, vti hostibus minatus erat, tradidit Alexander; saluo feminarum pudore, sacrarumque Virginum Gynecæo, præsentiâ suâ custodito. In oppidanos

1578

SICHEMIVM ad deditionem inuitatur. — *Recusat.* — *Virgo Asprecollis.* — *Oppugnationem parat Alexander.* — *21. Febr.* — *dispositis copijs in hunc modum.* — *Pugnatur.* — *Regij.* — *Sichemienses.* — *Petr. Henriquez, & Barajas.* — *Capitur oppidum.* — *Fugientes trucidantur.* — *Diripitur oppidum.*

1578 danos veniam, aut gladium adhiberi voluit, prout ipsi cedendo,
aut repugnando alterutrum eligerent. Restabat arx non alio ma- *Arx se defendit.*
gis secura, quàm peruicaciâ defensorum. peruicaciam spes alebat,
haud posse obturatâ oppidi portâ ab aggeris obiectu, tormenta illi-
co induci, ideoque nec arcem quati, nec se ad deditionem tam
citò cogi, vt non interim subsidium mitteretur ab Diestemio. Et
fauebat obsessis inopia fossorum fabrûmque, quibus aperiendo, aut
exæquando aggeri opus erat. Sed Alexandri celeritas peruicit om- *Sed Alexander munitionem diruit;*
nia. comportatis enim quoquot in exercitu erant huiusmodi fer-
ramentis, arrepto ipse ligone, intuitusque præcipuos, qui aderant,
copiarum Duces, moliri terram primus occœpit. Ac statim faci-
nus æmulatos ingenti alacritate nobilissimos quosque ordinum
Ductores, tum demum Centuriones, ac reliqui milites, qui auer-
sari opus initio videbantur, tanta contentione secuti sunt, vt ea
ipsa nocte, quamuis fatigati diurnâ pugnâ, quatuor horarum spatio
non modò tumulum, portæ obicem, depresserint, sed illa eâdem
aggestâ intra oppidum terrâ, munitionem aduersùs arcem collo- *& nouã erigit*
catis in ea tormentis extruxerint. At defensores manè conspectis
ab arce in noua munitione tormentis, admiratione metuque exa-
nimati, protinus se Principi Alexandro imploratâ victoris cle-
mentiâ, tradidere: sed frustra. Quod enim ij omnium primi con- *& arce potitur.*
tumaciam nonnisi expugnati fractique posuissent: quòdque eorum
plerique, contra fidem in Gemblacensi pugna iureiurando firma-
tam, arma iterum induissent aduersùs Regem; Alexander, omissa *Supplicium ex victis.*
intempestiua benignitate, in perduelles animaduertendum ratus,
arcis quidem Præfectum, & militum primarios incentoresque ex
ipsa arce luce palàm suspendi; reliquos (centum circiter ac septua-
ginta) noctu iugulatos in subiectum amnem proijci iubet. Sic ho-
stilem perfidiam vlciscens Diestemio documentum ex alieno peri-
24. Febr. culo proponebat. Et mouit exemplum Diestemienses. iussi enim *Diestemium terretur.*
deditionem facere, licet initio recusauerint spe auxilij ab Antuerpia,
Demera. Lyraque; vbi tamen sparso trans flumen Regio equitatu, ac muni-
tis aliquot agrestium domibus, vident eam teneri ab hoste partem,
vnde sperabant externam opem: simulque ad alteram partem sum-
ma celeritate cis flumen aggeres attolli, ac tormenta comportari,
vicinorum infortunio admoniti non serò sapere, transactis cum Par- *Deditur.*
mensi Principe conditionibus, Regi se vrbemque restituunt. Et Ale-
xander, vt inter horum obedientiam, aliorumque contumaciam *Clementer accipitur.*
discrimen haberet, Diestemienses quàm humanissimè susceptos in-
columes integrosque esse voluit, ne vna quidem imminuta illorum
domo. Milites verò (trecenti circiter erant, plerique Vuallones) *Loci præsidiarios in Regis militiã trãsfertur Alex.*
cum armis ac supellectili, relictis tamen vexillis, vti conuenerant,
dum

dum dimitteret: æſtimatâ ex apto firmoque corpore militaris ani- 1578
mi notâ, ſignificandum eis curauit, poſſe inter Regios accipi, ſi vel-
lent: aſſentientes, Regi nouo ſacramento obligati, receptis ſignis, le-
Leuiam recipit. gioni Vuallonicæ immiſti ſunt. Nec alius, quàm Dieſtemij exitus Le-
uiæ fuit. Quod oppidum inter Tillemontem ac Dieſtemium ab Au-
ſtriaco iuſſus aggredi Alexander, eo quo aduênit die, ijſdem quoque 27. Febr.
conditionibus recepit: eorumque militum centuriam alteram vexil-
lo adempto dimiſit: alteram in Regis militiam ſacramento tranſcri-
ptam, reddito honoris causâ vexillo, retinuit.

CAPTIS intra ſeptem dies, tribus hiſce oppidis, Alexander redu-
cto victore exercitu ad Ioannem Auſtriacum, cum eo Niuellam
NIVELLAM aggreditur Mãſfeldius. profectus eſt, vrbem in aditu Hannoniæ ſitam ad Brabantiæ fines,
quam Iuſtus Villerſius cum ſex peditum, duobus equitum ſignis,
pro Ordinibus obtinebat. Miſerat illuc Auſtriacus cum Gallica le-
gione Comitem Carolum Mansfeldium: qui & tormentis, & con-
Repellitur. ſertis manibus illam aggreſſus, bis repulſus à mœnibus fuerat, im-
proſperè magis, quàm inſtrenuè. Sed aduenienti Auſtriaco cum
Cum Auſtriaco paciſcuntur Niuellenſes. Alexandro Farneſio reliquoque exercitu, impares tot copijs Niuel-
lenſes, compoſitis ad Auſtriacum litteris, Excuſant deditionis mo-
ram, non contumaciâ in Regem, aut Regis fratrem, ſed odio ad-
uersùm Gallos: quibus ob veteres cum gente contentiones ſuccum-
bere indecorum videretur. Dum ſuper conditionibus diſceptatur,
Seditio in caſtris Catholicis. in Auſtriaci caſtris turbari cœptum, causâ ab Germanis ortâ. In eo-
rum legione, cohortibus aliquot debebatur menſium duorum
triumue ſtipendium: nactus inde occaſionem ferocire miles, miſ-
ſoque ad Auſtriacum nuncio, niſi vrbis prædam pro ſtipendio tra-
dat, ſeditionem ſuperbè minari. Auſtriacus, qui clementer vrbem
accipere decreuerat, diſſimulata indignatione, dimittit non ſine
Auſtriacus ſeparat: ſpe nuncium. cum ſegregaturus à contagione ſeditioſarum cohor-
tium reliquam legionem, iubet Comitem Meganum legionis
Ducem, fidum ſtrenuumque, cum hac parte, quæ culpæ immiſta
non erat, aſſumptis alijs militum manipulis, protinus itinera Bru-
xellas atque Antuerpiam versùs, quaſi hoſtes inde timerentur (inſi-
Authores ſeditionis poſcit. dere. Qua abeuntium ſucceſſione nudatas ſociorum ope cohortes
omnis ſtatim exercitus infeſtis armis circumſiſtit. Ac primùm arma
deponere, dein ſeditionis authores illico tradere iubentur. duode-
cim tradidere. Ex his militari ſortitione ſecernuntur octo: ex quibus
Morti adiudicat ex iis aliquot ſorte arbitra. eodem fortunæ arbitrio, quatuor neci adiudicantur, tot enim plecti
Auſtriacus imperauerat. variarum tamen ambitu nationum pro
ſingulis deprecantium, duobus è mortis confinio liberatis, ad duos
denique ſupplicium ſortitò contractum eſt. Sed horum altero, ve-
teri ſanè milite fidoque ad eum diem, dum ad necem cum ignauiſ-
ſimo

1578 ſimo compoſitus cicatrices oſtendens, ac merita non falſò commemorans raperetur; exorta omnium commiſeratione, nobilibus aliquot Hiſpanis deprecatoribus condonato; vna demum hoſtia ſcelus omnium expiauit, ſeditionemque compreſſit. *Vnus denique plectitur.* Inde ad condi-

11. Mar. tiones cum Niuellenſibus reditum eſt: quæ facilè firmatæ in hunc modum. *Niuellenſes ſe dedunt.* Ciues ſaluis omnibus in gratiam recepti; præſidiarij relictis (præter gladium) armis, teliſque, atque omni impedimento, abire permiſſi. *Armis exuti dimittuntur præſidiarij.* Ea porrò arma, & ſupellectilem dono dedit Auſtriacus Gallorum cohortibus, ſolaturus illorum iacturam in vrbis aggreſſione factam: ſimulque vrbis prædam, ad quam inhiauerant, vtcumque compenſaturus. *Arma donat Gallis militibus Auſtriacus.* Exitio tamen multis hæc fuere dona. Namque Galli certatim in Magiſtratus curiam, vbi illa ſeruabantur, irrumpentes, in iiſque diripiendis, ſpreto Præfectorum imperio digladiantes; non pauci vulnerati ſunt. *Sed ea exitio Gallis fuere.* & decidente fortè ſcintilla è ſclopetarij militis igniario funiculo in vaſculum ſulfurei pulueris, ſubitâque illa flammâ ſuccenſis foculis ſcloporum, quos aceruatim congeſtos, pleroſque inſertis pilis temperatos reliquerant hoſtes; centum ferme ac viginti aut protinus interfecti, aut miſerè debilitati, repentina domum ſtrage funeſtantes temeritatis ac præcipitis auaritiæ pœnas luerunt. *Mar. Delr. l.5 Turb. Belg. ducẽtos mortuos ſcribit.* Renouato planè infortunio, quod in eadem prouincia, Gallis quoque militibus acciderat, *Similitudo infortunij.*

An. 1511. qui, dum eorum Duces de Cimaci deditione cum oppidanis agerent, in mœnia feſtinato ad prædam aggreſſu perrumpentes; in ipſo captam per arcem diſcurſu, tormentario puluere ignem concipiente, propè ducenti ex prædabundis militibus conflagrarunt. *Pont. Heuterus l 13 Thuã. l.10.* At verò ad Niuellam cetera Gallorum legio, incertum qua potiſſimum de cauſa, miſſionem ab Auſtriaco flagitauit; *Galli miſſionem ab Auſtriaco petunt.* ſiue ſibi ipſis infenſi, quòd re infeliciter geſta in vrbis oppugnatione, commilitonum conſpectum ferre non poſſent, quaſi tacitè exprobrantium: ſiue ſpe fruſtrati deprædandæ ciuitatis, cuius causâ aggreſſionem ante aduentum exercitus ſoli feſtinauerant; ideoque Auſtriaco indignati, qui tranſactis properè conditionibus, ad colligendam ſcilicet clementiæ famam, vrbi merito ſuo expugnandæ pepercíſſet: ſiue denique (vti potiùs crediderim) inducti ab Ordinum emiſſarijs, qui venturo in eas prouincias aduersùs Auſtriacum Alenconio Duce Regis Galliarum fratre, facilè Gallis eam militiam perſuaſerint. Certè horum pleroſque, duobus pòſt menſibus, ex Gallia hoſtes rediiſſe Hiſpani experti ſunt. Sed quæ ea cumque fuerit cauſa, libenter abire illos Auſtriacus eſt paſſus: *facilè impetrãt* quibus etſi ſtrenuis militibus, diſciplinæ tamen ſub Hiſpano præſertim Duce intolerantibus, ægrè moderabatur: cupidiſque ac magna poſcentibus, ipſe, vti fit, ad ſuſpiciones auertendas, plus interdum dabat, ne minus dare

vide-

[Redeunt Galli contra Austriacum.] videretur. Sed horum fermè sexcenti, qui non pòst multo hostes è Gallia rediere, non meliore vtique successu, quàm consilio vsi sunt. 1578
Nam pagis aliquot in aditu Hannoniæ occupatis, dum hostium securi epulis indulgent, aggressus inopinatò Camillus à Monte, qui ad celeritatem trecentos equites, singulos post se sclopetarium peditem vehentes adduxerat, illata prius cæde quàm pugna, ex eis *[Pars eorum improuisò trucidatur.]* circiter ducentos interêmit. reliqui vicinam in arcem Auenensem strenuè dimicantes recepere sese, ductore Pandulpho Cenamio Lucensi. Ad quem missus à Camillo Laurentius Tuccius, vt pro veteri amicitia, (contubernales enim in Gallia cum Sarra Martinengo & Sacromoro Birago militauerant) homini suaderet arcis deditionem; *[Pars arce se tenet.]* post breue colloquium non sine iurgijs abruptum, hostilem in modum à Cenamio quamquam saucio ac sanguinem perpluente, *[rosectis conditionibus se se dedidi.]* sed vitam prius dediturum quàm arcem clamitante, reiectus est. Ex quo iratior Camillus iam milites ad oppidi aggressionem educebat, quum arce nouo Gallorum subsidio firmata, non ausus absque muralibus tormentis oppugnationem, copias suas ad exercitum reduxit, eodem tempore per Hannoniam mira celeritate victorem.

[OPPIDA Austriacis dedita: Bincium,] ETENIM post Niuellam captam, dedidere se Regi, intra quindecim dies Arces eiusdem prouinciæ complures: Bincium Mariæ Hungariæ Reginæ olim deliciæ, Henrici Secundi Galliarum Regis *[An. 1554.]* odium expertæ. feruntque repertum inibi saxum, quod Henricus villæ suæ à Maria vastatæ vltor inciderat, in hæc verba; *Insana* *[Folembraum.]* *Regina, Folembræum memoria repete*. Ad hæc Malbodium Sabi impositum: Reuxium, Bellomontium, Soigniacum, Barlamontium, *[Malbodium, Reuxium, Bellomontium, Soigniacum, Barlamontium:]* aliaque oppida modica quidem illa, sed explicandis per Hanno- niam copijs opportuna: Cimacum Areschoti Ducis Principatus, *[Cimacum vi capitur.]* vi captum, arx in hasce conditiones dedita, Vt arcis Præfectus in *[15. April.]* equo cum gladio ac pugione; milites (sexcenti numerabantur) eo- *[Arx deditur.]* dem ornatu, sed pedites, relictis ceteris armis ac supellectili incolumes abirent. At verò ad Philippopolim, nouam quidem Hanno- *[Philippopolis obsidetur.]* *[Philippouilla.]* niorum vrbem, nec nisi tres ac viginti annos natam, sed situ operâque aduersùs Gallorum incursiones apprime validam; multo quàm alibi operosiùs ab vniuerso exercitu laboratum. *[Situs eius.]* Iacet planitie in magna, humo paulum extante, Philippopolis, ambitu perexigua, sed quinis porrecta propugnaculis, incincta mœnibus perquàm altis, terrâque ad eludendas pilarum emissiones latè oppletis; ac prælargâ circum fossâ communitis. Hæc æstimanti Austriaco visum est, omissa oppugnatione, hostem adoriri ligone muris admoto, nempe vetere ac fido expugnandis arcibus tormento: quo nec hodie, postquàm in mutuam perniciem ingeniosi auximus supra omnem antiquitatem instrumenta mortis, certiorem mœnibus ruinam pa-

rare

1578 rare solent bellorum duces, minus plerunque formidandi à fulminantium tonitru machinarum, quàm ab lento hoc surdoque fossoris telo: inualuitque militare prouerbium, LIGONEM palamque esse demum illa, quæ arcem extruant destruantque. Ergo post circum- *Inuaditur:* ducta oppido castra, vallumque non procul à fossa promotum, iubet Austriacus fossores oblongis crassisque sub tabulis in testudinis modum conformatis, crudo corio contra ignes intectis (vineas *Apud Cæs. T. Liu. & alios sæpe.* olim ac porticus appellabant) fossam intrare, ac ligonibus dolabrisque murorum ima subruere. Quod dum illi militibus associati strenuè moliuntur, procurrentibus ex vrbe defensoribus, simul alijs saxa ignesque ex alto spargentibus, crebrò nec sine multo vtrinque sanguine dimicatum est: Austriaco nullam interea partem aut Ducis, *Austriaco duci ac militi agente.* aut militis omittente; adeo, vt in opere faciendo, cum gregarijs quibusque decertaret INSTANS pariter & accinctus. Tandem obsessi nutantibus non minus iam animis, quàm mœnibus; partim intestina dissensione, cuius causâ Florinæum vrbis Præfectum Regi fauentem vinculis adstrinxerant, dein soluerant: partim auditâ eorum fugâ, quos in auxilium è Gallia euocabat Orangius; inito colloquio postularunt, vt vrbe incolumi, transituris in Regis castra militibus stipendium trimestre ab Ordinibus debitum solueretur ab Austriaco: reliquis abire cum armis liceret, ad tympanorum sonitum, sub vexillis, solitaque cum pompa militum, *Deditur, in has conditiones.* defunctas nempe vrbes efferentium. Postulatis *19. Maij.* admissis, præsidiarij ferme quingenti militiam mutauere: abiere, cum vna equitum turma, planè totidem: vrbs, continuatâ Florinæo Præfecturâ, Philippo Regi restituta est.

DE BELLO BELGICO
LIBER DECIMVS

LIMBVRGENSIS expeditio Alexandro committitur ab Austriaco ægrotāte.

Cur eam libẽter suscipit Alex.

INTEREA Ioannes Austriacus, aucto ab hisce diurnis nocturnisque laboribus, stomachi morbo, ac totius corporis languore; Namurcum curationis causâ petiturus Alexandrum Farnesium bello imposuit: habitoque prius militari consilio de Limburgo, vnde Lucemburgensi Prouinciæ timebatur, inuadendo; expeditionem Alexandro commendauit. Suscepit eam ille perlibenter, eo potissimùm nomine, quòd speraret, se cum Ioanne Casimiro Septemuiri Palatini fratre, qui ea parte ingressurus in Belgium cum exercitu ferebatur, acie dimicaturum: ad abolendam (vt ipse cum primarijs belli Ducibus communicauit) euulgatam aliquorum litteris opinionem, Regios milites hostium vitabundos experiri nolle Ordinum vires, sed declinato congressu, huc atque illuc formidanda videlicet oppidulis ac pagis arma circumferre. Ergo Alexander præmisso Gabriele Nignio, strenuo Hispanorum Tribuno, cum septem sclopetariorum signis: iussoque Camillo Montio subsequi cum equitatu, vt Limburgi suburbia inuadenti Nignio adesset à tergo; mouit ipse sub mediam noctem, cum peditibus Hispanis, atque Vuallonibus: relicta Fronsbergij legione, quæ decem murales machinas tardè procedentes comitaretur. Et Nignius in fugam acto, qui primò occurrerat, armatorum manipulo, dein expugnatis non sine aliqua suorum iactura suburbijs, magnâ pecoris & commeatus prædâ potitus est. Sed vrbem vt obsidere tardum, ita oppugnare perquàm difficile videbatur. Quippe in edita rupe Limburgum, prærupta circum valle, eòque ab omni ferè parte, præterquàm assurgente ad meridiem solo, inaccessum erat. Accedebat externæ opis opportunitas ab amne Vesâ vrbem subluente. Nihil tamen in speciem deterritus Alexander, æstimato sæpius loco, disponendis tormentis seligit iugum collis, quem inter & vrbem clementior vallis intererat. A iugo ad vallem iubet fossores viam obliquè aperire, atque à valle perducere ad vrbis aspectum: inde vsque ad propugnaculum præstructum portæ vrbis, obliquato rursùm accessu promouere: fossores item

1578

Pars militum præmittitur.

9. Iun.

Expugnantur suburbia.

Limburgi situs.

Vesa fl.

Opera ad oppugnationem.

Rimellino & proceti.


Limburgi expugnatio
A Limburgum urbs. B. Suburbia Limburgi.
C. Nignius Tribunus præmissus ab Alex.
ad suburbia capiēda cū occurrētib'
D. Limburgenses uicti suburbia repetentes.
E. Hispani cū Limburgēsib' pugnātes, et suburbijs
F. Limburgenses ad urbem fugitantes.
G. Limburgenses ex urbe egredientes ad suos
H. Castra Alex Farnesij in colle contra urbē
I. Tubicen Alexandri ad limburgēses deditionē


Austriaco Gubernatore 1578.
K Tormenta è colle urbem quatientia.
L Vallum obliquè deductum ad urbis moenia.
M Alex Farnesius instans operarijs.
N Limburgenses è moenibus pugnantes.
O Pars moenium à tormentis Hispanorū diruta.
P Milites Hispani urbem aggredi parantes.
Q Tubicen Limburgensis ad Alex præmissus pro legatis admittendis.
R Legati limburgēsiū ad Alex contēdētes urbē dedituri.
H
H
D
B
B
E
E
J. Wilhelmus Baur fec.

1578 item alios alia in parte; procurrentem ex arce turrim cuniculis petere. Plus vtique terroris, quàm discriminis vtroque in opere parabatur. vix enim pedes duos egerebatur humus, quum saxa & cotes festinantibus obstabant: crebris tamen virgultorum ac ramalium fascibus, aggerum modo præmuniebatur via, contra pilarum iactus è mœnibus: instante operi Alexandro, modò fossoribus, modò cunicularijs immisso. His addidit benigna ad deditionem inuitamenta, missis per tubicinem litteris ad Limburgenses, à minis abstinens, ac propior admonenti, quasi victoriæ securus, ac de Regis vrbe, Regique subditis ferro perdendis tantummodo sollicitus. Illi, acceptis ad portam à tubicine litteris, ac palàm recitatis, redire illum iubent eâdem horâ postridie. redeunti respondent, se nihil certi ob ciuium militumque discordias expediuisse: rediret adhuc crastina die, responsum sine vlla cunctatione daturos. Alexander non ignarus, huiusmodi ludificationibus moram trahi ab obsessis, reuerti nuncium vlteriùs vetuit: ratus infra dignitatem Regij exercitus id esse, & imbecillitatis confessionem visum iri. Quin intentiore cura, hinc aggerem, inde cuniculos promoueri ad vrbem instituit; opus nauiter adurgente Comite Cæsio, viro forti industrioque. Ipse munito iugo vallorum ac fascium loricâ, statuendis in eo vimineis corbibus, terrâque ac cæspite, quæ procul egerebantur, opplendis: ac bombardis in hostium conspectu assidue fulminantium comportandis, noctem vnam atque alteram insumpsit, illam effusâ præter modum è cælo pluuiâ, hanc emissâ ex mœnibus pilarum tempestate pariter infestas. At oppugnatione sub primam lucem, nouem prægrandibus tormentis, ab iugo incepta: vbi summa vi quati mœnia, eorumque partem intra quatuor horas procubuisse non minorem triginta cubitis: simulque ducto per montis ascensum vallo (quod nunquam putauerant) tectâ iam meare milites viâ, aggressionemque ad portam adornare conspiciunt Limburgenses; misso properè ad Alexandrum nuncio, enixè precantur, oppugnationem tantisper inhibeat, horæque vnius spacium ab armis quietum extremæ consultationi donet. Alexander, etsi iucundissimus ei nuncius fuit, quòd non ignoraret, vrbem, nisi ipsa se dederet, serò subigendam: ne fortè tamen facilitas annuentis, virium diffidentiam indicaret aliquam, adseuerato ad terrorem vultu, hominem obiurgat, quòd iam satis itum foret reditumque: nec esse militibus suis id emendum ab aliorum deliberatione, quod mox ipsi armis facturi erant iuris sui. tamen vt minis clementiam admisceret, nunciare Limburgensibus iubet, Non negari ab se horariam moram: quam tamen consultando si protraherent, ei se finem, magno consultantium malo, impositurum. Vix à verberatione cessa-

Margin notes: Litteris Alex. ad Limburgenses. — Illi responsum differunt. — indignante Alexandro: — Vrgentur opera. — a Nicolaus Cæsius. — & oppugnationi à colle aggreditur. — cum strage murorum. — Oppugnatores ad portam. — Limburgensium nuncius ad Alex. — Alex. responsio. — Horarium spatiū concedit Limburgensibus ad consultandum.

Earum mulieres in manibus supplices. cessatum, quum super mœnium ruinis mulierum globus apparuit, 1578 paruulos suos gestantium, manusque ad minaces circà milites protendentium, ac de genu veniam pacemque comprecantium. Secuti eâdem horâ Legati Limburgenses, quamuis reclamante arcis Præfecto, saluis ciuium ac militum vita fortunisque, vrbem atque arcem Parmensi Principi tradidere. *Vrbs deditur:* Milites omnes (circiter mille) nouo adacti sacramento transiere ad Regis castra; 16. Iun. solus cum vxore Præfectus suorum ignauiam sine fine detestans Aquisgranum dimissus est, Hispanorum turmâ præsidij causâ comitante. Et verò Alexander ingressus dein vrbem, contemplatusque nouas intus muniones, defensionum receptacula, tumulos, veluti castella, ex herbido cæspite sudibusque firmatos, ac reliqua ab ingenioso loci machinatore fabrefacta: *quamuis munita et per protrahendo obsidioni.* præter æneа tormenta maiora quindecim, minora quamplurima, apparatumque belli atque annonæ haud exiguum; tunc æstimata victoriæ magnitudine, egit ipse, agique ab exercitu solenni pompa voluit Deo Imperatori grates, *Grates à Victoribus Deo redditæ.* cuius nempe beneficio præualida vrbe, quam sine diuturno opere sumptuque, ac multorum meliorumque (vti assolet) iacturâ militum expugnare non potuisset, tam facile incruenterque, ignarâ virium suarum potitus esset.

EODEM die Alexander reliquis prouinciæ oppidis subigendis, Duces alijs alios destinauit. quibus intra paucos dies deditione patuere omnia, præter Dalhemium vim expertum. *DALHEMIUM ad deditionem Alexander inuitat.* Hùc Camillum Montium ab Alexandro missum cum epistola, qua redire Dalhemienses hortabatur ad obsequium Regis; Hollandi Geldrique milites, qui non plures ducentis quinquaginta obtinebant arcem, *Reijcitur.* tormentis arcuerant, nulla ratione passi aut iniri colloquium, aut epistolam oppido inferri. Re cognita Farnesius, miratusque tantum confidentiæ oppidulo esse, aduocato ad se Henrico Viennio Ceurauij Domino, *Abi Dalhemium*, inquit, *litterasque meas in oppidum tormentis immitte*. Ille sex muralibus machinis eò celeriter auectis cum sua Burgundorum legione, additis quatuor Germanorum signis, *Arx oppugnatur,* oppidanos exterruit: obuersisque in arcem tormentis; quò confugerant milites vitam potius deserturi quàm arcem, oppugnationem acrem illam quidem sed irritam cœpit: *Frustra.* murorum quippe non minor quàm hominum contumacia facilè pilas eludebat. Donec Burgundi, recepto in se scandendæ arcis periculo, *Burgundi illam scandunt:* scalis ex duabus partibus admotis, incredibili audacia, confertâ per muros pugnâ, pulsi pellentesque, decem ex suis desideratis, vulneratis permultis, *& capiunt,* arce demum atque oppido potiti sunt: 20. Iun. tanta propugnatorum, ex quibus ne vnus quidem superfuit, atque oppidanorum strage; *magna cũ Dalhemensiũ cæde.* vt nullo discrimine ætatis aut sexus, æquè in omnes iram effuderit

1578 derit, torrentis instar, diu coërcitus submotusque miles. In quo illud accidit sacrilegum æquè ac barbarum. Confugerat in templum, cum cetero imbelli sexu, puella sexdecim circiter annorum, Gubernatoris in pugna interempti filia, inter exempla infelicis formæ futura. In eam pereleganti ore ornatuque conspicuam, militum par, Germanus alter, alter Burgundus, coniectis oculis statim inuolant. exortâque inter eos ob prædam rixâ, distrahebatur infelix, nequidquam loci reuerentiam obijciens, Deique Diuorumque, quod vnum supererat, opem inclamans. Quin, vt erat digladiantibus implicita, siue casu, siue eius, qui cedere validiori cogebatur, inuidiâ, non leuiter collo icta ad terram vbertim cruore conspersa prosternitur. Vltum ibat iniuriam alter: quum accessu plurium illuc irrumpentium, ne fortè ereptâ sibi prædâ quisquam alius potiretur, furore amens, puellæ fugam circumspectanti, manusque ad mitiores, vt videbantur, homines protendenti graue secundùm aures vulnus infligit; ictumque repetiturus erat, ni ex eis, qui accurrerant, vnus, (is fuit eques Paulus Rinaldius ex Alexandri Principis contubernio) sublata cum ferro voce, barbarum in tempore absterruisset, vtque Alexandro intimus habebatur, vtrumque authoritate ac metu fugasset. Relatam inde puellam in paternas ædes curare quidem perquàm humaniter Rinaldius, accito properè chirurgo, cæpit: sed illa curationi iam impar, lecto vix imposita expirauit. relictâ sanè perquàm fædâ catholico exercitui maculâ, nefariorum sanguine vtcumque delendâ, nisi illi execratione omnium damnati, quæsitique ad necem, subitâ è castris fugâ supplicium præuertissent. At Alexander viginti dierum spatio, totidem ferme suorum amissis, tantula iactura, totam Limburgensem prouinciam Regi restituit. Grande vtique Regijs tunc partibus additamentum, non prouinciæ quidem magnitudine, quæ modica inter reliquas habetur, sed opportunitate aditus intercludendi hostibus è Germania illac faciliùs ingressuris, præter priuatum quoque commodum finitimis Dynastis, præsertim Episcopo Leodiensi, ac Iuliacensi Duci procuratum. cuius causâ, vterque Princeps decreta seorsim legatione gratulatus Alexandro felicem victoriarum cursum, egit pro se quisque gratias, ob deletos, aut remotos ex Limburgo præsertim ac Diestemio eos præsidiarios, quorum assiduis latrocinijs vrbes agrosque suos infestos habere cogebantur. At verò Antuerpiæ apud Ordines varij super ea victoria motus extitere. mœror initio, audita Limburgensi expugnatione: ingens dein lætitia, sparso per vrbem rumore, euulgato etiam libello, Limburgensem arcem, succenso nitrati pulueris receptaculo, funditus excisam ac sublimè excussam: stragem Hispanorum Ducum editam sanè miseram meritamque: Parmensem

Infelix puellæ casus.

quam prædã par militũ inuadit:

et præ riualitate barbarè accipit.

Saucia ac semimortua eripitur exterũ manibus.

sed mox emoritur.

Ex Limburgensis prouinciæ recuperata fructus.

et gratiæ Alexãdro redditæ à vicinis Dynastis.

& mœror fœderatorum ob eãdem causam.

mox & lætitia ob rumorem de Alex. mortuo, aliisque.

Prin-

1578

Principem, Mondragonium, Hiergium, reliquos tribunos, militiæque primarios incendio pariter haustos, ac ruinâ consepultos: Ioannem Austriacum iacturæ impatientiâ furere, ac receptui à Belgio canere decreuisse. Hæc in Orangij scilicet officina cudebantur: quò ille facilius animos multitudinis ex Austriaci victorijs abiectos, ficta hostium clade (quamdiu vera non poterat) sustentaret: simulque reliquum pecuniæ, quam ab Archiduce dudum imperari curauerat; nunc per occasionem festinandi exercitus in Austriacum, ab Ducibus destitutum, expediret. Vsitato nimirum hodieque nonnullorum artificio, qui contraria ijs, quæ euenere, componunt: partim vt primo illo lætitiæ impetu, & quasi flore defraudent aduersam factionem, cui languidius dein gaudium futurum sit, forsitan & improspero aliquo successu (vt sunt humana) miscendum: partim vt breuem illam temporis vsuram, qua superiores se credi satis habent, rebus suis quæstuosa ancipitatione ordinandis accomodent; FVTVRVM ex mendacio dedecus præsenti vtilitati posthabentes. Verùm illud Orangij aliorumue commentum non planè haustum ex vano fuit. Nempe vt adulterina insinceraque moneta semper aliquid auri argentiue admistum habet; ita PLERVNQVE mendacium aliqua portione veri aspersum est. Etenim secuta diem nocte, quo die capta est Limburgi arx, tormentario puluere, qui vno ex propugnaculis asseruabatur, incenso; (fortè an dolo incompertum) disiectis propugnaculi lateribus, superiorique parte in altum expulsa, magnam sanè partem ædium arcis, relabentia deinde saxa prostrauere: quatuor ijsque gregarijs militibus ruina incidente subito elisis, sex septemue sauciatis. Inter hæc aliquid obuênit, quod miraculi habitum loco scribit Alexander Farnesius ad Austriacam parentem. Reliquerat Alexander arcis vrbisque præsidio Christophorum Mondragonium cum Hispanorum centuria: ipse iniecta diuinitus mente, ea nocte ad castra redierat. Inflammatur interea puluis, pars arcis euibratur, ædes oppressæ corruunt, cubiculum Mondragonij, superiorum strage tectorum incidente, succumbit. Accurrunt manè, vbi se à metu collegere, milites, fata suorum inspecturi, sortemque Mondragonij Ducis fortissimi optimique, cuius conclaue propugnaculo proximum nouerant, lamentantes. Mirum dictu aspectuque: vident, aperto ab ruina laqueari, atque in diuersa collapso, excussis circà lateribus, quin pauimento ipso ac solo deiecto; tantum pauimenti substitisse, quantum Mondragonij lectus, ac prope lectum arca tegebat. læti, sollicitique vacuo quasi pendentem aëre Ducem, incolumem illæsumque deponunt: arcam (hæc populationum atque incendiorum iniurijs subtracta fuerat in eum locum ab ipso, crediderim, Mondra-

Vidua ab Orangio.

Cur hæc sæpe fingantur.

Quid veri habuit ille rumor:

Mira res.

10. Iun.

1578 dragonio) multis Diuûm reliquijs, sacroque templi argento plenam conspiciunt, intelliguntque, inde videlicet innocentis extitisse ruinæ reuerentiam: ac SACRA piè seruata cultores suos opportunè seruasse. At verò Namurci vitâ functis per eos dies Comiti Carolo Barlamontio, ac Lancellotto filio Comiti Megano (contraxerat hic in Philippopolis obsidione morbum, illi senectus imposuerat supremam manum) Austriacus ingenti bonorum luctu iusta persoluit. Et sanè Carolus, si quis in Belgio, Religionis ac Regis partes domi æquè ac belli strenuè constanterque defendit ipse, docuitque easdem artes liberos suos. Ex quibus Hiergium, militarium tormentorum Magistrum, Vuallonumque Tribunum; Meganum, Tribunum Germanicæ Legionis; Floionem, Hiergianæ legionis Vicarium; Altapennium, equitum centuriæ Ductorem vidit: primumque ex his in Namurcensis prouinciæ, & in Regij ærarij præfecturis successorem habuit.

Mors C. Barlamontij, & C. Megani. *Philippopolila.* *Barlamontij encomium.* *Aegidius.* *Lancellottus.* *Floren.* *Carolus.*

HACTENVS Austriaco feliciter euenere propemodum omnia; perculso inde non parum Archiduce, Ordinibusque iam palàm incusantibus Orangium quasi aliò intentum. Sed ille suum fundabat imperium ad Batauicum mare, vnde in Brabantiam explicaret. Cuius consilij moram cum videret Amstelodamum esse, vrbem Hollandiæ opulentissimam, Religioni ac Regi pariter addictam; totus in eo erat, vt illam seu vi, seu dolo in potestatem aliquando redigeret. Et vis quidem frustra fuerat. Nam & exeunte anno, vrbe ad forum vsque ab Orangianis capta, ciues armati Gheusios victores expulerant, magna hostium strage, nec sine illustri feminarum aliquot facinore, quæ priuato consilio prægrandem colubrinam editum in locum comportantes, explodentesque, Gheusiorum multos discerpserant: & nouis dein copijs terra marique circumuenti obsidionem diu ac strenuè tolerauerant. Donec Orangio, quæ ad catholicam Religionem spectant, omnia pollicenti, dedidere postremò se se. Ille tamen vrbem cautione securam validis præsidijs atque hæresum administris (contra quàm pacti erant) inductis: eorumque operâ euersis sacris, eiectis sacerdotibus, atque adeo hæresi procurata (id quod Orangio ad continendas contra Hispanum ciuitates, omni præsidiario milite certius instrumentum erat) abunde firmauit: clademque apud Gemblacum superiori mense acceptam, Amstelodamo potitus, diuturniori profectò clade compensauit. Inde accersendis è Germania militibus intentus, Archiduci Ordinibusque suaserat, vt aliquot interea mensium inducias cum Ioanne Austriaco pangerent. Redierat enim ab Hispania Ioannes Sellius, Regis nomine curaturus omni ope concordiam. traditisque ea super re Austriaco litteris, Antuerpiam contulerat se, atque Ordinum

Prospera Austriaci aduersarios turbant. *AMSTELODAMVM tentatur ab Orangio.* *resistit;* *1577. Nouembri mense.* *cum peculiari mulierũ laude.* *Mart. Delr. l. 4. Turb. belg.* *Februario mense.* *Deditur.* *ac decipitur.* *Inducias suadet Orangius.* *20. Martij.* *Sellius Regis nomine cum Deputatis agit de concordia.*

dinum Procuratoribus aperuerat arcana quædam mandata Regis amplissimè pollicentis, satisfacturum se illorum votis: ac, modò veterem Religionem debitamque Principi obedientiam resumerent, euocaturum se ex Belgio Ioannem Austriacum, eiusque loco impositurum aut Alexandrum Farnesium Parmæ Principem, aut Archiducem Ferdinandum Cæsaris patruum, aut etiam Matthiam ipsum confirmaturum, alijs tamen ab se latis, vti à Principe, conditionibus. Sed occluserat iam Procerum aures ad concordiæ voces tùm gustata semel imperandi potestas, tùm persuasio multorum, nihil pacati sperandum esse ab offenso Hispano. Instabatque rerum arbiter Orangius, Regis promissa cauillando, Hispanorum tyrannidem, Belgarum patientiam, exorientem libertatem extollendo: conficiebatque, Sellio respondendum, Vsuros se liberalitate Principis, petere proinde, ad consulendas ea super electione prouincias, armorum interea cessationem. Procuratorum responsum antequàm cum Austriaco Sellius communicaret, detexit Alexandro Regis animum ad Belgij Præfecturam illum designantis: acturusque cum Austriaco de requiete ab armis aliqua, impensè rogauit, vt ipse pro sua apud Auunculum gratiâ, consilium Regis concordiam peroptantis adiuuaret. Sed Alexander negauit in eo operam suam, testatus huiusmodi inducias è re aut Religionis, aut Regis, eo tempore nequaquam esse. Quin etiam ad Octauium parentem scribens, ostendit, neque Præfecturam Belgij gratam sibi futuram, si eiusmodi concordiæ ratio, qualis cum Austriaco instituta fuerat, iniretur: causamque subijciens, *Id enim (inquit) esset, in horum hominum manus tamquam in vincula conijci me, vitamque mihi præscribi obnoxiam, desidem, ingloriam, genio certè meo infelicissimam: quippe qui ad immortalitatem nominis, armorum gloria comparandam me trahi natura vi sentiam, in eorumque tractatione perficiendum me supra communem modum, diuina ope confidam. Id autem libenter præfero. quod Regis interesse credam, quas ille partes cuique suorum attemperatè committat.* Neque alia fuit Ioannis Austriaci sententia de inducijs: quas quum postea Cæsaris quoque, aliorumque Principum Legati postularent, Ordinum nomine; tanto impensius negauit Austriacus, coniecta ex insolito conatu necessitate postulantium.

ET AVXIT spem opportunus in castra complurium accessus. Eodem enim tempore, præter omnium opinionem, conuenere ab Hispania Petrus Toletanus Garsiæ Proregis Siciliæ filius: & Lopius Figueroa Hispanicæ legionis tribunus, quam ipse legionem ex veteranis Italiæ præsidiarijs secum trahebat: & Alphonsus Leua Sanctij filius Nauarræi Proregis, selecta cum centuria nobilium Hispanorum, in qua frater ipse Alphonsi Sanctius Leua Subcenturionem,

Margin notes: 1578 — *frustra.* — *Orangio tantum inducias admittente.* — *Non probat illas Alexander.* — 25. Mart. (beside "Quin etiam ad Octauium parentem scribens") — *Eius epistola ad Octauium Parmæ Ducem.* — *Neque Austriacus illas probat.* — *NOVI ab Hisp. Proceres;* — *Petr. Toletanus.* — *Lopius Figueroa. Alph. Leua.*

1578 nem, Didacus Hurtadus Mendozius, eiusdem Alphonsi auunculus
Signiferum agebant. Nec multo antè redierat Gabriel Serbello- *Gab. Serbellonius.*
nius, ex Tunetana captiuitate in libertatem assertus à Gregorio Ter-
tiodecimo, commutatione captiuorum, qui naualis victoriæ reli-
qui Adriana mole attinebantur: charum in primis Austriaco ac
partibus caput, exactæque non magis ætatis, quàm disciplinæ mili-
taris exemplum; præsertim quòd legionem ducebat duorum mil-
lium Italorum, in Mediolanensi præfectura, Austriaci iussu, con-
tractam. Sed nihil æquè confirmauit exercitum, ac Billij reditus *Noua ab Rege pecunia subsidia missa.*
30. Iun. ab Hispania, quò illum per occasionem Gemblacensis victoriæ
Austriacus allegauerat, noua ab Rege subsidia petiturus. Et retulit
ille quidem: nam Ioanni Austriaco trecenta nummûm aureorum *ad Io. Austriacũ.*
millia in singulos menses Rex attribuit, quibus triginta millia pe-
ditum, sex equitum alerentur; testatus hanc esse summam, quam
in Belgicæ militiæ vsus conferre posset ac vellet, præcisa omni spe
maioris auxilij. Parmensi Principi obtulit iterum, iussitque accipe- *ad Al. Farnesiũ.*
re annuum censum duodecim millium aureorum, ac pro eius con-
tubernalibus, stipatoribusque militibus, duorum millium: pecuniâ
ab eo die, quo Belgium Alexander attigerat, numerandâ. Octauium *ad Oct. Gonzagã.*
Gonzagam Magistrum Equitum confirmauit, stipendio singulo-
rum mensium, quingentis aureis donatum. Christophoro Mon- *ad Mondragoniũ. & Verdugum.*
dragonio, & Francisco Verdugo, Hispanis Tribunis, illi aureos
octingentos, huic quingentos: & Antonio Oliueræ supremo equi- *ad Ant. Oliuerã.*
tum Commissario trecentos constituit in annos singulos. præterea
Comiti Carolo Mansfeldio sexdecim aureorum millia largitus est, *& ad Car. Mansfeldium.*
aliaque in alios donatiua distribuit. Quin eisdem diebus ad Au- *Alius delectus in*
striacum perfertur, in Italia, iussu Regis, nouum pro Belgio mili- *Italia.*
tem conscribi, nominatis ab Insubriæ Præfecto Tribunis Alphonso *sub hisce Tribunis.*
Comite Sommaiæ Mediolanensi, Vincentio Carafa Hungariæ
Priore Neapolitano, Pyrrho Maluetio Bononiensi, ac Stephano
Mutino Romano, nobilibus iuxtà militaribusque viris. Id tamen
pupugit Austriaci animum, indignè ferentis, exercitus sui duces *Aegrè illum fert Austriacus:*
arbitrio Regiorum Ministrorum legi. Itaque properatis litteris, post
actas Regi gratias ob pecuniam militesque in Belgium missos, do-
cet haud opus sibi alijs ab Italia copijs; quippe tradito antè negotio
Comitibus Altempsio ac Poluillerio, veteranis fidisque Tribunis,
cohortes aliquot è proxima Germania deportandi, partemque ea-
rum aduenisse: stipendium autem sibi definitum ægrè copijs iam
conscriptis, ne dum conscribendis suffecturum. Sic ille Italici auxilij
delectum interturbauit: famam tamen nouarum ab Italia legio- *& interturbat.*
num, in Belgico exercitu iam præceptam abunde aluit, quò me-
tum hostibus, animum suis adijceret. Et sanè Regijs haud minori

Yy opus

Hostis tres exercitus: Fœderatorum, Aléconij Ducis, & Casimiri Bauari.

opus erat alacritate ad ea quæ parabantur. Nam ex Germania collectum iam exercitum, Ordinum nomine, transijsse Mosam, atque apud Nouiomagum consedisse: & Galli Regis fratrem Alenconium Ducem (de quo multa in loco memorabimus) cum Gallico exercitu Montes, præcipuam Hannoniæ vrbem, aduentare: & Ioannem Casimirum magnas trahentem copias Nouiomagum versùs, per Geldriam iter instituisse, certi vndique nuncij detulerant ad Austriacum: qui rogatis Ducum sententijs, partem hostium inuadere, atque ad pugnam elicere quamprimùm statuit. Sed aut huius cunctatione, aut hostium celeritate factum, vt prius fœderatorum copiæ cum auxiliaribus Germanis prope Lyram Mechliniamque conuenerint, quam Austriacus reuocatos è præsidijs milites ad signa cogeret, lustraretque. Tamen congrediendi cum hoste opportunitas, non voluntas Austriacum deseruit. præsertim quum, habito rursum belli senatu, pronos videret in eandem pugnam reliquos Duces, præter Alexandrum Principem non sine omnium admiratione dissentientem. Quod Alexander animaduertens, sententiæ suæ rationem attulit in hunc modum, vti ipse ijsdem planè perscriptam verbis ad Samaniegum misit in Hispaniam. *Video, belli Proceres, admiratione fuisse vobis dissensionem meam, quippe hominis, quem confidentiæ interdum multi, timoris quidem certè nemo adhuc arguerit. Quo æquiùs est æstimare vos, magnis vtique me causis adductum, ab hoc prælio præter solitum abhorrere. Eas ego causas, quamuis agendo quàm disceptando promptior, in præsentia paucis expediam. Hostem inuadimus numero validum, situ ac subsidiorum opportunitate tutum, munitione vallatum, siluis adiacentibus interseptum. Si, vbi in conspectum venerimus, ille nostri securus, atque adeo contemptor, aggeribus sese castrisque contineat, qua eum vi ad pugnam, qua extrahemus arte? Quod si ostentato tantùm exercitu, atque ante hostis oculos transducto recedemus; quid profuerit, illuc tanto incommodo contendisse, atque vrbes præsidijs nudatas, eòque inualidas Gallorum aggressionibus obiectasse? At illos pugnæ detrectatio minores ostendet. Et cur non potius irritus nostrorum conatus discessusque, inexpugnabiles prædicabit? Addo, NVNQVAM sine aliquo discrimine reuocari exercitum, ac receptui signum dari, quamuis id scitè & militariter peragatur. Sed descendat hostis, vti optamus, vltro ad pugnam: aut à nostrorum virtute in castris ipsis inuadatur. Nunquid illico nobis victoriam pollicebimur? Profectò sapientis est Ducis non sua tantùm vota viresque, sed & hostis expendere: secumque sedulo, & quasi subductis rationibus reputare, quem sibi, quem hosti fructum afferre possit secunda aut improspera belli sors. Equidem sic arbitror, non eandem hoc tempore nostram & illorum esse conditionem. In Regio exercitu, quem hîc sub signis habemus, vis nostra sita est omnis: eo pro-*

Bellicum consiliũ de inuadendo hoste.

Dissuadet Alexander.

1578 — *10. Iul. Nimega. 19. Iul. 17. Iul. Oct. Gõzag. Mansfeld. Hiergins, Oliuera, Montinius, ac Mõdrag. 18. Aug.*

1578 *profligato, quod Deus omen in hostes vertat, quonam milite contra Victorum arma defensabimus hoc reliquum Belgij? Illis verò non tantundem iactura timendum est ab aduersa pugnæ fortuna: quum exuti illo, in quem nunc vadimus, exercitu, redintegrare continuò bellum queant, hinc Alenconij copijs, inde Casimiri legionibus, & Germanicis, quæ in dies accrescunt, auxilijs. Sed fac (quod à Dei bonitate, nostrorumque fortitudine sperandum est) Catholicum exercitum, vt causa, ita certamine superaturum. quanto nostrorum sanguine, quanta meliorum iactura necesse est constare nobis victoriam pugnaturis ante ipsorum castra cum recentibus inde copijs integrisque. Quod si nos debilitatis in hunc modum viribus victores, Gallus in occasionem intentus aggrediatur; quàm vereor, ne victoriam hanc nostram longè maius excipiat infortunium: ac prælij fama penes quidem nos, fructus autem penes alios mansurus sit: atque, vt verbo complectar vno, ne pugna victores, bello vincamur. Quamobrem quum in hac, quam sponte suscipimus, expeditione, par propè discrimen nobis seu victis, seu victoribus timeri meritò possit; censeo ab huiusmodi aggressione temperandum, atque hosce spiritus, magnos potiùs quàm viles, in præsentia contrahendos.*

Hæc Alexandri oratio vera magis, quàm magnifica Ioanni Austriaco visa: ideoque illam, præter Gabrielem Serbellonium, quem tamen & parentis appellatione colere, & consilium eius præ alijs habere consuerat Austriacus, ex omni illo Procerum cœtu secutus est nemo, præpotuitque Ducis propositum inuadendi Ordinum castra, antequam nouis copijs augerentur. Quippe ad Regij exercitus pertinere famam Mansfeldius castrorum Præfectus existimabat, si intra ipsa lanibula seruarentur hostem, loco magis atque armis, quàm animis communitum. Addebat equitum Magister Octauius, obsequendum alacritati militum, priusquàm morâ langueresceret: sequendum victoriæ omen, illo pugnandi ardore, consensuque monstratum. Et erat, cur eo potissimùm tempore prospera omnia sperarent ab hostium discordia. Nam Federicus Perenottus Campinij Dominus, Orangij iussu, Gandaui in carcerem tractus erat, eiusque domus Bruxellis direpta: quòd rediturus in Regis gratiam diceretur, quasi à Granuellano Cardinali fratre sollicitatus: ac simul offensus Orangio, à quo contemni se præ Aldegundio querebatur. Idem in Gulielmum Hesium, idem in Glimæum ab Orangio, sed frustra tentatum. Dicebanturque hi audita Orangij cæde (cuius rumorem spargi ipse per satellites suos, malo scilicet omine, curauerat, exploraturus aliquorum fidem) non dubia lætitiæ signa prætulisse. Itaque exemplo Gemblacensis pugnæ in consimili partium discordia susceptæ, aggrediendum esse quamprimùm destitutum hisce Ducibus, scissumque exercitum; expectandumque à Dei clemen-

Serbellonius sententiam Alex. sequitur.

Reliqui omnes cum Austriaco sentiunt inuadendum hostem.

Fr. Bra. C. Mansf.

Oct. Gonzaga.

præsertim audita immissione Campinij cu Orangio.

& Hesij & Glimæi cum eodem.

Mart. Del. l. 4. Turb. belg.

Pugnā decernit Austriacus.

mentia parem exitum, conficiebat Austriacus. Ergo decretâ iam pugnâ, Mutius Paganus, & Amator Abadiensis equitum ductores, exploratum missi hostium castra, locumque certamini opportunum, referunt, Ordinum copias haud procul Mechliniâ castra posuisse: eorum terga, Rimenantâ pago: latera sinistrum dextrumque, siluâ & saltibus: frontem, præstructo inter vtrumque latus aggere defendi: ante aggerem patêre amplissimè campum, eliciendo ad pugnam hosti accommodatum. ceterùm aggrediendo pago aditum apparere nullum, nisi viam prope sinistrum nemus, sex septemue hominum capacem. Rebus ita exploratis, Austriacus remissis aliquot militum manipulis ad præsidia in limite aduersùm Gallos, Tillemonte signa conuellit: ac traducto per Areschoti pontem exercitu, secundis castris in hostium conspectum venit: agnitaque planitie, quam retulerant exploratores, aciem illico instruit, duodecim millibus peditum, quinque equitum constantem. Tunc Alexander ordinarii exercitum Austriaco enixè institit, poposcitque locum in acie, si collatis eo die signis decerneretur, ante militum Tribunos, in fronte agminis Hispanorum peditum, à quibus prælium incœptandum erat. ostensurus, opinor, sibi tantundem animi esse ad eam expeditionem promouendam, quantum consilij antea fuerat ad improbandam. Miratusque Austriacus pugnacem vsque adeo virum, suique semper impauidum, tergiuersatus initio, ad extremum annuit: quòd plurimum referre intelligeret, cuius ductu pugnam auspicaretur illud agmen, ex quo victoriæ omen capiendum esset. Dum tamen prælium ab acie non committeretur, equitare apud se, sibique adesse voluit. Ipse interea paratas certamini copias in campi aditu explicat, ac solito tympanorum tubarumque cantu hosti bellum indicit. Expectatoque trium horarum spatio, quum ille se castris, nullo inuitamento lacessitus, contineret; aduocato ad se Alphonso Leua, qui pedites sclopetarios expediti extra ordinem agminis ducebat: *Age*, inquit, *Alphonse*, *in angustum illum, quem vides, tramitem, inter siluam & aggerem, cohortes tuas dirige, quasi per hostis contemptum intraturus pagum. Occurret haud dubiè hostis: tu occurrentem, sensim recedendo, in campum extrahe*. Simul Marchioni à Monte imperat, cum tribus equitum loricatorum, ac lanceariorum signis, eòdem incumbat, ac Leuæ cohortes à tergo fulciat. Moderabatur, Archiducis Ordinumque nomine, vniuerso exercitui Maximilianus Henninius Bossuuij Comes, vetus cautusque miles. Hic, quoniam decreuerat, Austriaci conatus aut spectando eludere, aut astu intercipere; iubet Ioannem Noricium Anglorum Tribunum, qui aditum illum tuebatur, obuiàm hosti procedere: ita tamen, vt non inde longiùs abripi se pugnando


[Margin notes, in order: 1578 — *Situs hostilium castrorum à Regijs exploratus.* — *Monet illinc Austriacus.* — Tilemon. — *Aciem instituit.* — *Quanta ea.* — *Frontem sibi deposcit Alexander.* — *Ad pugnam prouocat Austriacus hostem,* — *non respondenti.* — *Mittit qui lacessat, & extrahat.* — *Squadron volante.* — I. Bapt. à Monte. — *Dux Fœderatorum* — *simili arte Regios eludere conatur.*]

1578 do pateretur. Ergo inter Hispanos Anglosque prælium initur, perleue quidem initio; nam neque Leuæ, neque accurrenti Noricio vltrà progredi consilium erat, donec ad Anglorum auxilium, quoniam hi plures cadebant, inferenti se Egmontio Comiti cum delectis equitum turmis; illico suum Montius equitatum opposuit. Quin & aduersùs Robertum Stuartum cum aliquot Scotorum peditum manipulis accedentem, Austriacus Ferdinandum Toletanum cum reliquo expedito agmine, cuius ductor erat, immittit: additque, qui ponè sequeretur, Camillum à Monte cum duobus equitum signis. ipse aciem, vti erat instructa, propiùs admouet, spe conferendi signa cum lacessito iam hoste. Simul Alexander Farnesius equo desiliens, quem depoposcerat inter Hispanos pedites locum adiuit, atque antesignanis immistus, primo in ordine, miles hastatus apparuit. Iamque à præmissis vtrinque copijs non velitantium more, sed quasi de summa rei, summis pariter animis agebatur. Quum Leua, sclopetarijs suis inter arbusta feliciter collineantibus, sinistro nemore potitur, aditumque raro iam defensore ingressus Toletanus, vterque magno impetu, equitatu adnitente, aggerem irrumpunt: hostemque modò recedentem, modò relato pede pugnam instaurantem, ad extremum quanta vi possunt, in pagum vsque compellunt. Neque ibi constiturus videbatur à fuga, sed, quòd casas, vnde abibat, incenderet; haud dubiè relicturus castra pagumque credebatur. Tum verò Toletanus ac Montius, misso Comite Cæsio, Austriacum admonent, festinaret cohortes immittere, victoriam in manu esse. Sed Alexander, quoniam obseruauerat, hostem nimis quàm facilè castra deseruisse, fugamque compositè & quasi ex meditato captasse; suspicari cœpit, non necessitatem illam, sed dolum esse. Itaque properè Austriacum conuenit: vtque dubitantem reperit de submittendo milite, suspicionem auget: exponit, Sibi certum videri, ea castra, quæ tam expeditè hostis reliquisset, nec vllis, vti fit, tormentis campestribus ante firmasset; callidè ab eo in speciem delecta, ad Regium exercitum inani spe victoriæ captandum, atque in insidias, fugæ simulatione, deducendum. quare optimum factu, si anteaquam exploratè locus æstimetur, milites ab hoste insequendo sistantur. Et ibat Cæsius, ab Austriaco, qui suspicionem hauserat, imperaturus militibus moram. Sed iam illi pagum prætervecti, hostemque effusè fugientem insectantes, campum Mechliniam versùs intrauerant, hinc Demera fluuio, densâ inde siluâ circumseptum. tantoque pugnandi ardore ferebantur, vt aspectum præripiente pulueris nube, ante intellectam fraudem, procurrisse se ad vera hostium castra conspexerint. Erant illa in tumulo sita inter amnem & siluam, vallo circumducto, tormen-

Prælium initio leue; *crescit magis,* *ac magis.* *Alexander locū inter primos adit.* *Regij propellunt hostem.* *Irrumpunt in aggerem;* *& in pagum.* *Subsidia petunt ab Austriaco ad insequendum hostem.* *C. Nicol. Oes.* *Dubitat Alex. de fugientium dolo.* *Et author est Austriaco, vt sistat suos.* *Sed illi ante vera hostiū castra peruenerant.* *Castrorum situs.*

& numerus hostium. mentisque in fronte dispositis validè munita. Ibi suam armorum sedem hostes fixerant, non pauciores duodecim peditum millibus, septem equitum, in agmina Mechliniam vsque distributi. Nec ideo cessere animis Regij: sed cursum inhibentes, (namque Noricius milite auctus è vicinis castris prouolante, suos à fuga reuocauerat,) agmen vtcumque componunt, raptim instruunt aciem, *Pugna redintegratur.* pugnam nouo ardore capessunt. *Quanta vtraq; pugnantiũ acies.* Erant hi pedites quinquies mille, sclopetarij omnes, ac ferè Hispani: equites ex Italis Hispanisque ac Belgis circiter sexcenti, lanceis aut sclopis armati. hostes peditatu pares videbantur, equitatu superabant. Sed vtraque acies maioribus, quàm pro numero viribus dimicabat: & animi supra vires erant. Illos *Fœderati.* fraudis successus, & castrorum vicinitas: hos ex ludificatione dedecus, *Regij.* & quædam quasi desperatio proiectiores ad pugnam animosioresque committebat. Spectaculo fuere manipuli Scotorum, qui *Nudi pugnant Scotorum multi.* siue ostentatione audaciæ, siue potiùs æstus intolerantiâ, quem & cursus, & dies cælo ardente flagrantissimus intendebat; reiectis vestibus, solo indusio contenti, aliqui hoc etiam exuto, atque ad *1. Aug.* femora contorto, nudi inter armatos volitabant. nec erant inde plerique eorum minus tuti, quàm ceteri armis tecti, atque ideo graues: quos & declinandis telis impromptos, & à casu tardiores, & in receptu postremos, sæpe hostis aut ictu cæderet, aut equo proculcaret, aut manu caperet. Sed malè Regios habebant hostium *Regij laborant tormẽtis expositi.* tormenta è stationibus crebrò tutòque fulminantia: à quorum pernicie quum tueri se nusquam possent, quòd nulla ferè pars campi extra ictum foret, vna salus videbatur, si in castra extremo conatu contenderent. Sed & illa contra vim munita, & ipsi vix sustinendo, ne dum aggrediendo pares erant. *Mittunt ad Austriacum pro auxilio.* Retulerat Cæsius ad Austriacum suorum statum: atque orauerat, vt, quando illi nec retrahere pedem sine certa ab insecuturis clade, nec sustinere campestrium machinarum impetum diu possent; festinaret ipse auxilia, cum ijs haud dubia spe stationes hostium inuasuros. *Qui primùm iratus negat;* Austriacus dolore atque ira correptus, quamquam abruptè negauit, vel vnum militem se missurum ad illos, qui longiùs, quàm imperatum fuerat, prouecti, in eas se se plagas & nexus induerant; cursim tamen audire sententias libuit Alexandri Principis, Octauij Gonzagæ & Comitis *Mox deliberat.* Mansfeldij. Qui quum vna sentirent omnes, tutum quidem non esse alios submittere, socios periculi magis quàm auxilij futuros: haud tamen deserendos videri tales viros, tanta cum militum existimationisque iactura: sed inspecto propiùs loco, consilium in re *& inspiciendum locum decernit.* præsenti capiendum. Id curæ Alexandro datum: qui eò celeriter *Inspicit Alexander: & modũ reuocandi suos excogitat:* inuectus, pugnantium discrimen campique recessus omnes oculis contemplatus, animaduertit, in planitiei flexu, inter sepimenta hor-


Reuocatio exercitus catholici ad Ri
A. Rimenanta pagus à Foederatis recedentibus incensus. B Mechlinia urbs.
C. Castra Foederatorꝫ inter siluam et fluuium.
D. Demera fluuius
E. Pugna inter Foederatos et Austriacos.
F. Com. Bossuuius Foederatorꝫ dux suos animans
G. Noricius Angl. tribunus duobus suffossis equis tertium scandens. H. Scoti nudi pugnante
I. Al Farnesius reuocationem suorꝫ ordinans.
K. Alph. Leua partem peditatus reuocans.


antam Io·Austriaco Gubernatore · 1578 ·
L. Pars peditatus orbem conficiens et in siluam deflectens.
M· Hispani in silua suos expectantes.
N . Oct·Gonzaga equitatum reuocans·
O. Equites in siluam recedentes.
P. Turmæ hostilem impetum sustinentes, dum sui recedunt.
Q. Auxiliares copiæ subinde è castris missæ.
R· Io·Austriacus exercitum ostentans·

1578 hortoſque arboribus conſitos, patêre aditum, quà poſſe pedites extrahi non deſperaret. Conſilium cum Auſtriaco, & Gonzaga communicat, anceps quidem illud, &, vti non negauit, propè temerarium: addidit tamen; IN præcipiti malo temeraria interdum remedia non imperitè à medicis adhiberi. Laudato conſilio, ipſe reuocandi milites negotium, alijs facilè concedentibus, in ſe recepit, confecitque in hunc modum. Capita ſepium ſclopetarijs attribuit, *& exequitur.* iuſſis inſequentem hoſtem ſubitâ glandium procellâ inde remorari: ſimul Gonzagam admonuit, collectis equitibus animatiſque, terga recedentium tegeret, atque acriori pugna, dum ſe pedites reciperent, diſtineret hoſtem. tum recepto inter ſepes peditatu, ipſe cum equitibus, viâ quà intrauerant inter pagum & ſiluam, anguſtâ quidem illâ, ſed expeditâ, & equitibus aptâ, rediret ad ſuos. Nec minore interim cura exercitum circumuectus Ioannes Auſtriacus, Tribunos ac Centuriones hortabatur, continerent loco militem, redeunteſque à certamine ſocios ſeruatis ordinibus reciperent: ne, quod hoſtibus exitio fuit in Gemblacenſi pugna, dum illorum equitatus actus in fugam peditatum omnem interturbauit, afflixitque; idem Regio exercitui fortè contigeret, ſi ex acceſſu commilitonum, diſtractis agminibus perculſum, ſuperueniens hoſtis ex aliena trepidatione ferox inuaderet. *Auſtriacus acie ad ſeruandũ ordinem hortatur.* Rebus ita diſpoſitis, Alexander antequam pugnantes reuocaret, iuſſit pedites partim veluti cedentes, partim euoluendo militariter orbem quaſi redituros in prælium, ad partem campi Alphonſo Leuæ commonſtratam paulatim flectere: tum receptui clàm ſignum dedit: *ex Alex. conſilio pedites pugnando recedunt.* Gonzaga equites aduersùs hoſtem inſtauratâ pugnâ continuit, quibus Auſtriacus recentes alios in loco ſubiecit: *& equites perſtant in pugna.* Toletanus in ſepimenta ſclopetarios immiſit: Leuæ milites retulere pedem, eo ſucceſſu, vt initio quidem hoſtium oculos celeritate præuerterint. At detecto peditum receſſu, tum verò atrox, ſi vnquam aliàs, prælium fuit: & quid virtus, quidue neceſſitas poſſet, apparuit. *qua acerrima. peditibus iam degreſſis.* Regij & pauci admodum erant, (pleriſque peditum in tuto collocatis) & conuerſis in eos ex aggere tormentis, eminus ſimul & cominus petebantur. Tamen fortitudine æquiore quàm loco, ſeptingenti dumtaxat equites, ductoribus Io. Baptiſta, & Camillo, Montijs fratribus, non ſuſtinuere modò multorum millium in eos incumbentium vires, ſed repulere interdum, ſtabilique *Mira virtus Regij equitatus.* vſque adeo gradu contulere manus, vt Noricium Tribunum, eo die omnium pugnaciſſimum, tribus ſuffoſſis equis, certare peditem coëgerint, & ceteras cohortes ſui ſollicitas ancipiti tamdiu marte fatigauerint, quoad pedites omnes, poſtremò ſe reliquos, ante hoſtium munitiones, periculo ſubduxere. *I. Noricius Anglorum Trib.* Quos inter equites, haud dubiè primam illa meruit laudem, quo campo extrema perſtitit *Et in primis turma Camilli à Monte.*

Ca-

Camilli turma à Perotto Centurione ducta, ex lectissimis viris 1578

Præcipuorum in ea equitum nomina.

Annibale Gonzaga, Flaminio Delphino, Ioanne Manriquio, Lepido de Romanis, Laurentio Tuccio, Nicolao Cæsio, alijsque hîc militibus, alibi ducibus. Quorum profectò omnium memoriam exempli intererat ad posteros nominatim extendi, si mihi æquè promptum fuisset, eorum scire nomina, ac admirari virtutem. Hi,

Summa eorum conspiratio:

ne quà hostis irrumperet, densatis equis, tamquam vallum oppositi, aduersùs ingruentium vim telorum tormentorumque, texere socias turmas, eâ constantiâ contemptuque mortis, vt cadente suorum

& fortitudo par.

aliquo, ceu disiectam valli partem, alio statim, qui ponè adstabat, succedente reficerent. id, quod Lepido contigit pilâ traiecto extinctoque, ac Delphino, dum huic auxilio accurrit, ab hostibus capto: nec tamen Cæsio, ne in Delphini locum succederet, cuiusquam morte aut captiuitate deterrito. donec ipsi, seruato demum equitatu, nouissimi excessere campo: meritòque veluti peractâ Martis fabulâ actores optimi retulere plausum. Sic prælium, reuocatis à Bossuuio Duce militibus suis vano insidiarum metu, finiuit:

Quanta vtrinque clades.

maiore vtrique susceptum apparatu, quàm partium clade gestum. quippe vix quadringentis vtrinque desideratis, æquatâ propemodum iacturâ; nisi quòd ex Regijs plures sauciati captique, ex alijs

Nota vtriusque Ducis.

cecidere aliquanto plures. Meruitque eo die contrariam planè notam vtriusque exercitus Imperator. siquidem Austriacus capessendi belli temeritatem, administrandi cautione redemit: Bossuuius initia cautè prouidit, sed omissa opportunitate omnibus copijs insequendi

Laus ab exercitu collata in Alex.

hostem, victoriæ extrema corrupit. Quo maiori accessione prudentiæ fortitudinisque, celebris fuit per omnem Regis exercitum Alexander Farnesius: qui & expeditionis illius momenta prorsus omnia mirabili euentorum anticipatione præmonuit, & in ea discrimina iam prolapsam exercitus partem, reliquamque in exitium facilè trahendam, pari consilio ac virtute subleuauit. Vt sanè

Qui eam se meritum non dissimulat,

solitus ad illud tempus perparcè suis de laudibus ad alios ipse perscribere, tunc haud sibi temperauit, quin ea de re datis ad Au-

præsertim ad Austriacã matrem scribens.

striacam parentem litteris, adderet: *Non mediocriter illo quidem die* 7. Aug. *de Rege meritum se videri, cuius exercitus quo propior exitio fuerat, eo præsentiori fuisse animo illius liberatorem. Certè veteranos quosque Duces, viso illorum discrimine, qui circumuenti ab hostibus tenebantur; de summa rei palàm dubitasse: atque adeo illorum neminem reuocandi eos, quos deploratos habebant, recipere in sese prouinciam voluisse. quo maiori gloria ducendum sibi sponte id ac feliciter ausso. Hoc autem militariter à se iactari apud matrem, cui referre generosos, quos ab ea traxerat, spiritus non indecorum putaret.* Sub ea Ioannes Austriacus restitutum

Austriaci cura in reducẽdo exercitu.

exercitum, pugnæque (si fortè hostis à tergo insequeretur) intentum,

1578 tum, Areschotum mouere cæpit. sed quum hostis, seu perculsus insolitâ Regiorum confidentia, seu veritus, ne simili caperetur insidiarum arte, nusquam appareret; solutiore cura Tillemontem regressus est, plus gloriæ adeptus apud alios, quasi pago castrisque potitus, quàm apud suos aleam expertos, & conscios. Hæc dum gerebantur in Belgio, eodem tempore à Lusitanis infeliciter pugnabatur in Africæ ora. cladisque, & super omnem cladem, interfecti Regis nuncium primus ab Hispania Alexander accepit. Missoque propterea in Lusitaniam Fabio Farnesio ad Cardinalem Henricum Sebastiani Regis patruum, suum illi in communi iactura priuatum ex affinitate mœrorem, simulque ob susceptâ Regni solennia lætitiam, subita affectuum, tamquam vestium in fabulis, mutatione testatus est.

4. Aug. — *Ob mortem Lusitani Regis.*

13. Sept. — *mittit Alexander officiosam legationem in Lusitaniam.*

AT VERO nouis è Germania Galliaque copijs auctæ Ordinum vires aliam indidere Austriaco mentem: auditaque Areschoti proditione, eius Gubernatore Mutio Pagano, viro forti fidoque, qui æger è lecto ad tumultum accurrerat, interempto: & Camillo Schiaffinate magni animi Subcenturione resistere nequidquam auso; vereri cæpit, idem ne pluribus obueniret oppidis, quibus auxilia submitti non poterant, quin distractis copijs vires extenuarentur. Itaque satius habuit arces aliquot humi deponere, oppidaque deserere, ac reuocatis inde præsidiarijs vnum in locum exercitum contrahere; donec ab Rege pecunia, ab Italia Germaniaque miles adueniret. Verùm pecuniæ militumque loco, acceptis ab Hispania litteris, quibus iubebatur Austriacus experiri omnes ineundæ concordiæ vias; lectis vtrinque legatis, iterum negotium pacis incaluit. Sed relatis ad Austriacum tribus, quæ Ordines deposcebant, capitibus; Vt Archiduci Matthiæ procederet Belgij Præfectura ijsdem conditionibus, in quas iurari consenserant: Vt paci conuentisque Dux Alenconius, & Casimirus insererentur: Vt Limburgi prouinciam, & quidquid in Brabantia Hannoniaque, vi aut deditione Austriacus cœperat, ante Augusti exitum Ordinibus restitueret; enimuerò superbis hisce postulatis præter modum offensus, cum Parmensi Principe, vti solebat, dolorem suum contulit. Ille & si periniquas profectò conditiones non negauit, addidit tamen, *Durius multo futurum, si Ordines desperata cum Hispano concordia, in manus traderent Gallorum Regis finitimas illis expetitasque prouincias. Cogitandum, ægrè potuisse Carolum Quintum (& qualem Imperatorem?) ab ijs regionibus propulsare sola Gallorum arma. quid facturas hoc tempore Regis copias, Duce quidem Caroli filio, sed longè minore militum numero, contra eandem Gallorum gentem, duosque præterea ingentes exercitus? Sibi itaque videri sustentandos concordiæ spe legatos,*

Areschoti oppi. iactura.

M. Pagani mors.

Austriaci difficultas.

Pacis negotium agitatur:

hisce conditionibus propositis ab Ordinibus.

Alex. consilium super ijs conditionibus.

dum Regis arbitrium super ijs conditionibus audiatur. quas ille conditiones si fortè admiserit, dubitandum non esse, quin pro sua prudentia, fratris honori aliunde consulturus sit: sin spectata earum indignitate reiecerit, profectò acriorem posthac initurum belli rationem; fratrem certè, eiusque exercitum quasi armorum cupidos non incusaturum. Austriacus etsi non magnopere timebat hostem multitudine ipsa laborantem. Iamque audierat, Casimiri copias ab Ordinum exercitu seorsim locauisse castra, quòd Comiti Bossuuio Ordinum Duci parere abnuerat Casimirus; coactus tamen pecuniæ & militum inopiâ, super ægritudinem animi corporisque, quæ res duæ magnos quoque spiritus frangunt, ac vel inuitos abijciunt ad ea, quæ aliàs impauidi despexissent; statuit Alexandri consilio tunc vti. scriptisque quamquam paulo acriùs ad Regem litteris, conditionum insolentiam exposuit: questus *Ab Hispania foueri hanc rebellium audaciam. sibi promissam ab eius Maiestate opem sine fine differri: poscentique pecuniam, verba demum remitti, quibus vtique bella non geruntur: nisi si putent, artem sibi esse, qua ex verbis aurum extrahat. Proinde orare, aut expugnari hostem velit, aut saltem indecorè adeo pacisci regij Ducem exercitus ne permittat.* Interea munitionem, quam paulo antè designauerat haud procul Namurco, perurgere Serbellonium sedulò iubet. Elegerat eam Austriacus in Bugæo colle, ad fluuium Mosam, loci opportunitate inductus, atque exemplo patris, qui quum ab Henrico Gallorum Rege tribus magnis exercitibus peteretur, in hunc locum, quas trahebat modicas tunc quidem copias, traduxit: castrisque hîc positis, ac munitis securas tenuit. Iamque Serbellonius, excitandis, ac defendendis arcibus æquè promptus, magna ex parte aggerem ac fossam munitioni circumduxerat, operâ Scipionis Campij Pisaurensis, in machinali scientia, Bartholomæo patre, qui in Harlemensi obsidione obierat, haud minoris; quum, siue laboris festinatione fractus, siue cæli pestilentiâ correptus, grauem in morbum incidit. Eodemque tempore Austriacus, inducto iam in castra exercitu, præter equites, quos Octauius Gonzaga distribuerat in proximis pagis; ingrauescente morbo, illuc deferri se iussit. Decumbebat vterque simili accessionum decessionumque circuitu, sed Medicorum prædictione longè dissimili. Medici quippe omnes (& aderant complures) Austriacum vim morbi superaturum, seu falsi, seu fallentes affirmabant: de Serbellonio actum esse pronunciantes. Et credibilia loquebantur: quum hic septuagenario maior esset, ille tres ac triginta non dum explesset annos. Et tamen quo die iuuenis occubuit, senex conualuit. Quo pluris haberi tunc cœpit Hippolytus Pennonius, Alexandro Farnesio additus valetudinis custos ab Octauio parente, ausus contrà quàm decreuisset medicorum turba,

Margin notes: 1578 — *Austr. dubitat de consilio accipiendo.* — *mox accipit,* — *& ad Regē scribit.* — *Munitionem parat,* — 19. Aug. — Carol. V. Imp. 1554. — *Serbellonij consilio:* — *et Campij opera,* — *Serbellonius morbo corripitur.* — *In munitionem exercitū inducit Austriacus,* — *& se ægrotum.* — *Medicorū prædictiones de Austriaco, & Serbellonio,* — *vtraque falsa.* — Serbell. — Austriac. — *Pennonij Med. laus.*

1578 ba, Serbellonio sanitatem, mortem Austriaco præsagire: diu propterea irrisus, eoque in vulgus notior, ac maiorem inde claritudinem adeptus.

21. Sept. DIE Matthæo Euangelistæ sacro, quo die ante annos viginti Carolus Imperator obierat; Austriacus, perinde quasi ex ea recordatione, confatalis sibi temporis admoneretur, exutis humanis curis, in Alexandrum Parmensem Principem ius omne transtulit pacis ac belli: eumque (siquidem vitâ sibi abeundum esset) Belgij Præfectum, armorumque Ducem, quoad Regi videretur, appellauit. Et Alexander quidem, an id oneris subiret, aliquandiu dubitauit: non ignarus, quàm afflictæ accisæque ea tempestate res forent: ac præterea quanto dedecori futurum, si fortè Rex ratum in posterum non haberet delatum Imperium. Quippe TVRPIVS esse de gradu deturbari, quàm ad eum non attolli. Hoc tamen famæ
6. Octob. periculum se posthabuisse fidei erga Deum Regemque, scribit ad Austriacam parentem: Deum testatus, sibi visum esse, proditorem haberi potuisse merito se, si Regis exercitum, gliscente hostium numero perculsum, amissoque Duce dilapsurum desereret ipse in eo rerum articulo, quo quidquid in ijs prouincijs supererat catholicæ Religionis, haud dubiè cum Regis obsequio periclitaretur. Quod tamen consilium quoniam Alexander non magnopere probauerat Octauio Duci, qui de causis accepti à filio regiminis ob Austriaci morbum commonefactus, non ei assensus erat, ideoque nec destiterat præfidentem eius animum redarguere; respondet in hæc demum verba.
6. Octob. *Quod Excellentia tua visum prudenter est, admonitum me velle: quasi plus nimio progressum in eo munere capessendo, quod vt à Regio Belgarum Senatu administraretur, curare potiùs debuissem; aio id quoque mihi venisse in mentem, vti quum de Ioannis Austriaci morbo scriberem Excellentiæ tuæ, significaui. Verùm quum recordarer, post obitum magni Commendatoris, exitium omne prouinciarum inde promanasse, quòd earum habenas Rex moderandas Senatui tradidisset: quam facile cladem (vti hic conuenit inter omnes) passa res Belgica non esset, destinato protinus successore. Præterea quum catholici huius exercitus ineuitabilem sine Duce iacturam liquidò prospicerem, ob aliquorum Nobilium offensiones, discordesque eorum animos, aliòque & aliò trahentes, atque in tuendis Regijs partibus quotidie remissiores: &, quod pluris est, ob vnum alterumue ex primarijs hisce in exercitu viris non obscurè in Regis obsequio nutantes, & fortasse, si res apud nos turbarentur, ad Ordinum partes inclinaturos; Ego ob huiusmodi causas, propitium mihi Deum antè precatus, statui subire potiùs quodcumque dignitatis meæ periculum, quod imminere mihi cernebam, si aut à Principe mei forsitan immemore præterirer, aut rebus infeliciter gestis ab euentu damnarer*

AVSTRIACVS Præfectū Belgij designat Alexādrum.

Qui dubitat primùm de onere subeundo,

postea subit:

et causam scribit ad matrem Austriacam:

& ad Octauium patrem non probantem filij consilium.

narer: quàm reiecto, quod imponebatur onere, ob nimiam mei securitatem circumspectionemque deserere hoc reliquum Belgij in hostium vtique manus nullo satis obsistente concessurum: spe non dubia firmatus, Deum, qui vnicè nouit ideo admissam à me ancipitem hanc aleam, vt Regi meo mea nunc opera egenti præberem me strenuè fidum, ac periculorum omnium eius causa contemptorem; res ita meas pro sua clementia moderaturum, vt nihil interea non dignum aut prudenti Excellentiæ tuæ voto, aut ingenti meo erga Principem animo perficiam. 1578 Præter has *Alia causa cur onus admiserit.* tamen causas, incitatum non parum se confessus est ipse ab ea quoque suspicione, ne videlicet inter eas suorum angustias, exultantibus circà hostibus campoque dominantibus; detrectasse, illorum metu, *& alia.* prouinciam videretur. Accessit & militum præcipuè studium vno ore contestantium, sine vlla designatione se sua sponte *Alexandri sollicitudo in Austriaci curā:* decreturos fuisse vni Alexandro armorum imperium. Ipse interea, diuiso curis animo, tunc auunculo assistere, nec verbis modò illum, sed re iuuare: quippe in eam occasionem suppeditasse aliquot *in regimine exercitus:* aureorum millia compertum habeo. nunc militem in officio continere, hostium consilia explorare, Ducis partes nauiter obire. simul *& in Rege sigillatim admonēdo.* Regem de Austriaci morbo, cuius obseruari momenta omnia, atque in ephemeridem referri iusserat, admonere tam anxiè sollicitèque, quasi non vnus homo, vt idem scribit, *à Doctore Ramiro.* sed militaris ipsa virtus, artesque Imperatoriæ omnes vno in homine periclitarentur. At verò Austriacus, redeuntibus paulatim *Austriacus desperatur.* viribus, quum vitæ restitui crederetur, repentè concidit: ac duodetrigesimo Septembris die, *28. Sept.* expiatis totius vitæ noxis, acceptoque *Sacramētis munitur.* à Sacerdote ante eius cubiculum sacrificante, cælesti viatico, versa *Furiosè delirat.* statim mente furere militariter cœpit, instruere aciem, compellere ordinum ductores, expeditos equites immittere: modò incusare circumuentos, modò oculis, manu, voce inclamare victoriam. Obseruatumque est, quum per eas belli imagines insanientem nulla sisteret amicorum industria, nulla medicorum ars; *Coërcetur ad Iesu & Mariæ nomina.* ad Iesu tantùm ac Mariæ nomina ita reuocari atque inhiberi solitum, vt ijs auditis, & illico interquiesceret, & quidquid eorum gratiâ rogaretur, cetera contumax & inexorabilis, non grauatè faceret. TANTVM est, pijs assuescere dum sapis, vt etiam desipiens non possis esse non pius. *sibi redditur,* Donec Kalendis Octobris, quem ille mensem, ob Actiacam ac Tu*& piè moritur.*netanam victorias, festum agitare consueuerat; ex insperato, mentis integritati redditus, recurrentesque animo labes iterum confessus, sub meridiem, magna vtique pietatis significatione, decessit.

SVMMA vitæ eius. Patria. Mater. NATVS est Ioannes Austriacus Ratisbonæ in Germania, sortitus eundem, qui parenti Carolo Cæsari fuerat, natalem diem. *Festum S. Matthiæ. 24. Febr. 1545.* Mater ei Barbara Blomberga Ratisbonensis, formâ ac genere iuxtà nobilis.

1578 lis. Ex qua ad Carolum inducta, vt mœrorem cantu alleuaret, filium ille suscepit, iam pridem viduus Isabella coniuge, ante annos septem amissa: namque ea viuente, seruasse Carolum perquamsanctè coniugalem fidem, fama est. Quin etiam sollicitus, ne quid in ea vrbe resciretur, infantem expleto nondum anno, matri abreptum, Aloysio Quisciadæ, Imperatoriæ aulæ Præfecto, quem expertus erat arcanorum cælantissimum, tradidit in Hispaniam deferendum: vt à coniuge Magdalena Vlloa, honestissimis sanctissimisque moribus matrona, educaretur: caueretque, ne cui mortalium suboleret pueri pater. id, quod egregiè præstitit Aloysius: altatumque Villamgarsiam, suæ ditionis oppidum, ita coniugi commendauit, nihil vt aliud, nisi amici, deque se optimè meriti filium expresserit. Quod mulieri suspicionem aliquandiu mouit, ex marito genitum: eòque cariùs educauit. Quamquam maius adhuc aliquid suspectare cœpit, animaduersâ in viro plusquam paterna, super infantis educatione, vigilantia. Fortè ignis arripuerat ædium partem, vbi Magdalena & Ioannes puer noctu cubabant. Crepitabatque iam circa lectum flamma, quum somno excitus, qui iuxtà aderat Aloysius, illuc repentè aduolat nudus, ereptumque incendio puerum aliò transfert; tum, quasi iam securus, ad coniugem periculo eximendam redit. admirante illa præter modum, quæ quum non ignoraret à viro plus oculis suis amari se, grandius exinde aliquid de pueri patre opinari perseuerauit. Et sanè indoles eius præcelsa, mores grauiter officiosi, incessus ipse atque aspectus, priuato maiorem arguebant. Ad æqualium puerorum greges ita se addebat, vt egregius ipse, & tamquam ductor haberetur: Cyrum diceres inter pastores. Cum ijs luctatione, aut cursu, aut iactu sudis, aut alio campestri ludo eatenus congrediebatur, dum videretur sibi victoriæ securus. ideoque libentiùs indulgebat equitandi studio, quòd in eo facilè omnibus anteiret. Manè hæc prima surgenti cura, equum inscendere, turmam puerorum ducere, hastas ad manubrium vsque perfringere, aut suspensum in annulum rectâ inserere. Ex quibus ille decursibus quum omnium plausus perpetuò victor auferret; valuit puerilis æmulatio, vt communi consilio pecuniâque, in oppidum conducerent equitandi magistrum, à quo equum flectere condocefacti, palmarium hunc concertatorem aliquando submitterent. Et gaudebat Aloysius, homo militaris, illa armorum indole, ac rudimentis, vt aiebat, magnorum operum. Donec ab Imperatore Carolo admonetur, vt filium mitioribus artibus imbutum ad sacri ordinis amorem præpararet. Sed, vt ÆTAS prima post tincturam voluptatis ægrè alium colorem bibit; difficilè iam deserebat ludicra illa oblectamenta puer: & Carolus haud ita

Infans in Hispaniam defertur à Quisciada tantum rei conscio.

Educatur à Marg. Vlloa Quisciadæ vxore patritiguara.

Magdalena ipsa hoc narrabat. Simile periculum idi Io. subijt aliquot post annos Madriddi.

Pueri periculum ab igne;

& in eo sollicitudo Quisciadæ.

Indoles eius, & & mores.

Herod. lib. 1.

Qualis in ludis cum gregalibus

ac præcipuè in equitandi studio:

in quo semper victor.

Iubetur ab Imp. ad sacros ordines institui.

sed serò.

multo

multo pòst fato concessit. Quo quidem supremo tempore aperuit 1578
Morti vicinus Imp. detegit Phil. Regi Ioannem filium. Cæsar Philippo filio Hispaniæ Regi, (namque antea clam illo id habuerat) Ioanni, qui apud Aloysium Quisciadam Villægarsiæ educabatur, eundem ac Philippo patrem esse: proinde aduocaret apud
& commendat. se puerum, haberetque non minus curâ & caritate filium, quam sanguine germanum fratrem.

AGNITIO Io. Austriaci.

SED Philippus Rex duos adhuc annos ab Cæsaris obitu expectauit, quò interim Carolus filius Hispaniæ Princeps adolesceret. Tum
Rex venatum abijt fratrem agniturus, Vallisoleto ad Spinæ cœnobium, venandi gratiâ magno Nobilium comitatu proficiscitur. Ad eum locum iubet
& iubet ad se venire Quisciadam & Ioannē alibi venantes. è Villagarsia occurrere cum venatorum grege Aloysium, secumque Ioannem trahere. Aloysius instructa venatione, equum superbè phaleratum inscendit ipse, Ioannem vulgari iumento insidentem, post se ducit, venatorum globo immistum, Quumque ad Torosium montem accessisset, (quem circa locum venari prospectabat
Quisciada se non patrem Ioannis ostendit noua illi appellatione. venerando. Regium comitatum) ex equo repentè desilit, idemque vt faciat, Ioanni significat. Paret ille: simul Aloysius ante eum prouolutus in genua, *Porrigat*, inquit, *osculandam mihi manum Celsitudo tua. Noui quid habeat veneratio hæc mea, mox ab Rege, qui te accersit, intelliges.*
Pueri admiratio, *Nunc equum instratum tibi hoc ornatu scande.* Restitit ad ea puer subita nouitate attonitus: tradidit tamen manum, atque equum subijt.
& expectatio omnium. suspensis admiratione qui aderant, & tamquam in scena, quem exitum ea catastrophe habitura esset, intentis. Quum ecce in conspectum venit Philippus Rex cum venatorum equitatu: illico Ioannes ad pedes, præeunte Aloysio, se demittit, Regemque in id officij de-
Rex Ioannē interrogat de patre. corè compositus, de genu veneratur. Tum Rex manu puerum attollens, Num satis teneat, quo patre sit genitus, blandè interrogat. Quumque is responsi dubius hæreret, quòd illum, quem patris habuerat loco, amisisse iam se videret; Rex equo depositus *Macte*, inquit, *animo puer, prænobilis viri filius es tu: Carolus Quintus Impe-*
eumq́ fratrem amplectitur: *rator, qui cælo degit, vtriusque nostrum pater est.* In quæ verba puerum fraternè complexus, in equum reposuit: iussitque illi famulos
famulis attribuitis. accedere, vtque sanguinis Austriaci, ac Cæsaris prolem addecet, inseruire. festo interim venatorum clamore personantibus latè
magno venatorum plausu. campis, ac læto in primis Procerum plausu diem illum faustum, Regi, faustum nouo Regis fratri certatim effusèque gratulantium.
Dictum Regis. Rexque ipse solitus est dicere, *Numquam se iucundiorem venando*
Transfertur in Regis aulā Ioannes. *prædam, quàm eo die retulisse domum:* Sic agnitus Ioannes Austriacus educari cœptus est in aula cum Carolo Hispaniæ Principe, at-
Educatur cum Carolo Principe et Alex. Farnesio. que Alexandro Farnesio, quem ab Italia non multo antè à parentibus traditum auunculo Regi, in loco memorauimus. Et erant æta- *Principio huius anni.*
Comparantur te propemodum pares, annum quartumdecimum nondum supergressi:

1578 greſſi: non tamen par omnibus ingenium, aſpectuſue, aut mores. Carolus, præter colorem & capillum, ceterùm corpore mendoſus: *Carolus.* quippe humero elatior, & tibiâ alterâ longior erat. nec minus dehoneſtamentum ab indole feroci & contumaci. Alexandro vehemens *Alexander.* quidem ac præliare ingenium, ſed obſequio promptum, & ad omnem vrbanitatem aſpectu decoro eleganti que temperatum. Longè tamen anteibat Auſtriacus & corporis habitudine, & morum *& Ioannes.* ſuauitate. Facies illi non modò pulchra, ſed etiam venuſta; *Forma huius;* ſubflauus capillus, prænitentes oculi argutique, membra omnia inter ſe aptè lepidèque nexa. Et augebant mores formam, ſimul & *& mores.* ipſi à forma mutuò augebantur. Eminebat in adoleſcente comitas, induſtria, probitas, &, VT IN nouæ potentiæ hoſpite, verecundia. Quæ virtutum ac formæ commendatio, Caroli comparatione, intendebat illi à principio amorem, mox inuidiam, quaſi propria in domo Principem inumbranti. Tetigitque nonnihil Philippum *Offendit Regē ob alienationem à ſacris ordin.* Regem Ioannis abalienatio à ſacris ordinibus, ad quorum initia, ſerò videlicet, vrgebatur ex præſcripto patris. Auxit verò indignationem *& ob diſceſſum ad Melitenſe bellum.* repentinus eius ab aula diſceſſus: quum Melitenſis belli cupiditate inflammatus non facta ab Rege poteſtate, (quam ſi ſperaſſet, vtique non eluſiſſet) celerrimè Barcinonem iter arripuit, cō-
18. mitante Nobilium globo, & erat tunc annorum duodeuiginti. Addiditque leuitati contumaciam, non audito Aloyſio Quiſciada, qui eum iuſſu Regis inſecutus fuerat. Sed nauim Barcinone conſcenſurus, *Sed mitigat feſtinato reditu:* acceptis ab Rege litteris reditum minaciter imperantibus, opinione celeriùs Vallıſoletum reuerſus, offenſionem Regis: feſtinato obſequio, non parum leniuit: nec pòſt multo planè deleuit, *& detectis Caroli conſiliis.* quum noua Caroli Principis conſilia ipſe ante alios aperuit patri. Ob id præfectus expeditioni Granatenſi aduersùm Mauros, *Mauricum bellū adminiſtrat.* dum bellum ſanè moleſtum diuturnumque feliciter abſoluit, quod præmium videbatur, gradus fuit ad noui decoris authoramentum. Nam compoſito ſociali fœdere, vniuerſæ claſſi, quæ Chriſtianæ *Naualem victoriam reportat.* Reip. vires ac ſpem vehebat, Imperator impoſitus, commiſſo ad Echinadas prælio, victoriam poſt Othomanici memoriam nominis longè maximam de communi hoſte reportauit. Inde conuerſis ab Oriente in Africam armis, Tunetum Libyci maris Regiam, Turcis *Tunetum, & Biſertā expugnat.* aufugientibus capit, Biſertam vi expugnat, captiuumque Amidam *Regem capit.* Regem cum duobus liberis ſecum trahens, victor in Italiam redit: offenſo altiùs Hiſpano Rege, quòd Ioannes non modò Tunetanam *Noua Phil. Regis offenſio.* vrbem, contra quàm iuſſum fuerat ab Hiſpania, mœnibus non denudaſſet; ſed etiam munitionem addidiſſet, præfectoque Gabriele Serbellonio præſidiaria cohorte firmaſſet, quaſi illa in *& ſuſpicio.* vrbe regiam ſibi deſtinaret ſedem: vti tum maximè Rex credidit,

quum

quum eodem tempore agi secum vidit Gregorij Tertijdecimi nomine ab eius Nuncio, de Ioanne Austriaco, ob res in Africa gestas, Tunetani Regis appellatione decorando. Quod Philippo suspicionem intendit, elatum victoriarum cursu iuuenem non diu laturum priuatam fortunam, & regna nunc rogare, aliquando inuasurum: ideoque remotis ijs ab Austriaci latere, quorum consilijs agitari illa ferebantur, noua ministeria, & Ioannem Escouedum à secretis adiecit, nempe alijs nominibus eadem ingenia. Et auctam iuueni fiduciam spiritusque, ex eo quoque Rex animaduertit, quòd ab Italia reuocatus in Hispaniam, vt decretam sibi Præfecturam Belgicam adiret; Regiam non ingressus, ad Antonij Perezij villam diuertit: interim exploraturus, an ei Rex attribueret confidendi locum, quem Regijs Infantibus solet, intra velum. Sed Rex, qui vrbe tunc aberat, ne quid contra iuuenis spem statueret super loci dignatione; eodem consilio, ingressu vrbis abstinuit: exceptumque cariùs, quàm magnificentiùs in Pardi villa, inde confestim in Belgium, exaggerata nec sanè falsò prouinciarum necessitate, dimisit. Quin etiam huc spectare videtur id, quod inter monita abeunti data, primum ac supremum fuit: Vt omissis armis, prouincias quibuscumque conditionibus, salua Religione atque obedientia, pacaret. Nam licet Rex damnosi vtique belli iam pertæsus, vnicam illam præoptaret viam componendi Belgicos tumultus; tamen crediderim, Principem, cui TVTA quæ suspecta, cauere voluisse, ne continuato apud eundem armorum imperio, potentiam aliquando irreuocabilem firmaret. Hinc subministrata ad bellum, vbi opus bello fuit, ab Hispania perquam parcè pecunia. Hinc pronæ Regis aures ad Belgarum querelas Austriacum ceu percupidum belli assiduè criminantium. Quin ad hanc quoque suspicionem Regi confirmandam haud sanè dubitauerim aspexisse Orangium, scriptis ad amicum litteris in Galliam, quibus Io. Austriaci, atque Anglæ Reginæ coniugium significabat; addebatque, pro sua in eam rem opera, spem sibi ab Austriaco factam liberæ per Belgium Religionis. id, quod à Varga, Hispano apud Gallum oratore in arcana quæq; intento sollicitè admonitum ferunt Philippum Regem, secuta interea nece Ioannis Escouedi rerum talium incentoris. Quæ de Austriaco ne credam quamuis desperatione interdum agitato turbidoq;, multis adducor. commenta potiùs Orangij per hæc abalienantis à fratre Regem, suspicari libet. At mortis Escouedi causas, cœptasque inde per Hispaniam tragœdias, equidem ipse tamquam scenis aptiora, scriptoribus hæc auidè arripientibus relinquo. Nec illud aliò spectauit, quod auditum quoque in Hispania, de oblata nuper Austriaco Belgica dominatione. Fuit enim è Belgarum Nobilibus, qui velut expeditam pacandi prouincias rationem Austriaco monstraturus, vt ipse Belgarum imperium capesseret, hortatus est:

Marginalia: 1578 — *Familia ei Rex mutat.* — *Ipse locum et honorem regiorum Infantium deposcit.* — *Sed Rex occasioné loci declinat.* — *Belgicam præfecturam administrare illum sine armis cupit.* — *Dubitat de eius animo.* — *Coniugium Austriaci & Angla Regina spargit Orangius.* — *Al. Cabrera in Phil. 2. l. 12. c. 3.* — *Io. Vargas Mexia.* — *Mors Escouedi.* — *Tentatur Austriacus oblata prouinciarũ dominatione.* — *Mar. Delr. l. 2. Turbo Bel.*

1578 eſt: operamque in id ſuam obtulit apud nobilitatem, non dubio, vti ſpondebat, euentu. Quod quamquam ille vſque adeo eſt auerſatus, vt promptum illico pugionem, non ſicut olim Germanicus Cæſar in ſeſe quaſi ſcelere contaminatum verteret, ſed in hominem intentaret perfidum, & fraudulentum, à quo ſua in Principem fides tam impudenti conſilio pertentaretur. res tamen, quia clam arbitris acciderat, opinionibus erat hominum deteriora ſequentium obnoxia: & SVSPICIONES interdum aliquas nulla ſatis diluit innocentia. Crediderim autem eò pertinuiſſe audax callidumque inuitamentum, non vt Belgium in manus Auſtriaci traderetur, ſed vt Regis euerberarentur aures ad huiuſmodi rumuſculos perattentæ, admonerenturque, Non ſemper modeſtiam retineri: atque adeo SPECTARE ad prudentiam Principis efficere, vt, quod moderatio ſemel noluit, numquam poſſet. Nec erat magnopere docendus huiuſmodi ſuſpicandi artes Philippus Rex, potentiæ non minus retinendæ prudens, quàm felix amplificandæ. Et introſpiciebat Auſtriacus, nouis quotidie argumentis, ſuſpicacem Regis animum, nulloque placabilem obſequio priuatæ vitæ tamdiu toleratæ. Auditâque ad hæc Ioannis Eſcouedi nece, quem in Hiſpaniam miſſum ad pecuniam, aliaque belli ſubſidia contrahenda toties ac tam anxiè repopoſcerat; maioribus in dies preſſus anguſtijs, ac deſertus, vti palàm querebatur, à Rege, traditusq; hoſtium ludibrio, ingens animi ſpeique Princeps, ac paterni generis nimiùm memor, ex mœrore contabuit. An verò ad hoc, quo ſatis extingui potuit, venenum, aliud cuiuſquam dolo ſubiectum fuerit (namque in defuncti corpore extitiſſe non obſcura veneni veſtigia affirmant, qui viderunt) equidem nihil ipſe ſtatuerim, vt in re præſumptæ ſuſpicioni plerunque obnoxia. Quamquam non defuiſſe, qui eius capiti vbique inſidiarentur, certum habeo ex Alexandri Farneſij litteris ad Octauium patrem. Ac ſatis conſtat, eodem quo obijt Auſtriacus menſe, depræhenſum Anglorum par, qui in eius conſpirauerant necem. quos haud ita pòſt multo, ſubiectos quæſtioni, ac ſceleris manifeſtos, Parmenſis Princeps vltimo ſupplicio affecit. Sed vnde vnde feſtinata mors fuerit, inſolita certè commiſeratione luctuque excepta eſt: ac rarò milites effuſiore virtutum commemoratione defleuere Ducem. Erant, qui Auſtriacum, Germanicumque componerent, decore formæ, annorum ætate trium ac triginta, bellorum multis per vicina Batauiæ loca geſtis, ſuſpicionibus apud Dominantes, rumore properatæ mortis. Propiùs alij cum Carolo patre illum conferebant. Vtrique eundem natalis, ac propè mortis diem: ſimiles terrâ marique in Mauros, inque Turcas expeditiones: idem Tunetanum regnum ab vtroque ſubactum: & Muleaſſem Regem à Carolo in poſſeſſionem regni reuocatum, eiecto Hariadeno; à Ioanne Regem Amidam Muleaſſis filium ſed patris expulſorem, eodem re-

Tac. l. 1. An. — *Al. Cabr. in Phil 2. l. 11. c. 15. net nō intentaſſe, ſed ſuis taſo.*

Excandeſcit in ſuaſorem.

Quem ad finem tentaretur.

Mœror Auſtriaci ob ſuſpiciones Regis:

& ob Eſcouedi necem.

atque ex mœrore mors.

An veneno accelerata.

Mar. Delo. l. 5. turb. Belg.

20. Aug.

Decemb. menſe.

Supplicio affecti, qui mortem ei moliebantur.

Luctus militum comparantium illum cum Germanico Cæſ.

Germanicus Cæſ. Druſi F.

et cum Carolo V. patre.

In die natali mortiſque.

In expeditionibus bellicis.

gno expulſum, ac Mehemete impoſito, inter captiuos ac ſpolia relatum. Plura patrem bella confeciſſe, nam & plures vixiſſe annos: filium, 1578
vna victoria nauali, numerum alterius adæquaſſe. Quod ſi penes hunc rerum arbitrium fuiſſet, regniſque & exercitibus vnus imperaſſet; haud dubiè claritudinem patris aſſecuturum. Addebant & illa, quamuis pleraque inania, & comparantibus quæſita.

In tractatione militum:

Vtrumque iiſdem officiorum artibus ſuſtentaſſe ſuorum ſpes: ſed oblatis illum prælargè titulis nobilitaté amplificaſſe: *Carol. V.* hunc militum virtutem immodicis, quòd *I. Auſtria.* alia non ſuppeterent, verborum præconijs, detractoque interdum ſibi pileo aut pugione donare præſenti alacritate ſolitum: certè gregarium quemque nomine compellando, memoriam loco muneris promptam habuiſſe.

In cultu capitis:

Ab vtroque inducta ad corporis cultum aliqua, & præcipuè ornatum capitis immutatum. Primum Carolum, quum ad imperij coronam capeſſendam veniret in Italiam, minuendo capitis dolori 1529.
cæſariem depoſuiſſe: exemplo ab aulæ primoribus certatim recepto: ac more, qui per ea retroque ſæcula tantopere vigebat, alendæ comæ, imitatione vnius, apud omnes abolito. Et primum quoque Ioannem Auſtriacum, quòd ad læuam temporum partem, erectum naturâ capillum haberet, omnem à fronte crinem reuocare manu cœpiſſe: quòdque placeret illud porrectæ frontis additamentum, inde vſum deriuatum eſſe retorquendi ſuſtinendique capillamenti, adeo vt qui eo ſuggeſto capitis vtuntur, vulgò geſtare Auſtriam alicubi dicantur.

In ſolitariæ vitæ amore.

Denique & in poſtremo vitæ actu ſimilitudinem patris optaſſe Auſtriacum: vtque ille abdicatis regnis, in Diui Iuſti ſolitudinem abdiderat ſeſe; ſic ipſum paucis ante obitum menſibus decreuiſſe, inter Serrati montis Eremicolas ei demum inſeruire Domino, qui (vt aiebat) plura quàm Philippus frater & poſſet, & vellet. quod vniconè pietatis ſtudio, an rerum improſperè ſuccedentium tœdio meditaretur, haud facilè ſeparauerim.

Eius ſtudium emundandæ animæ.

Illud ego in Ioanne Auſtriaco, citra omnem patris comparationem, non omiſerim. Munditiem animæ, cuius amorem à puero indiderat educatrix Vlloa, *Magdalena Villagarſia Domina.* vſque adeo coluiſſe per omnem ætatem, vt nullam paulo grauiorem noxam Deique offenſam apud ſe ferre diutiùs poſſet; atque ideo bis ſingulis menſibus (quod illi perpetuum fuit) conſcientiæ labes ſollicitè confeſſus excuteret. animo vere principe, qui turpiſſimæ ſeruituti nequiret inſueſcere. Immo nec expeditionem aliquando ſuſcepit, aut ſigna cum hoſte contulit, quin ante præliarem diem, accuratiſſima confeſſione, Dei clementiam

præſertim ante diem pugnæ.

propitiauerit. Quod ſanè ſtudium ſui, in Principe viro, cui ab ætate, à forma, ab armorum imperio ſumma licentia; tanto quis, opinor, pluris æſtimauerit, quanto rarior in caſtris hæc pietas: quantoque huiuſmodi circumſpectio minus ſolitaria, nec ſine multarum comitatu virtutum eſſe conſueuit. Hoc porrò ſi quis ad militares viri laudes adiungat, ad bello-

1578 bellorum varietatem, quibus antequam interesset miles, præfuit Imperator: ad altitudinem animi, quo nullum genus hostium vel numero maius, vel famâ insuperabile vnquam expauit; ad præliorum feliciratem, in quibus perpetuò victor, victus certè numquam discessit; profectò Ioannem Austriacum magnos inter fortunatosque armorum Duces iure adnumerauerit.

Militares virtutes magno Imperatore digna.

ALTERO post obitum die, super funeris pompa disceptatum inter nationum Tribunos, qui efferendo corpori præhaberentur, quòd Hispanus Regem, Germanus defuncti Ducis patriam, Belga loci prærogatiuam obtenderent. Sed composuit tunc quidem Parmensis Princeps in hunc modum; Vt corpus domo exportarent interiores aulici: susciperent eius nationis Tribuni, cuius contubernia in castris propiora essent à tabernaculo Ducis: traderentque exinde alijs atque alijs, qui longiùs abessent. Hoc itaque ordine à Bugæis castris Namurcum vsque, peditibus equitibusque per agmina dispositis, Ioannes Austriacus elatus est, armis indutus, additâ capiti coronâ, vti veteres Principes Burgundiæ domus tumulari consueuerant. Quamquam alij, quòd oblatum Hiberniæ regnum à plerisque Nobilium, assentiente Romano Pontifice, ipse inconsulto Philippo Rege admittere distulisset; idcirco illa regni specie donatam eius modestiam opinati sunt. Gestabant humeris lectum Tribuni ac Centuriones eius nationis, cuius ante agmen deferebatur, nouis subinde oneri succedentibus, donec à Namurci Magistratu susciperetur. Apud corpus atrati quatuor, Petrus Ernestus Comes Mansfeldius castrorum Præfectus, Octauius Gonzaga equitum Magister, Petrus Toletanus Marchio Villæfranchæ, & Ioannes Croius Reusij Comes, hic Belgarum, ille Hispanorum primarij ductores, manu sustinebant emortualis straguli lacinias de lecto prependentes. Præibat militum legio inuersis, vti assolet, incomptisque signis, ac reliquis tristitiæ imitamentis. Sequebatur Alexander Farnesius Parmensis princeps, animo lugubriori quam veste: nisi quantum cura exercitus inter eas angustias traditi dolorem auertebat. Peracta exequiali pompa in primario Namurci templo, conditisq; ibi Austriaci visceribus; temporario sepulcro deposuit Alexander auunculi corpus, expectaturus quid super eo mandaret ab Hispania Rex. Etenim Austriacus morti proximus, tria supremis precibus oratum ab se Regem voluit; Vt cadauer condi suum iuberet apud Caroli Imperatoris ossa: vt matrem fratremque eiusdem vteri, in fidem patrociniumque reciperet: vt aulicos spe diu sustentatos, aliqua remunerationis ope, quam eis ipse rependere nequiuerat, subleuaret. Filiarum mentionem (quod mirere) fecit omnino nullam. Habuit enim filias Austriacus duas, Annam, & Ioannam; hanc Neapoli ex Diana Phalanga nobili Surrentina: illam Mantuæ Carpetanorum ex Maria Mendoxia, splen-

CONTENTIO nationum super efferendo cadauere.
Componit eam Alexander.
Ex litteris Com. Mansij ad Pici ex castris 6. Octobris.
Pompa funeris.
Cur addita capiti corona.
Apud Marsinũ Dele. l. 5. Turb. Belg.
Tribuni Centurionesque gestantes.
Quatuor primarij duces circa lectum.
Præeuntes milites.
Post lectum Alexander.
Temporarium sepulcrum.
Tria Regem orauerat moribundus.
Austriaci filiæ duæ.
1570. Madrid.

didiſſimi generis,formæque elegantiſſimæ puella.Annam clàm educauit Magdalena Vlloa,Ioannis ipſius educatrix:tranſtulitque poſt annos ſeptem ad Madrigale ſacrarum Virginum collegium. Ioannam apud ſe habuit tantundem ferè temporis Margarita Parmenſis Dux, Ioannis ſoror:quo mortuo educandam in Neapolitano Diuæ Claræ cœnobio depoſuit.Sed illa iuſſu Regis è Madrigali Burgos traducta, in ſacrum Diui Benedicti gynæceum, perpetua earum ſanctimonialium Antiſtita creata eſt.hæc poſt annos viginti,quibus in Neapolitano clauſtro conuixit,Butero Principi in Sicilia tandem nupſit. Vtraque verò eodem anno,eodemque menſe, & tantùm non eodem die, fato cōceſſit.Crediderim autem idcirco Auſtriacum inter ea,quæ Regi moriens commendauit,ſilentio tranſmiſiſſe filias;quòd eas Regi incompertas crederet: quippe occultè adeo cautèque educatas, vt Alexander ipſe ſecretorum eius planè omnium particeps, filiarum alteram ignoraret:alteram non ab Auſtriaco,ſed à Margarita matre haud pridem noſſet. Quæ fuit cauſa,cur ipſe auſus non fuerit in memoriam reuocare hanc morienti filiam, quam regi commendaret; ne ſcilicet aut homini pudoris aliquid incuteret,aut ne videretur per eam commendationem liberare matrem qualicumque moleſtia voluiſſe. Iam verò illa,quæ dixi, tria ad Regem de Auſtriaci obitu perſcribens Alexander, ſigillatim expoſuit, preceſque pro iiſdem ſuppliciter adiunxit.De ſe,traditoque ſibi regimine perpacua ſubdidit,recuſanti quàm cupienti ſimilior. ſolùm Catholici exercitus diſcrimen à Gallis Hanoniam ingreſſis,& ab Ordinum copijs caſtra obſeſſuris exaggerauit: quò ſignificaret,in eo rerum propè deſperatarum articulo ſe coactum ab vna,quam Regi debebat fide,ſuſcepiſſe intrepidè magis quàm auidè illud oneris. Quamquam, vt ego quidem ſentio,non tam præſens periculum,(quod erat vtique magnum)quàm dubitatio de Regis animo,ſuſpenſum habebat Alexandrum. Verebatur enim, ne Rex,omiſſá armorum curâ, Margaritam Parmenſem Belgis acceptam, eòque paci ineundæ percommodam reuocaret in Belgium:Archiducem ipſum Matthiam certis conditionibus,quod agi cœptum erat,confirmaret:idque Regi facilè ſuaderetur à nonnullis,qui minus Alexandri Farneſij gloriæ fauerent. Et ſanè(ſicut ab Hiſpania Dauid Ducis Parmenſis à ſecretis ſcribit ad Alexandrum, occultatis litterarum notis) non defuere in aula, qui multa ingeſſere in animum Principis, quò eam deſignationem planè conuellerent. credo,quòd importunum videretur armare exercitibus Alexandrum eo tempore, quo ſpem in Luſitaniæ regnum intenderet filius magnæ indolis puer,&,vti apparebat, quantæcunque fortunæ capax. præſertim quum non ſine Hiſpanorū offenſione peteretur ab Italia, qui dominatrici nationi imperitaret. Sed Rex & Alexandri virtutem, & ſororis ſuæ filium cogitans præcidit

Margin notes: 1578. — *Anna.* — *Ioanna.* — 1610. *menſe Febr.* — *Cur earum mētionem fecerit nullam in morte.* — *Alexan. ad matrem Parmen. Ducem 9. Octobr.* — *Alexāder ad Regem de Auſtriaci petitionibus.* — *1. Octob.* — *De ſe.* — *Exaggerat periculum præſentis ſtatus.* — *Veretur de Regis animo circa præfecturæ confirmationem.* — *Ce. Maſius ad Eq. Bild. dum 6. Octobr.* — *quam in Hiſpania diſſuadent aliqui.* — *5. Nouēbr.* — *Ranucius.*

1578 29. Nouemb. dit ſermonum materiem, laudato Ioannis Auſtriaci conſilio: ac ſtatim compoſitis ad Alexandrum litteris, primùm Belgij ac Burgundiæ Præfecturam, armorumque per eas prouincias imperium ſine vlla exceptione tradidit, atque eius fidei virtutique prolixè commendauit; tum de Auſtriaci poſtulatis, breue reſponſum adiecit, Eius familiæ ſe non immemorem fore, modò certior ab ipſo Alexandro fieret de ſingulorum meritis, vti poſtea factus eſt. Matrem cordi iam pridem ſibi fuiſſe, atque exinde impenſiùs futuram. Quod vtique oſtendit: euocatam enim eodem anno in Hiſpaniam perbenignè ſuſcepit; paucisque pòſt menſibus Mazotam in Regium Sancti Cypriani cœnobium honorificè tranſmiſſa, quum inter eas ſanctimoniales, addito ancillarum miniſterio, vixiſſet annos quatuor; Laredi, quò ſe tranſtulerat cæli ſalubritate inuitata, per quàm piè deceſſit. Quamquam de Ioannis matre Lectorem haud cælauerim, quod à viro mihi principe patefactum eſt. Ioannem Auſtriacum non ex Barbara Blomberga, vti creditum ad eam diem, ſed ex longè illuſtriori ac planè principe femina procreatum. cuius vt famæ parceretur, prætentam fuiſſe aliam à Carolo Cæſare, ac perſonam matris impoſitam Blombergæ haud grauatè ſubeunti ſpecioſum culpæ titulum: eodemque loco habitam à Philippo Rege ſcenæ pariter inſeruiente. Sic Philippum ipſum Iſabellæ filiæ, cum qua arcana omnia communicabat, aperuiſſe: atque Iſabellam ei, quem dicebam, viro inter familiares congreſſus enarraſſe. Quod ſi ita eſt, habet profectò, vnde minus ſibi de ſua ſagacitate placeat humanum ingenium, quando tantus Princeps, atque intima quæque vel in hoſte rimari ſolitus, domi ſuæ, ſuorumque ignarus adeo vixerit obieritque, vt bis in matre deceptus, ſemper alienam coluerit, numquam ſuam. Iam quod ſpectaret ad Auſtriaci, vti credebatur fratrem (Pyramo Conrado nomen erat) reſcriptum eſt à Rege, videret Alexander, quæ eius propenſio animi foret, ac referret. Vidit ipſe, retulitque, Adoleſcentem ab Auſtriaco fratre miſſum fuiſſe ſtudiorum cauſâ Burgundiam: ſed intra paucos dies, omiſſis litteris, initaque liberiore vita, fratris iuſſu in arce concluſum. Ex arce ad ſe ſcripſiſſe, mortuo Auſtriaco, vt quando fruſtra in litteris laborabatur, alieno ab his non minus animo, quàm facultate, exemptum vellet eâ cuſtodiâ, atque ad arma transferret, fructu, ſicuti ſperabat, haud pœnitendo. Id ſibi quoque videri ſubdidit ad Regem Alexander: orauitque proinde, vt, ſi eius Maieſtati videretur, imperaret quo is in loco militiam capeſſeret. Placuit Regi ſub Alexandro tyrocinium ponere, aureis quinquaginta in ſingulos menſes attributis. Demum & de Auſtriaci corpore in Hiſpaniam transferendo Rex annuit, qua via, quoue modo Alexander ipſe præſcriberet. Alexander onus impoſuit Hiſpanorum Tribuno Gabrieli Nignio Zunigæ, qui Ioanni Auſtriaco fuerat ſtabuli Præfectus. Ac deſi-

Margin notes: *Rex tamē tradit.* — *Et ad Auſtriaci petitiones reſpō. det:* — *De familia.* — *De matre.* — *non tamen matre, quod miretur.* — *Card. à Cueua.* — *Cl. Eugenia Iſabella.* — *in Magdalena Vlloa, & in Blombergæ.* — *De fratre.* — *9. Ian. 1579.* — *18. Mart. 1579.* — *De cadauere.*

Quod clàm per Galliam deportandum in Hispaniam curat: designatâ per Galliam viâ, ab Henrico Rege per Hispanum Oratorem Parisijs agentem, impetrauit itineribus securitatem aliquibus ex Ioannis Austriaci familia in Hispaniam redeuntibus, nulla cadaueris facta mentione: quod perocculte transferri voluit, ad euitandos scilicet ingentes sumptus, ac Magistratuum Sacerdotumque in vrbium aditu certamina, quæ in Principum seu viuentium, seu mortuorum itineribus fieri solent; ideoque deportatum iam illud esse per Italiam ab reliqua Austriaci familia euulgauit. Immò, quò rei suspicio auerteretur, corpus omne, solutis artuum commissuris, distrahi placuit: ossibusque bracchiorum, & femorum, & tibiarum, ad hæc thorace, & capite, (exempto prius cerebro) & alijs partibus seorsim positis impleuere bulgas tres: quas viatoria supellectili refertas, atque, vti assolet, ante ephippium conuolutas, Nignius & præcipui quippe ex eo comitatu (erant circiter octoginta) in Hispaniam detulere. Vbi ossibus iterum commissis, æreique nexu fili colligatis, totam facilè articulauere compagem corporis: quod tomento expletum, ac superindutis armis, pretiosisque vestibus exornatum ita Regis obtulere oculis, quasi pedibus innitens, Imperatorij videlicet baculi adiumento, planè viuere ac spirare videretur. Cuius ad aspectum renouato breui luctu, asportatum inde in Escurialem Diui Laurentij sedem, apud patrem Carolum Quintum Imperatorem, vti peroptauerat, conditum est. At Alexander in Namurcensi templo, vbi depositum fuerat auunculi corpus, relicto rei monumento ad posteros, omnem continendis in Regis fide, quæ supererant prouincijs, animum ac vires aduertit. Simul missis ad Catholicos Europæ Principes nuncijs litterisque, officij duxit, de tradito sibi ab Rege imperio singulos admonere: Regiarum partium discrimina neque anxiè commemorans, ne malè in Hispanum animatis spem intenderet: neque dissimulanter occultans, ne lauream tamquam ex facili decerptam imminueret Duci hostem aliquando debellaturo.

Margin notes: 1578 — *Io. Vargas Mexia.* — *prius distractum in partes.* — *in Hispania compositum,* — *ac Regi ostensum.* — *postremò conditum.* — *Relqui administratione capessit Alexander.*

DECADIS PRIMAE FINIS.

INDEX

INDEX
RERVM ET SENTENTIARVM
QVAE PRIMA DECADE
CONTINENTVR

occur-

Sententiae ad A spectantes.

A*VLÆ potentia plus in fronte habet, quàm in recessu*. 98.
Nulla virtus in AVLA minus euehitur, quàm quae maximè timetur. 98.
AVLAM fallere difficile est. 51.
AVLICORVM animos longa apud Principẽ felicitas quantum securos gratiae, tantum intolerantes iniuriae facit. 98.
Potentia in AVLA raro consenescit. 68.
ASSECTANTIVM turba ad Potentes concurrit, sicut ad lacum solet, quem exhauriunt & turbant. 98.
Blandiri, & ASSENTARI saeculum appellatur. 3.
Pronius in gratiam redeunt perpessi ARMORVM damna. 15.
Diuisum propè imperium ARMATA cum multitudine Princeps habet. 47.

Arma-

Hu-

cia

Sententiæ ad B spectantes.

BENEFICIIS *aliqui vtuntur ceu floribus tamdiu gratis quamdiu recentibus*. 19.
BENEFICIVM præsens gradus est futuri. 31.
Animi aliquorum arctius tenentur BENEFICIO vel vno accipiendo, quàm acceptis multis. 31.
Sunt, qui, quum multum acceperint, iniuriæ loco ducunt plura adhuc accipere potuisse. 48.
Quidquid infra votum venit, BENEFICII nomen amittit. 48.
Facilius BENEFICIO capiuntur singuli quàm multitudo. 28.
Sparsa in commune gratia ab omnibus accipitur, redditur à nemine. 28.
Cui BONO aliquid vertitur, in eum rectè colliueat suspicantis animus. 125.
Spes nūquam maior affulget pacis, quàm quum seriò BELLVM geritur. 15.
Cauendum eo maximè in loco BELLI ciuilis incendium, vbi circà sint, qui illud alant, procul qui extinguant. 204.
BELLI dux nihil magis timere debet, quàm ne timere videatur. 244.

Cada-

C

Caro-

S.Gis-

Galli.

INDEX.

Culpa-

Sententiæ ad C, spectantes.

D

Dua-

Euschau-

Dalbe-

Sententiæ ad E. spectantes.

F

Fer-

ex

Spa-

Gre-

Sententiæ ad G. spectantes.

NOn *minus certò interitus GRATIÆ expectandus, quàm vitæ.* 68.

Principū aliqui hactenus fuerū GRATIÆ tribuunt, dum illi se consiliorum ministros, non authores iactent. 92.

H

Henri-

Sententiæ ad H, spectantes.

I

Nobi-

abitum

Sententiæ ad I, spectantes.

INFANTIVM mores ad domesticorū primo veluti afflatu verius multo, quàm à natalium potestate siderum plerunque finguntur.326.

INSINCERAS animas sicut impura corpora quo magis nutrias, eo magis lædas.314.

Aliquorum INGENIVM mollibus remedijs melius sanatur,contra vimpernicax obnititur: sequiturque faciliùs, quàm ducitur.308.

Deesse diù non potest occasio IMPROBITATI.222.

Esse videtur argumentū iustæ IRACVNDIÆ, si non citò deponatur.128.

Acerrima esse solent à primis annis INGENIORVM velitationes.83.

Principatuū INITIA nouis rebus attentandis accommodata.42.

Non est in eiusdem manu IGNEM tectis inijcere,& incēdio spatium modumque statuere.53.

Plurimum refert, succedant,an concurrāt INFORTVNIA.60.

K

L

ad

occu-

Sententiæ ad L, spectantes.

Regia

Monti-

Sententiæ ad M, spectantes.

N

Nauar-

Nun-

Sententiæ ad N, spectantes.

O.

Pace-

Sententiæ ad O, spectantes.

OPINIONEM inferunt aliqui, dū nimium conantur euellere. 95.

Plerique abunde OFFERUNT operam repudiaturis. 173.

Grauum est Principibus, domi esse in quē ODIA ipsis debita exonerentur. 52.

Nusquam felicem exitum habitura sunt negotia, quorum arbitriū homines animaduertant esse illū, quē ODERUNT. 90.

Nonnulli argumentum nihil debentium, ODIO quærunt. 314.

Rarò qui tuos ODERINT, te amabunt. 308.

Pace-

P

à con-

Mariæ.

Octa-

Præda

Profe-

Sententiæ ad P, spectantes.

PRINCIPVM aliqui hactenus suorum gratiæ tribuunt, dum illi se consiliorum ministros, non authores tacent. 92.
PRINCIPES nunquā soli peccant. 142.
Hæc est PRINCIPVM philosophia, consiliorum secreta rimari, naturæ abditis apud otiosos relictis. 169.
Beneficij loco habere populi solent curationem à PRINCIPE, ne secantem seruū patiantur. 201.
Non ingrata PRINCIPI ministrorum asperitas, tamquam fraudibus blandientium intractabilis. 272.
PRINCIPIBVS de coniuratione non creditur nisi peremptis. 319.

Tan-

Sententiæ ad R, spectantes.

S

Simu-

Sententiæ ad S, spectantes.

T

Sen-

Sententiæ ad T, spectantes.

V

Sententiæ ad V, spectantes.

VILE videtur, quidquid in summo patet. 10.
*VITIA dum transferuntur, quasi contractis per manus sordibus ingrauescunt.*142.
Vitio generis humani, maiora omnia concipiuntur, dum VETANTVR. 145.
Ingens potentiæ firmamentum VICINORVM Principum amicitia. 112.
Ægrè continentur manus inter arma, dũ VICTORIA vindictam pariter ac prędas ostentet. 303.
Laudatur in noua potentia hospite VERECVNDIA. 367.

Zacha-

Z

REGESTVM.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii KK Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii KKK Lll Mmm.

Omnes ſunt Duerniones, præter ✠ Terniones.

R O M AE,

SVMPTIBVS HERMANNI SCHEVS,

Typis Vitalis Maſcardi. M DC X L.

SVPERIORVM PERMISSV.